De
Sanctissima Eucharistia.

Summa

praelectionum, quas in C. R. Universitate Oenipontana

habuit

Josephus Müller S. J.

Liber in privatum auditorum usum ordinatus.

OENIPONTE.
TYPIS ET SUMTIBUS FELICIANI RAUCH (C. PUSTET).
1921.

4509

Prooemium.

1. Notio ss. eucharistiae atque diversa eiusdem nomina. — SS. eucharistia illud sacramentum est, quod sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem D. N. I. Ch. vere et realiter et substantialiter praesentia exhibet ad spiritualem animarum nostrarum refectionem. Qua vero actione hoc augustum sacramentum conficitur et Christus praesens sistitur, eadem insuper idem Christus vero atque proprie dicto sacrificio Deo Patri offertur; quare ss. eucharistiae non sacramenti tantum, sed sacrificii quoque ratio competit. Duplex autem haec ratio expressa invenitur in aliis et aliis nominibus, quibus designatur. Et imprimis quidem atque praecipue necnon iure merito εὐχαριστία vocatur, quia per excellentiam illud est, quod hoc nomine significatur: *bona gratia* atque etiam *gratiarum actio*. Et *bona gratia* quidem est, quia speciali modo tum boni tum gratiae rationem habet: rationem boni, quia, cum bonum sit communicativum sui, in hoc sacramento ipsa bonitas vel Deus ipse nobis se communicat; rationem gratiae vero, quia ipsum gratiae auctorem atque finem continet necnon multiplici modo gratiam in nobis efficit. Sed *gratiarum actio* quoque est, tum quia Christus panem accipiens, frangens atque gratias agens hoc sacramentum instituit, tum quia nobis est sacrificium excellentissimum in gratiarum actionem atque beneficium, quod gratissimo animo iugiter recolendum est. 1.

Deinde etiam εὐλογία vocatur secundum illud: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν (1. Cor. 10, 16); etenim benedictio est vel consecratio per excellentiam. Insuper *fractio* 2.

panis appellatur a ritu, qui in eo celebrando adhibetur; *corpus et sanguis* Christi a re, quam continet; *panis* a materia, ex qua conficitur vel ratiene speciei externae vel denique ratione virtutis suae, qua vitam supernaturalem conservat et auget (Ioan. 6, 52.; 1. Cor. 10, 16.); et ratione sacrificii, quo conficitur, *oblatio, sacramentum altaris, mensa Domini.* Tandem ratione summae excellentiae suae nominibus honorificentissimis a Patribus insignitur, quippe dicitur: *sancta, sancta sanctorum, sanctissimum, ineffabile, divinissimum, tremendum, horrendum,* „quod, ut Chrysostomus dicit, angeli videntes horrore replentur, nec respicere audent propter erumpentem exinde splendorem" (Hom. 82. in Matth. n. 5.).

3. Denique iis nominibus insignitur, quae refert et explicat *Catechismus Romanus*: „Vocatur . . . *communio*; quod verbum ex illo Apostoli loco (1 Cor. 10, 16.) sumptum esse liquet, ubi ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est! et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Nam, ut *Damascenus* (de orthod. fide l. 4. c. 13.) explanavit, hoc sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat et coniungit, et veluti unum corpus coagmentat. Ex quo factum est, ut *sacramentum* etiam *pacis et caritatis* diceretur, ut intelligeremus, quam indigni sint Christiani nomine, qui inimicitias exercent, ideoque dissidia et discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse, cum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio nihil nos studiosius servare, quam pacem et caritatem profiteamur. Sed *viaticum* etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur, tum quia spiritualis cibus est, quo in huius vitae peregrinatione sustentamur, tum quia vim nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri ecclesiae catholicae instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc sacramento e vita excedat. Ac vetustissimi quidem Patres, Apostoli auctoritatem secuti, *coenae* etiam nomine sacram eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio a Christo Domino sit instituta" (P. 2. c. 4. n. 4.).

2. *Finis huius sacramenti.* — Hue spectat im- 4.
primis egregia *S. Thomae(?)* expositio: „Contra triplex vetus malum institutum est hoc sacramentum. *Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem*: ecce prima causa, scilicet memoria Salvatoris contra oblivionem. *Quod pro vobis tradetur*, i. e. ut agnus Dei offeretur: ecce secunda causa, scilicet sacrificium altaris contra rapinam. *Accipite et comedite*: ecce tertia, scilicet cibus medicinalis contra corruptionem. Memoria ergo Salvatoris contra oblivionem est *prima causa*, ut hoc scilicet admoniti totam mentem et omnes sensus nostros, quos a Deo avertimus et cum pravis quandoque cogitationibus et delectationibus vagari permisimus, a noxiis abstrahentes integraliter ad Deum referamus . . . *Secunda causa institutionis* est sacrificium altaris contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam, ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali, sic offeratur iugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, et habeat in hoc ecclesia munus ad placandum sibi Deum super omnia legis sacrificia pretiosum et acceptum. Placebit Domino sacrificium Iuda, et Hierusalem quasi regis et militiae, id est Christi et ecclesiae (Malach. 3, 4.) . . . *Tertia institutionis causa* est cibus hominis, cibus, inquam, medicinalis contra panis mortiferi corruptionem, quae tam prava infusa est per primos parentes humano generi, ut esset incurabilis, nisi subveniretur medicina optima, quam posset facere prudentia Dei. *Altissimus de terra, id est, carne Virginis, creavit me divinam et vir prudens non abhorrebit eam. Ambrosius:* Corpus Christi medicina spiritualis est, quae cum reverentia degustata sibi devotos purificat" (De venerabili sacramento altaris c. 1.).

Simili ratione *Concilium Tridentinum:* „Ergo Salvator 5.
noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, *memoriam faciens mirabilium suorum* (Ps. 110, 4.) et in illius sumptione colere nos *sui memoriam* (1. Cor. 11, 24.) praecepit suamque *annuntiare mortem donec* ipse ad iudi-

candum mundum *veniat* (1. Cor. 11, 26.). Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem *animarum cibum*, quo alantur et confortentur (can. 5.) viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Ioan. 6, 58.), et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius *corporis*, cuius ipse caput (1. Cor. 11, 3.; Eph. 5, 23.) exsistit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut *idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata*" (cf. 1. Cor. 1, 10.). (Sess. 13. c. 2. coll. sess. 22. c. 1.).

6. *3. Fons atque radix huius sacramenti.* — Sicut cetera quaelibet dona supernaturalia ex amore manant Salvatoris nostri Dei-hominis, ita ss. eucharistiae sacramentum infinitae huius caritatis peculiare atque maxime egregium pignus et monumentum est. Quod vel maxime semper consideretur oportet, ut intellectus fidei acquiratur necnon difficultates et obiectiones, quae contra hoc dogma opponuntur, efficaciter removeantur. Revera caritatem illam tamquam radicem huius sacramenti insinuare videtur Evangelista, cum de ultima coena, in qua hoc sacramentum institutum est, acturus exorditur: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Ioan. 13, 1.). Eandem caritatem *concilium Tridentinum* prae oculis habet, quando declarat, in ss. sacramento Christum Deum hominem bonitatis suae divitias veluti effudisse (Sess. 13. c. 2.). Et *Augustinus* eandem caritatem aliquando celebrans declarat: „Quamvis Deus sit omnipotens, plus dare non potuit; quamvis infinite sapiens, plus dare nescivit; quamvis infinite dives, plura, quae daret, non habuit, quam quae in hoc mirabili mysterio donavit et quotidie donat." Sane hic semetipsum donat, divinitatem suam et humanitatem, carnem et sanguinem, corpus et animam. Merito igitur ss. eucharistia ab ecclesia vocatur mysterium amoris et a S. Bernardo amor amorum. Re enim vera ss. eucharistia omnium divini erga homines amoris operum

summa quasi et corona est. Sane quidem praecipua huius amoris opera recte recensentur: primo incarnatio Verbi aeterni: secundo vita mortalis Dei-hominis. in qua praeceptor noster, vitae exemplar, medicus noster et pastor exstitit atque benefaciendo pertransiit; tertio denique cruentum in cruce oblatum sacrificium, quo nos redimere dignatus est. Iamvero haec immensa beneficia, haec infiniti amoris documenta quodammodo continuantur, perficiuntur, absolvuntur, coronantur per ss. eucharistiae sacramentum. Etenim mysterium eucharisticum profecto est habitaculum Dei cum hominibus, et habitaculum quidem erectum non tantum in uno loco neque solum per triginta tres annos, sed in omni loco usque ad fines terrae et omni tempore usque ad mundi consummationem. Insuper idem mysterium sacrificium incruentum est Dei-hominis pro peccatis mundi, cruenti sacrificii incruenta renovatio. quae in omni loco quotidie instituitur. Denique sicut incarnatio ita ss. eucharistia unionem quandam coelestem Dei cum hominibus dicit. Etenim dum in incarnatione Verbum aeternum individuam aliquam naturam humanam assumpsit, in ss. eucharistia cum omnibus. qui volunt, se intime coniungit. Illic factus est similis nobis natura atque frater noster. hic tamquam sponsus coelestis nuptiali convivio nos excipit. Quanta igitur beneficentia. quanta caritas Christi erga homines in hoc ss. sacramento resplendent.

Verum considerandum insuper est ad hanc caritatem 7.
quadantenus mensurandam, *quanto quasi conatu vel labore Christus Deus-homo hoc mysterium amoris operetur.* Quemadmodum scilicet ingressus Dei-hominis in mundum maximis insignitur miraculis, ita ss. sacramentum quoque quasi catena miraculorum est. Quippe in quo omnes naturae leges quasi spernuntur et suspenduntur, ut una tantum lex vigeat. nimirum lex infinitae caritatis atque miserationis immensae. Etenim *in primis* secundum leges naturales sub speciebus sensibilibus connaturalis substantia est: in ss. vero eucharistia sub speciebus panis et vini post verba consecrationis ipse Christus vere et realiter adest cum divinitate et huma-

nitate, cum carne et sanguine; adeoque mirabili modo in sinu ecclesiae ille praesens est, qui aeterna generatione in sinu Patris latet et temporali nativitate e sinu matris prodivit. *Similiter* secundum leges naturales accidentia non subsistunt a substantia separata, neque corpus sine extensione locali neque unum idemque corpus in pluribus simul locis existere potest. In ss. vero eucharistia secundam divinam infallibilem fidem per decretum omnipotentis Dei accidentia panis et vini a substantia sua separata et sine ullo subiecto subsistunt; atque corpus Dei-hominis totum sub tota specie et totum sub qualibet eius parte existit: atque spirituali hoc modo non uno tantum loco, sed in omnibus usque ad fines terrae ecclesiis vere et realiter et substantialiter praesens est. *Denique* alia insuper plura miracula in ss. eucharistia animo humano cum stupore consideranda se offerunt, de quibus conferri possunt *S. Thomas* (opusc. de venerab. sacramento c. 11. ss.) et *Lessius* (de perfectionibus divinis l. 12. c. 16.). Quorsum autem stupenda haec legum naturalium quotidiana suspensio? Quare Deus haec tanta et tam stupenda quotidie patrat prodigia? Cur insuper tot atque tam nefandis in hoc ss. sacramento se exponit iniuriis? Ad has quaestiones, etiamsi mere scientifice vel theologice respondere velis, nulla alia occurrit ratio, quam infinita Dei-hominis Salvatoris erga ecclesiam sponsam suam dilectissimam caritas, de qua scriptura: *Christus dilexit ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea* (Eph. 5, 25.); et: *Deliciae meae esse cum filiis hominum* (Prov. 8. 31.). Quare caritas illa divino-humana etiam inquisitionibus theologicis tamquam stella rectrix praelucere debet.

8. ***4. SS. Eucharistiae excellentia.*** — Ex praecedentibus notationibus iam quadantenus intelligi potest, quanta sit ss. eucharistiae prae ceteris sacramentis praestantia. Quam *S. Thomas* praeclare sic exponit: „Sacramentum eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta, quod quidem tripliciter apparet. *Primo* quidem ex eo, quod in eo continetur: nam in sacramento eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo: semper autem, quod

est per essentiam. potius est eo. quod est per participationem. *Secundo* hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem; nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem: manifestum est enim. quod sacramentum ordmis ordinatur ad eucharistiae consecrationem: sacramentum vero baptismi ordinatur ad eucharistiae receptionem; in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem. ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento; per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi; matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi et ecclesiae, cuius unitas per sacramentum eucharistiae figuratur . . . *Tertio* hoc apparet ex ritu sacramentorum; nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur. sicut patet, quod ordinati communicant, et etiam baptizati, si fuerint adulti" (S. th. 3. p. q. 65. a. 3.).

5. Tempus institutionis ss. eucharistiae. — 9. Hoc ss. sacramentum convenienter in ultima coena institutum esse item *S. Thomas* praeclare exponit: „Convenienter hoc sacramentum institutum fuit in coena. in qua scilicet Christus ultimo cum suis discipulis fuit conversatus. *Primo* quidem ratione continentiae huius sacramenti: continetur enim ipse Christus in eucharistia sicut in sacramento. Et ideo. quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat. in sacramentali specie seipsum eis reliquit; sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Unde *Eusebius Emissenus* dicit, hom. 5. in Pascha, quae incipit: Magnitudo coelestium etc. parum a princip.: ‚Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, et illaturus sideribus. necesse erat ut die coenae sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret nobis. ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium.' *Secundo*, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus secundum illud Rom. 3, 25.: *Quem proponit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repraesentativum dominicae passionis: cuius in veteri quidem testamento praecipuum sacramentum erat agnus pa-

schalis. Unde et Apostolus dicit 1. Cor. 5, 7.: ,*Pascha nostrum immolatus est Christus.* Successit autem ei in novo testamento eucharistiae sacramentum, quod est rememorativum praeteritae passionis, sicut et illud fuit praefigurativum futurae. Et ideo convenieus fuit, ut imminente passione, celebrato priori sacramento, novum sacramentum institueret. Unde *Leo papa* dicit serm. 7. de pass. Dom. cap. 1. in fine, quod ut umbrae cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostia in hostiam transit; sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur'. *Tertio*, quia ea, quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recendentibus, magis memoriae commendantur, praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos; ea vero ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur, ut beatus *Alexander I. papa* dicit, epist. 1 ad omnes cap. 4.: ,nihil in sacrificis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est', ideo ut in maiore veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit. Et hoc est, quod Augustinus dicit in libro responsionum ad Ianuarium, epist. 54. al. 118. cap. 6. a med.: ,Salvator quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infligere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat" (S. th. 3. p. q. 73 a. 5.).

10. ***6. Typi ss. eucharistiam in v. L. praefigurantes.*** — De his typis succincte et egregie agit *S. Bonaventura.* Et imprimis quidem ss. sacramentum congrue praefiguratum esse declarat: „Illud sacramentum praefiguratum est et praefigurari debuit tum ratione suae dignitatis tum ratione difficultatis: ratione dignitatis, quia praedicatum et exspectatum erat sicut donum Dei excellentissimum . . .; ratione difficultatis, quia hoc inter sacramenta cetera est difficillimum ad credendum, imo inter cetera credibilia: ideo debuerunt homines ad hoc assuefieri quadam figurarum manuductione" (In 4. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1.). *Deinde* ss. eucharistiam per sacrificium Melchisedech, agnum et manna, necnon sanguinem passionis sufficienter vel congrue praefigura-

tam esse exponit: „Dicendum. quod Magister sufficienter assignat figuras in hoc sacramento habito respectu ad omnes leges. Nam in lege naturae ponit figuram sacrificium Melchisedech, et in lege Moysi agnum et manna (ad quae omnes oblationes et cibi reducuntur) et in lege gratiae sanguinem passionis. Et sufficientes sunt figurare, si attendamus ad ea, quae praesignantur. Nam in hoc sacramento est visibilis forma: et haec praesignata est in sacrificio Melchisedech; et est res contenta: et haec est praesignata in agno paschali; et res signata tantum: et haec est praesignata in manna; et virtus dans efficaciam: et haec est praesignata in sanguine, qui fluxit de latere Christi. Unde tres primae tenent rationem figurae. sed ultima magis tenet rationem causae; nihilominus habet rationem figurae pensatis circumstantiis, quoniam de passo et iam mortuo perfluxit sanguis et aqua" (Ibid. q. 2.). *Denique* speciatim de manna sic accuratius disserit: „Mystice per manna significabatur congrue Christus sub sacramento altaris. *Primo*, quia ipse est panis angelorum, scilicet sacerdotum, secundum illud: *Angelus Domini exercituum est* (Malach. 2, 7.). *Secundo*, quia coelitus paratur, id est, quia virtute coelesti conficitur, unde: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (Ioan. 6, 41.); *Parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius* (Ps. 64, 10.). *Tertio*, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, id est, devotione, reficiuntur, secundum illud: *Desiderium animae eius tribuisti ei* (Ps. 20, 3.); item: *Desiderium eorum attulit eius, non sunt fraudati a desiderio suo* (Ps. 77, 29—30.). *Quarto*, quia cum ipso rex gratiae descendit, et datur, sicut ad *eos cum manna descendebat*, ut habetur in numeris (11, 9.); et ideo panis iste eucharistia dicitur, eucharistia enim bona gratia interpretatur. *Quinto*, quia sicut apparebat manna ut semen coriandri albi, sic et Christus sub nebula candida sumitur: *Ecce nubem candidam, et supra nubem sedentem similem Filio hominis* (Apoc. 14, 14.). *Sexto*, quia sex diebus et non in sabbato colligebatur; sic Christus in praesenti sub sacramento sumitur. sed in futuro sabbato, de quo dicitur: *Erit sabbatum ex sabbato* (Isa.

66, 23.). ad faciem videbitur: tunc autem *facie ad faciem* (1. Cor. 13, 12.); item: *videbimus eum, sicuti est* (1. Ioan. 3. 2.). *Septimo*, quia usque ad ingressum terrae promissionis in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt: sic usque ad finem mundi in deserto huius mundi fideles ecclesiae nutriuntur, secundum illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 20.)" (Expos. in Sap. c. 16.).

11. *S. Thomae* quoque expositio de figuris ss. eucharistiae notanda est: „In hoc sacramento tria considerare possumus: scilicet id, quod est *sacramentum tantum*, quod est panis et vinum; et id quod est *res et sacramentum*, scilicet corpus Christi verum; et quod est *res tantum*, scilicet effectus huius sacramenti. Quantum igitur ad id, quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figurae eius fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti, praecipue sacrificium expiationis, quod erat sollemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit praecipua eius figura manna, quod *habebat in se omnis saporis suavitatem*, ut dicitur Sap. 16, 20., sicut et gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. — Sed agnus paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc sacramentum: quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Exodi 12, 8.: *Edent carnes . . . et azymos panes;* quantum vero ad secundum, quia incolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus: quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de aegyptiaca servitute; et quantum ad hoc ponitur praecipua figura huius sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsum repraesentat" (S. th. 3. p. q. 73. a. 6.).

12. ***7. Summa doctrinae catholicae atque tractatus divisio.*** — Doctrina catholica de augustissimo eucharistiae sacramento accurate est exposita a *Concilio Tri-*

dentino sessionibus 13. 21. 22. atque summa eiusdem his continetur: SS. eucharistia verum sacramentum simul et sacrificium est: in eadem Christus per transsubstantiationem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem eius vere praesens est totus sub totis speciebus et totus sub qualibet earum parte: atque quamdiu species non corrumpuntur, praesens manet cum humanitate et divinitate ideoque latriae cultu in hoc sacramento adorandus est. Cum cetera doctrinae capita realem praesentiam supponant et in ea innitantur, divisio tractatus commode sic instituitur, ut primo de reali praesentia, secundo de eucharistia, ut est sacramentum, tertio de eadem, ut est sacrificium, agatur. Quia vero sacrificium missae iam in speciali tractatu explicatum est, duplex solum in hoc tractatu restat examinanda quaestio:

Quaestio prima: De reali praesentia Christi in ss. eucharistia.

Quaestio secunda: De ss. eucharistia, ut est sacramentum.

Quaestio prima.

De reali praesentia Christi in ss. eucharistia.

Articulus primus

De ipsa realis praesentiae veritate.

Thesis 1. **Realis praesentiae veritas certo demonstratur ex verbis promissionis Ioan. 6, 48—59.**

Declaratio.

1. ***1. Argumentum et divisio quaestionis primae.*** — Circa realem Christi in ss. eucharistia praesentiam tria quaeri possunt atque investiganda sunt. Et *primo* quidem quaeritur, utrum reipsa Christus vere et realiter in hoc sacramento praesens sit; sive ipsa veritas realis praesentiae contra diversos haereticos demonstranda et vindicanda est. *Deinde* hac veritate demonstrata magis scholastice inquirendum erit, qua ratione Christus in eucharistia praesens sit: sive ex ratione fide illustrata aliqualis mirabilis huius praesentiae intelligentia, quantum fieri potest, haurienda est. *Denique* etiam modus, quo Christus in hoc sacramento praesens fiat, tum positive tum speculative investigandus erit, utpote qui non minus, quam ipsa realis praesentia, valde mirabilis esse continuo perspicitur. Unde triplex primae quaestionis exstat articulus:

Articulus primus: De ipsa realis praesentiae veritate.
Articulus secundus: De modo realis praesentiae.
Articulus tertius: De effectione realis praesentiae sive de transsubstantiatione.

2. ***Errores veritati realis praesentiae oppositi.*** — Ad saeculum IX. usque nulla proprie exstitit controversia ecclesiam inter et haereticos de realis praesentiae veritate. Iam saeculo I. quidem aliquae sectae (Docetae) exstiterunt, quae, quia veram et substantialem carnem a Filio Dei assumptam esse negabant, etiam dogma realis praesentiae infitiatae sunt, verum nunquam directe et expresse contra hoc dogma insurrexerunt. De iisdem refert S. *Ignatius:* „Non confitentur, eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro nobis passa est, et quam Pater sua bonitate suscitavit" (Ep. ad Smyrnenses n. 7.). 2.

Deinde *Manichaei* quoque realis praesentiae veritatem negarunt; verum illi sectam christianam proprie non constituerunt. Ipsis vero *Petrus Siculus* exprobat, quod divinam verecundamque sanctorum mysteriorum corporis et sanguinis Domini Dei nostri participationem aversantur; neque hoc contenti aliis quoque hanc sententiam suadendam putant, dicentes haud panem ac vinum a Domino discipulis suis in coena propositum sed symbolice verba sua tantummodo panis vinique loco dedisse" (Histor. Manich. apud Mai, Biblioth. nov. PP. tom. 4. p. 2. pag. 13.). 3.

Saeculo XI. autem idem dogma directe aggressus esse videtur *Ioannes Scotus Erigena.* Cuius liber quidem de eucharistia contra Paschasium Radbertum scriptus iam non exstat; attamen testibus Hincmaro Rhemensi (de praedestinatione c. 31.), Adrevaldo monacho (opuscul. de corpore et sanguine Domini contra ineptias I. Scoti, apud *d'Achéry,* spicilegium I. 150.), *Ascelino* (epistola ad Berengarium, apud *Mansi,* Collectio conciliorum 19. 777.) docuit, sacramentum altaris non verum corpus et sanguinem Domini sed tantum memoriam eorum esse atque omnia in hoc sacramento specie tantum, non autem rei veritate geri. Insuper liber ille Scoti de eucharistia in synodis Vercellensi, Parisiensi, Romana (1050) proscriptus atque in altera Romana (1059) flammis traditus est. 4.

Saeculo deinde XI. *Berengarius,* archidiaconus Andegavensis, catholicam de praesentia reali fidem aperte impugnavit. Verum neque multos habuit asseclas neque ullius 5.

sectae exstitit auctor, imo vero errorem suum postea retractavit. Error autem eius erat: panem et vinum ideo Christi carnem et sanguinem vocari, quia in memoriam crucifixae carnis et de latere effusi sanguinis in ecclesia celebrentur, ut per hoc admoniti dominicam passionem semper recolamus; neque aliter panem in corpus Christi, quam per transsubstantiationem quandam moralem vel elevationem panis ad virtutem supernaturalem a corpore Christi derivatam, propter quam panis appelletur corpus Christi (Cf. *Lanfrancus*, de corp. et sang. Christi: *Guitmundus*. de corp. et sang. Christi veritate, in *Hurter*, opusc. 38.).

6. Saeculo XII. et XIII. sectae quaedam, ut *Petrobrussiani*, *Albigenses*, *Waldenses* etc. veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia negarunt. Utrum *Wicleff* saeculi XIV praeter transsubstantiationem etiam realem praesentiam negaverit, non satis constare videtur. *Concilium* vero *Constantiense* utrumque dogma contra eum definivit (Denzinger. enchiridion[10], n. 580—83.).

7. Denique saeculo XVI. aperta prorupit atque pertinax huius dogmatis negatio atque impugnatio. Auctores et fautores huius erroris fuerunt, qui *sacramentarii* dicuntur, ex quibus *Zwinglius* et *Oecolampadius* Eucharistiam nihil nisi corporis Christi signum vel figuram, *Calvinus* vero eiusdem etiam virtutem esse statuerunt. *Lutherus* vero libenter quidem eosdem errores amplexus esset, cum dogma de reali praesentia cum eius erroribus de sola fide iustificante et de sacramentorum efficacia male cohaereat; verum evidentia verborum Christi (institutionis) victus vel etiam ex oppositione contra sacramentarios principatui suo obnoxios, ad illos errores non accessit, verum potius contra eos realem praesentiam (saltem in momento sumptionis) strenue defendit.[1])

[1]) In epistola ad Argentoratenses Lutherus haec scribit: Ich habe erfahren ..., dass bey Euch Doktor Karlstadt ein Rumor anrichtet mit seiner Schwärmerey vom Sacrament, von Bildern und Taufe; wie er denn anderswo auch than hat und mich schilt, als hab ich ihn aus dem Land vertrieben. Nun, meine allerliebsten Freunde, ich bin Euer Prediger nicht... Ich hoffe (aber), dass Ihr mich bisher in meinen Schriften habt erkannt, dass ich das Evangelium ..., so lauter und gewiss gehandelt hab.

Secta anglicana vivente Henrico VIII. fidem de reali 8.
praesentia retinuit, postea vero auctoribus Henrico Cranmer, Elisabetha regina aliisque penitus ex ea excidit et Lutheranis vel Calvinianis accessit. Eandem vero realis praesentiae fidem saeculo XIX. inter Anglicanos restaurare conati sunt, qui Tractariani necnon ii, qui Ritualistae vocantur.

Moderni tum Protestantes germani tum Anglicani pleri- 9.
que errori Calviniano adhaerent. Et de Anglicanis quidem testis exstat *liber precum* (editio latina parata a Bright et Medd) haec de ordine sacrae communionis notans: „Cum in hoc ordine administrandi cenam dominicam praescriptum sit, ut genuflexi eam percipiant communicantes, tamen, ne a quibusdam aut ex ignorantia et infirmitate aut ex malitia et pertinacia ea genuflexio prave intelligatur vel in peius detorqueatur: hic declaratur, nullam per eam intendi vel faciendam esse adorationem aut sacramentalis panis et vini ibi corporaliter acceptorum aut corporalis cuiusdam praesentiae carnis et sanguinis naturalium Christi. Sacramentalis enim panis et vinum in sua proprietate naturae vel substantiae permanent, ideoque ea adorare non licet . . .

---

dass ich darin unsträflich erfunden bin, und ja nit leugnen kann, dass ich ein unwürdiger Gezeug Gottes gewesen bin, dadurch er vielen geholfen hat. Welcher Stück noch keins hat wöllen recht vornehmen D. Karlstadt, auch nicht vermag, als ich jetzt aus seinem Schreiben sehe, dass ich wahrlich nit gemeint und gleich erschrocken bin, dass der Mann noch so tief liegt. . . . Das bekenne ich, dass wo D. Karlstadt oder Jemand anders vor 5 Jahren mich hätte mögen berichten, dass im Sacrament nichts denn Brod und Wein wäre, der hätte mir einen grossen Dienst gethan. Ich habe wohl so grosse Anfechtungen da gelitten und mich gerungen und gewunden, dass ich gerne herausgewesen wäre, weil ich wohl sehe, dass ich damit dem Pabstthumb hätte den grössten Puff können geben. Ich habe auch zween gehabt, die geschickter davon zu mir geschrieben haben dann D. Karlstadt und nicht also die Worte gemartert haben nach eigenem denken. Aber ich bin gefangen, kann nicht heraus; der Text (verba institutionis) ist zu gewaltig da und will sich mit Worten nit lassen aus dem Sinn reissen." (De Wette II. 576.) Neque tamen Lutherus puram doctrinam catholicam de ss. eucharistia professus est; verum tum in aliis capitibus fundamentalibus a catholico dogmate recessit, tum ipsam realem praesentiam ad tempus sumptionis absone restrinxit. (Cf. Von der Winkelmesse.)

Et Christi Salvatoris nostri naturale corpus et sanguis non hic, sed in coelo sunt; naturale enim Christi corpus in duobus simul locis consistere, salva eius veritate, dici non potest" (p. 161.). De Protestantibus vero idem testantur: Herzog, in Realenzyklopädie I² 43 ss.; Ebrard, das Dogma vom hl. Abendmahl; Nitzsch, Evangelische Dogmatik; Kaftan, Dogmatik.

10. ***3. Doctrina catholica.*** — Contra errores recensitos ecclesia catholica suam doctrinam diversis vicibus clare proposuit et vindicavit, ut in synodis adversus Berengarium habitis *Verrellensi* et *Romana* (1050.), *Turonensi* (1054.), altera et tertia *Romana* (1059. et 1078.); in conciliis *Florentino* et *Constantiensi* contra *Wicleff* doctrinam catholicam defendit; denique in *concilio Tridentino* dogma catholicum lucidissime vindicavit et definivit adversus *Sacramentarios* sive *Umbraticos:* „Principio docet sancta synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae eucharistiae sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri . . . Cum (verba institutionis) propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri, quae, tamquam *columna et firmamentum veritatis* (1. Tim. 3, 15.), haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper et memori animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens" (Sess. 13. c. 1.); et: „Si quis negaverit, in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, anathema sit" (can. 1.).

11. Itaque secundum dogma catholicum in ss. eucharistia duo elementa ab invicem discernenda sunt: alterum sensibile, quod speciebus panis et vini constituitur; alterum

suprasensibile et sola fide attingibile, quod nihil aliud quam corpus et sanguis Christi est. Scilicet sub speciebus illis sensibilibus in hoc sacramento corpus et sanguis Christi continentur, et continentur quidem *vere*, i. e. non symbolice tantum vel figurate; *realiter*, i. e. non morali dumtaxat existimatione externaque denominatione, quae positio excludit opinionem, secundum quam corpus et sanguis Christi fide tantum ideoque mentis perceptione vel logica existimatione et externa denominatione a fide desumpta praesentes sint; denique *substantialiter* continentur, hoc est in eucharistia ipsa substantia corporis et sanguinis Christi continetur, non solum autem virtus quaedam vivifica, quae ex eadem substantia in coelo existente in eucharistiam refundatur. Postremo corpus et sanguis Christi una cum anima et divinitate Christi continentur; et illa quidem *vi verborum* vel sacramentalis eorundem significationis, hae autem *per concomitantiam* i. e. propter substantialem cum illis unionem praesentes adsunt.

Iam haec doctrina in articulo primo demonstranda et vindicanda est primo ex verbis promissionis, secundo ex verbis institutionis, tertio ex traditione.

4. De oratione Christi eucharistica apud Ioannem c. 6. — Prima igitur catholici de praesentia reali dogmatis demonstratio instituitur ex oratione eucharistica apud Ioann. 6, 22—72 vel imprimis 48—60. Cum Protestantes quidem plerique negent, in hac oratione sermonem esse de sanctissima eucharistia mox instituenda, pauci tamen eorundem iique recentiores, ut *Olshausen*, *Köstlin*, *Delitzsch*, *Kahnis*, *Stier* evidentia rei coacti, in oratione illa eucharistiae institutionem promitti concedunt. Catholicorum vero theologorum communis et fere unanimis sententia est, in altera saltem illius orationis parte de eucharistia mox instituenda agi; pauci tantum fuerunt, qui „ut facilius respondeant Hussitis vel Lutheranis ex hoc capite probantibus communionem sub utraque specie, docuerunt non agi in hoc capite de sacramentali manducatione et potu corporis et sanguinis Domini. In hoc numero sunt *Gabriel* lect. 84. super 21.

can. missae, *Nicolaus Cusanus* ep. 7. ad Bohemos, *Thomas Cajetanus* in 3. p. q. 80. a. ultimo, *Ruardus Tapperus* in explicat. art. 15. Lovaniensium, *Ioannes Hesselius* in lib. de communione sub una specie, *Cornelius Iansenius* c. 59. concordiae" (*Bellarminus*, de eucharistia d. 1. c. 5.). Itaque polemica potius, quam exegetica ratione ducti pauci theologi catholici sermonem Christi eucharistiam spectare infitiati sunt ceteris magno consensu idem asserentibus. Quae cum ita sint, *Concilium Tridentinum* definire quidem noluit, sermonem Christi de manducatione sacramentali corporis et sanguinis eiusdem intelligendum esse; quod constat tum ex sess. 21. c. 1., ubi de sermone illo animadvertitur: „utcunque iuxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur", tum ex eiusdem concilii historia (cf. *Pallavicini*, H. C. T. l. 17. c. 11. col. l. 7. c. 16.). Verumtamen idem concilium tum l. c. tum sess. 13. c. 2. satis clare indicat, ex sua persuasione verba Christi proprio sensu de ss. eucharistia sumenda esse; atque etiam concilium Ephesinum necnon Nicaenum II. hoc sensu verba Christi iam intellexerunt. Atque hoc sensu eadem verba reipsa sumenda esse, ex ipsa demonstratione instituenda indubium atque certum erit. Quae demonstratio, ut efficacius et clarius institui possit, *brevis illius sermonis commentatio* praemittenda est.

13. *1) Occasio.* — Pridie eius diei, quo Iesus hunc sermonem habuit, miraculum multiplicationis panum patravit et noctu super mare ambulavit. Quibus miraculis Christo propositum erat, sibi auctoritatem apud Iudaeos atque etiam discipulos conciliare, ut magis credibilis ea doctrina appareret, quam die sequenti propositurus erat: *Amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis* (26.). Creando enim cibum temporalem potentiam absolutam et creatricem ostendit; et ambulando super mare se neque secundum corpus legibus naturalibus subiacere ad oculos demonstravit. Merito igitur sibi fidem postulare poterat, quodcunque circa humanitatem suam mysterium propositurus erat. Iam die ad haec miracula subsequenti Iudaei etiam visis iisdem prodigiis nihil nisi terrenum

et carnale de Christo sapientes et beneficia temporalia ab eo sperantes (cf. 6, 15. 26.) eum iterum conveniebant.

2) *Exordium sermonis.* — Iam Christus eos alloquens 14.
hortatur, ut potius vitae supernaturalis et donorum spiritualium curam habeant: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus* (27.). Panem igitur Christus promittit supernaturalem, sed, ut Iudaei cooperentur, enixe postulat. Iudaeis autem, quaenam opera specialia ab ipsis postulentur, sciscitantibus Iesus respondet praeprimis fidem postulari in ipsum Christum tamquam Dei legatum: *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Iesus et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (28—30.). Porro Iudaei signum postulant atque tale quidem, quale Moyses operatus est, cui ipsi credunt. Iesus autem eosdem corrigens dicit, neque Moysen ipsis manna dedisse, sed Deum potius; neque manna proprie esse cibum coelestem, sed illum, qui de coelo descendit et veram vitam largitur. Iudaei igitur hunc panem postulant, quamvis eiusdem naturam ignorent: *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de coelo dedit eis manducare* (Ex. 16, 13. 14.; Ps. 78, 24.). *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc* (30—35.).

3) *Prima pars sermonis.* — Iam Christus semetipsum 15.
clare ut panem vitae vivum et vivificum proponit, qui veram hominibus vitam largitur, atque sic veluti propositionem integri sermonis sui enuntiat: *Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam* (35.) Nemo autem, ita pergit Iesus, hoc pane saturatur, nisi qui credat; Iudaei vero non credunt, quia fidei gratiae resistunt: *Sed dixi vobis, quia et vidistis*

me, et non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foris, quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (36—41.). Iudaeis autem murmurantibus quia dixit: *ego descendi de coelo*, iterum fidei necessitatem urget: *Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, et dicebant: Nonne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de coelo descendi? Respondit ergo Iesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem; nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei* (Is. 54. 13.: Ir. 31, 34. 34.). *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam* (41—48.).

16. *4) Altera pars sermonis.* — Christus instantius iam inculcat, quod ab initio posuerat: scilicet se esse cibum verum: et deinde explicat, quomodo sit cibus coelestis. Nimirum in oppositione ad manna, de quo Iudaei gloriabantur, iterum panem de coelo descendentem annuntiat, qui panis verum sit atque perfectum manna atque eius naturae, ut mortem arceat et vitam praebeat: *Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (48—53.). Iudaei autem sensis suis carnalibus inhaerentes his Christi verbis auditis exclamant: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sc. litigant de modo, quo id

fieri possit; quod manifestum signum est, verba Christi a Iudaeis proprio sensu accepta esse (52.). Iesus autem, quae dixerat, non correxit; verba sua metaphorice accipienda esse nequaquam dixit vel innuit; sed carnem suam manducandam, sanguinem suum libendum esse iterum iterumque inculcat: *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me ipse vivet propter me* (54—57.). Denique Iesus resumit quasi propositionem v. 33. statutam eamque iterum inculcat: *Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (58.).

5) Finis et effectus sermonis. — Multis discipulis de 17.
duritate sermonis murmurantibus et abeuntibus Iesus ad ascensionem suam provocando explicat, non agi de manducatione carnis suae, in quantum est passibilis, sed de carne, in quantum sub influxu divinitatis facta est quodammodo res spiritualis et deificata. Postremo causam infidelitatis et resistentiae Iudaeorum detegit: *Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo am-*

bulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat trasditurus eum, cum esset unus ex duodecim" (61—72.).

18. 5) *Duplex theologorum catholicorum de hac Christi oratione sententia.* — Inter theologos catholicos, qui in alterius partis indole eucharistica asserenda penitus consentiunt, aliqua circa primam partem est differentia. Sunt, qui dicant, Christum in prima parte se proponere ut panem vitae, quatenus obiectum fidei est: in altera vero parte ut cibum eucharisticum sacramentaliter manducandum. Alii vero asseverant, Christum tum in altera tum in prima quoque parte sub eadem ratione se ut panem vitae proponere, scilicet ut cibum eucharisticum sacramentaliter manducandum. Iamvero haec altera sententia multo probabilior et verior apparet; etenim:

a) Christus iam in sermonis exordio se cibum aliquem vitae aeternae in futuro daturum esse promittit: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis* (v. 27.). Iamvero cibus tum nondum datus atque in futuro tantum dandus nequit esse alius, quam cibus eucharisticus: nequaquam autem esse intelligitur fides vel Christus ut obiectum fidei, utpote qui cibus iam propositus et multis saltem etiam reipsa datus erat.

19. b) Idem per totum orationis nexum et tenorem evinci videtur. Etenim, ut ex commentatione facta satis elucet: Christus ab initio promittit panem coelestem et verum: deinde semetipsum illum panem esse declarat: tandem explicat, qua ratione panis sit vitae et coelestis, scilicet quatenus caro eius manducanda est; denique postquam delaravit, carnem suam esse manducandam ad propositionem totius orationis redit et concludit *Hic est panis, qui de coelo descendit.* Comparentur cum invicem vv. 27 32. 23. 35. 48. 50. 51. 55—59.

c) Quae vero Christus de fide dicit, non eo spectant, ut 20.
tamquam fidei obiectum cibus esse intelligatur: sed fides tamquam conditio praerequisita vel medium exhibetur ad panem illum accipiendum et cum fructu sumendum. Quod ex ipso contextu apparet et inde confirmatur, quia nunquam Christus se panem vel aquam dicit, quatenus obiectum fidei est.

Immerito obiicerentur verba Christi: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet unquam* (35.): nam sensus horum verborum est: Eiusmodi homo non esuriet neque sitiet, quia carne mea tamquam cibo et sanguine meo tamquam potu satiabitur.

Ceterum in utraque sententia notata argumentatio quoad substantiam eadem manet, utpote quae inprimis ex altera sermonis parte derivatur; verumtamen in sententia statuta demonstratio luculentior apparet et magis rigorosa.

Demonstratio.

1. Probatur ex verbis in se inspectis. — Omnis 21.
sermo humanus in sensu proprio et obvio accipiendus est, si verba hoc sensu accepta perfectam claritatem habent atque insuper nulla ratio exstat, quae sensum improprium et metaphoricum postulet. Atqui ita res se habet spectato Christi sermone. Ergo hic sermo sensu proprio et obvio accipiendus est; atque propterea Christus in ss. eucharistia secundum carnem et sanguinem vere et realiter praesens esse credendus est. Minor argumenti facile probatur quoad utramque partem:

1) Verba Christi proprio sensu accepta clarissima sunt. — Et haec quidem pars utpote per se clara demonstratione non indiget. Recte ita *Maldonatus*: „Si Christus de sacramento Eucharistiae agere voluisset illudque omnino depingere, quibus clarioribus verbis uti potuisset? Cur carnem et sanguinem, cur esum et potum distinxit? Nisi quia de carne et sanguine suis ad modum cibi et potus specie panis et vini

dandis loquebatur . . . Cum sacramentum paulo post eucharistiae instituerit, ubi tam aperte tam proprie manducamus et bibimus, non intelligo, cuius sit iudicii atque prudentiae, relictis, quae clara, quae propria, quae facilia sunt, obscura, metaphorica, difficilia consectari . . ." (In h. l.).

22. 2) *Nulla ratio est recedendi ab hoc sensu proprio et clarissimo.* — Etenim tres imprimis adduenuntur rationes, ob quas sensus proprius et obvius relinguendus, sensus vero metaphoricus amplectendus sit: *prima* est, quod Iudaei verba Christi intelligere non potuerint, si sensu obvio et proprio sumenda erant; *secunda*, quod Christus alium et diversum modum loquendi adhibet hic de cibo coelesti agens et postea eucharistiam instituens; cum enim hic terminum *caro* adhibeat, illic verbo *corpus* utitur, quae diversitas proprium sensum excludere videatur; *tertia*, quod ex ipso contextu sermonis Christi suaderi videtur, verba eiusdem metaphorice de fide in ipsum vel in mortem ipsius accipienda esse. Iamvero has rationes omni virtute destitutas esse, consideranti facile patet:

a) *Patet de prima:* Etenim *primo* Iudaei verba Christi reipsa sensu obvio et proprio acceperunt: ergo sermo Christi obscurior fuisset et minus intelligibilis, si ex intentione Christi sensu metaphorico accipiendus fuisset. *Praeterea* sensus metaphoricus, quem verba Christi in lingua, qua utebatur, fudissent, plane absurdus fuisset, ut infra in alio argumento exponetur: scilicet expressio *carnem alicuius comedere* in lingua hebraica, si quidem metaphorice adhibeatur, nihil aliud significat, nisi eundem *odio prosequi*. *Deinde* vero, quod Christus mysterium propositum non magis explicavit, diversa ex ratione factum esse intelligitur, ut v. g.: primo ad puniendam incredulitatem et duritiam cordis Iudaeorum (cf. Matth. 13, 13: Ioan. 8. diversis locis); secundo ad discipulos cupidos reddendos discendi plura de mysterio proposito, ut Chrysostomus animadvertit (In h. l.). *Ceterum* Christus tum Iudaeos tum discipulos iam antea et miraculis patratis et fide instanter postulata ad doctrinam miram et incomprehensibilem audiendam satis praeparaverat.

b) *Idem patet de altera:* Nam, *primo* quod Christus in 23.
hoc sermone vocabulo *carnis* vel σάρξ, in institutione autem vocabulo *corporis* vel σῶμα utitur, essentialem differentiam non facit, quia sane et caro et corpus Christi aeque bene cibus dici possunt. *Praeterea* sicut caro generatim in N. T. pro corporali natura, ita caro Christi saepe pro humana eius natura usurpatur, ut v. g. Ioan. 1, 14; 1. Pet. 3, 18: Eph. 2, 14: Heb. 10, 20. Et sane in sermone Christi, de quo agitur, caro viva intelligitur, ergo totum corpus Christi: quod fideles sumendo et carnem manducant et sanguinem bibunt. Quare Christus etiam simpliciter dicit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (6, 58.).

c) *Idem denique de tertia ratione manifestum est;* vi- 24.
delicet verba illa Christi de fide in ipsum vel mortem eius intelligi nequeunt. Verum quidem est, doctrinam vel sapientiam sub symbolo panis comedendi et vini bibendi exhiberi posse et in scriptura reipsa aliquando exhiberi, ut Prov. 9, 5.; Eccl. 24, 29.: 15, 3.: verumtamen hinc obiectio facta nihil iuvatur. Etenim *primo* haec metaphora facile intelligitur, quia de re spirituali agitur, quae propria manducatione manducare sane nequit. Sed aliud prorsus est, personam in propria natura adstantem se dicere panem manducandum vel distinctius etiam: hunc panem manducandum esse suam carnem: talis sermo metaphorice de fide in illam personam sumi nequit, quia eiusmodi metaphora prorsus inaudita est, atque non solum aliena a scriptura, sed etiam incognita in omnibus linguis vel apud audacissimos poëtas esse invenitur. — *Praeterea* supposita hac metaphora ista toties repetita atque diligens inter manducationem carnis et sanguinis potionem distinctio omni sensu prorsus caret, quod de sermone Christi vel suspicari nefas prorsus est. — *Deinde* eadem metaphorica acceptione supposita etiam divinitas Christi manducanda et bibenda esset: nulla igitur ratio esset, loquendi semper de sola carne et de solo sanguine. — *Tandem* dato non concesso, Christum in priore sermonis parte se proponere tamquam cibum, quatenus fidei obiectum est; de altera saltem parte idipsum nonnisi incohaerenter dici potest, imo

vero prorsus impossibile apparet. Nimirum suppositione hac facta Christus. postquam in prima parte se proposuit ut cibum verum tamquam obiectum fidei atque deinde idipsum fidem in se postulando atque inculcando clare explicavit: in altera parte ad metaphoras rediret et his cumulatis, quod prius clarissime iam proposuerat. idem nunc obscurissime et inintelligibiliter prorsus diceret: nulla enim in altera parte fidei mentio fit. nulla eius vel suspicio movetur: denique ut est veritas et obiectum fidei recte quidem cibus vel potus, sed nonnisi absone caro et sanguis diceretur. Ceterum. ut supra dictum est, Christus neque in prima parte se ut cibum proposuit. quatenus fidei obiectum est.

2. Ex repugnantia sensus metaphorici. — **25.** Verba Christi sensu proprio accipienda sunt, si sensus metaphoricus aut nullus aut penitus absurdus est: atqui ita res se habet; ergo. Nimirum quemadmodum cuiusvis sermonis. ita etiam sermonis metaphorici supremus canon usu constituitur atque consuetudine loquendi: qui igitur vocabulis vel phrasibus sensum metaphoricum tribuit. quem ex usu non habent. non intelligitur. Iamvero spectato usu phrasis *carnem manducare* metaphoricum sensum fundit. qui in oratione Christi, si contextus prae oculis habetur. penitus absurdus est: altera autem phrasis *sanguinem bibere* nunquam fere metaphorice vel ad summum eo sensu adhibetur. qui pariter cum sermone Christi penitus pugnat. Ergo verba Christi proprio sensu accipienda sunt.

1) Probatur minoris prima pars. — Locutio haec complexa *carnem alicuius manducare* ex usu linguae chaldaicae. qua Christus usus est, sensum metaphoricum habet quidem. sed non alium quam hunc: *saevire in aliquem. summo odio prosequi contumeliis et calumniis afficere* Revera *primo* hic usus in ipsis scripturis observatur et ab omnibus agnoscitur. ut v. g Ps. 26. 2: *Dum appropiant super me nocentes. ut edant carnes meas:* et Iob 19. 22.: *Quare me persequimini sicut Deus et carnibus meis saturamini.* Cf. Eccl. 4. 5.; Mich. 3, 3. Verba ex libro Iob adducta *Knabenbauer* sic exponit: „Metaphora a ferarum more decerpta dicit aliquem

pessime affligere (Mich. 3, 3.), verbis eum decerpere (Ps. 26, 2.; Gal. 5, 15.), praesertim calumniis praescindere (cf. Dan. 3, 8.; 6, 24. chaldaice; manducaverunt frusta eius, i. e. falso accusabant eum graece διέβαλον). Hanc sermonis semitici metaphoram et veteres et recentiores agnoscunt." Revera quod chaldaice legitur (Dan. 3, 8.; 6, 24.) *manducare frusta (carnem) Iudaeorum, Danielis*, septuaginta interpretes verterunt διαβάλλειν, Vulgata autem *accusare* transtulit. Denique similiter Lexicographi sub voce *akhal* (verbum) et *qeres* (subst.), ut v. g. *Winer*, Lexicon manuale hebr. et chald.: „Hinc tropice *àkhal qarsê di:* alicuius frusta comedere, qua phrasi etiam in Targum et in novo testamento syriaco frequentata obtrectatio et calumnia exprimitur. Assimilantur scilicet calumniatores, obtrectatores et sycophantae canibus rabidis, qui frusta corporibus avulsa avide devorant." — Praeterea revera eadem metaphora in lingua syriaca adhibetur. Quod enim in novo testamento graece legitur κατηγορεῖν, διαβάλλειν, in syriaca versione transfertur: *frusta alicuius comedere* (cf. Matth 12, 20.; 27, 12.; Marc. 15, 3.; Luc. 6, 7.; 11, 54.; 16, 1.). Et diabolus in lingua syriaca *okhel qarso* i. e. devorator carnis dicitur (cf. Matth. 4, 1.; Luc. 4, 2.; Act. 13, 10.; 4, 27.). — Denique lingua arabica eandem metaphoram habet. Sic in libro *Koran* haec leguntur: „Ne alter de altero absente male loquatur? Numquid vestrum aliquis libenter carnem fratris sui comederet, si hic mortuus? Profecto hoc abominaremini." Et iterum: „Ieiuno, inquis, atque nihilominus carnem tui fratris comedis." Similiter apud alios auctores arabes haec metaphora frequenter invenitur. Cf. Wiseman, lectiones de reali praesentia, germanice Ratisbonae 1844.

Excipi potest contra hanc demonstrationem ex Iob 31, 31.: 26. *Dixerunt nisi tabernaculi mei: quis det de carnibus eius, ut saturemur?* Scilicet his verbis dici videtur, servos Iob tanto erga eum amore flagrasse, ut prae nimio amore eum comedere vellent. — Verum recte hac de re Cardinalis *Franzelin:* „Huius loci multiplex est etiam apud ss. Patres interpretatio: alii enim intelligunt, verba esse odii domesticorum adversus

Iob (vide S. Gregor. Moral. l. 22. c. 13. n. 26.); alii item de odio interpretantes, pronomen *eius* referunt non ad Iob sed ad eius hostes; alii recentiores intelligunt non carnes Iob vel inimicorum eius sed liberalem victum hospitibus et pauperibus ab ipso suppeditatum; hebraice enim est: quis dabit (reperiet aliquem), qui de carne (victu) eius non sit saturatus? Postremo alii etiam ex Patribus interpretantur de amore flagrantissimo domesticorum erga Iob, quo sensu in s. liturgia quoque verba accomodantur vel explicantur de eucharistia. Primae duae interpretationes confirmant, quod diximus. in tertia locus huc non pertinet, quarta denique derivata est ex ipsis Christi salvatoris verbis. Tum vero verba, si accipiuntur sensu litterali vel typico ut prophetica. non metaphorica sed propria significatione explicari debere, demonstrat mysterium ipsum. ad quod referuntur" (Thesis III, n. II. nota.). Ad haec *notandum est*, Christum non tantum vocabulo φαγεῖν, sed etiam termino τρώγειν uti, quod proxime *rodere* significat atque a sensu illo metaphorico alienum est et esum proprie dictum postulat atque urget.

27. 2) *Probatur minoris altera pars.* — Locutio *sanguinem bibere* nunquam adhibetur metaphorice, nisi forte, ut significetur poena gravissima. Ita Is. 49. 26.: „*Et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus fortis Iacob.*" Et Apocal. 16, 4.: „*Et tertius effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum et factus est sanguis. Et audivi angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine, qui es et qui eras; sanctus, qui haec iudicasti; quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere; digni enim sunt. Et audivi alterum ab altari dicentem. Etiam, Domine, Deus omnipotens, vera et iusta iudicia tua.*"

Iamvero sensus isti metaphorici illarum expressionum, si in oratione Christi supponantur, eandem penitus absonam et absurdam reddunt. Neque vero alius sensus metaphoricus in eadem oratione supponi potest. Etenim sensus metaphoricus non pro lubitu fingitur vel verbis imponitur, sed per

usum loquendi determinatur; secus enim sermo humanus contra finem suum non intelligeretur. Ex eadem ratione necesse est, ut in prolixiore oratione coram auditoribus diversae indolis conditionis et culturae animi habita locutiones metaphoricae non solae, sed una cum propriis adhibeantur; insuper ne eaedem metaphorae, maxime si impeditae et insolitae sunt, continuo recurrant, verum ut cum aliis permutentur; secus enim oratio impedita, tarda, obscura erit necnon quodvis auditoribus medium atque indicium deficiet, quo sensum metaphoricum percipiant atque loquentis mentem perspiciant. Iamvero Christúm in oratione illa gravissima ita absone atque contra quemvis sermonis humani scopum atque indolem processisse nonnisi absurde cogitari potest. Cum igitur sensus metaphoricus usitatus ex sua parte absurdus, et ex altera parte quivis alius sensus metaphoricus obscurus imo inintelligibilis sit, nihil restat, nisi ut sermo Christi immediato et proprio sensu accipiatur.

28. ***3. Ex adiunctis sermonis Christi.*** — Adiuncta, quae hic spectamus, maxime continentur primo in ratione, qua Iudaei sermonem Christi exceperunt; secundo in modo, quo Apostoli et discipuli Christi eiusdem verbis auditis se gesserunt; denique in modo procedendi, quem illis suppositis secutus est ipse Christus. Ex quibus bipartitum vel tripartitum argumentum exsistit.

1) *Probatur ex ratione, qua Iudaei Christi sermonem acceperunt.* — Nimirum Iudaei verba Christi: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* sensu obvio et proprio acceperunt; etenim nonnisi ideo contra possibilitatem promissionis Christi recalcitrantes exceperunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quid vero Christus? Scilicet hanc ipsam Iudaeorum exceptionem contra promissionem suam obvio et proprio sensu acceptam assumit atque assertione sexies repetita graviter, sollemniter et instantius atque distinctius semper eandem promissionem suam repetit atque necessitatem rei promissae inculcat. Reipsa „est veluti climax quaedam in ratione ac fine et sanctione man-

dati, quo Dominus praecipit manducationem carnis suae. Primo praecipit sub comminatione mortis spiritualis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* secundo sub promissione conservationis vitae aeternae: *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam*; tertio sub intensiva affirmatione proprietatis cibi ac potus: *caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus;* quarto sub declaratione effectus, qui est mansio nostri in Christo et Christi in nobis: *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo;* ex qua mansione quinto consequitur secundum similitudinem cum divino archetypo unitatis Patris et Filii, communicatio et derivatio vitae a Christo in manducantem: *sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me.* Hunc in modum affirmato eo, quod Iudaei fieri posse negaverant: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* tandem concludit totam orationem repetitis fere iisdem verbis, quae dixerat ante obiectionem Iudaeorum: „*hic* (ita nunc declaratus) *est panis, qui de coelo descendit . . . qui manducat hunc panem vivet in aeternum*“ (*Franzellin*, Thesis 3, I. n. 4.). En igitur sollemnis et instantissima confirmatio sensus, quem intellexerunt Iudaei; hi vero de vera et propria manducatione verae et substantialis carnis Christi intellexerunt. Iamvero his omnibus sensus quivis metaphoricus verborum Christi exclusus esse manifesto intelligitur. Etenim Iudaei certe sine ulla sua culpa Christi verba sensu obvio et proprio intellexerunt neque ullo pacto sensum metaphoricum nunquam antea usurpatum vel auditum suspicare potuerunt; si igitur Christus nihilominus verba sua metaphorice accipi volebat, Iudaeorum errorem corrigere prorsus debuit. Atqui Christus nihil eiusmodi fecit, imo vero verborum suorum veritatem instantius inculcat et confirmat atque id ipsum fieri debere sollemniter asseverat, quod Iudaei fieri posse negabant. Ergo verba Christi nullo pacto sensu ullo metaphorico, sed proprio accipienda sunt.

Sane quidem considerata praesertim persona Christi acceptio **29.** verborum Christi in sensu metaphorico ab adversariis obtruso, manifesto absona et absurda et blasphema esse intelligitur. Scilicet secundum hunc sensum metaphoricum ab adversariis assertum Christus sermonem, quem Iudaei proprio sensu acceperunt neque alio vel metaphorico sensu accipere potuerunt, non corrigit neque ab inchoata sermonis forma desistit; sed in eadem forma persistens, quod dixerat et offensionem moverat, saepius repetit et instantius inculcat, sensum verbis suis subiiciens metaphoricum nemini intelligibilem, quo nihil aliud exprimeretur nisi illud, quod antea iam clarissime expressum erat, scilicet in ipsum esse credendum. Iamvero eiusmodi sermo vel plane stultus vel callide ad decipiendum compositus dicendus foret; quorum primum cum infinita Christi sapientia, alterum cum immensa eiusdem bonitate et absoluta veracitate prorsus pugnat. Ergo sermo Christi recte et secundum Christi intentionem sensu obvio et proprio acceptus est.

2) Ex modo agendi discipulorum et Christi cum ipsis. — **30.** Nimirum non solum Iudaei sed discipuli quoque multi Christi sermonem eiusdem obvio et proprio sensu acceperunt et propterea eundem durum esse invenerunt atque propter difficultatem rei propositae intellectum suum auctoritati Christi in obsequium fidei submittere detrectarunt: *Multi audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Neque tamen Christus vel in discipulis suis hunc verborum suorum intellectum corrigit, sed contra eundem confirmat, fidem postulat atque ad futuram suam assensionem necnon ad divinam suam originem appellat: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Scilicet ad mysterium carnis duplex: alterum glorificationis et ascensionis, alterum ipsius incarnationis provocat, quibus tertium eiusdem carnis mysterium i. e. status vel manducatio sacramentalis credibile redderetur. Quare pergens in conatu removendi scandalum conceptum addit: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam;* i. e. „licet natura carnis per se vivificare nequeat, id ipsum tamen

praestat Verbum vivificum in se habens et totam eius efficacitatem proferens" (Cyrillus in h. l.). Atque ulterius confirmans, quae dixit, graviter addit: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* i. e.: verba mea in eo, qui ea fideliter suscipit, spiritus et vita fiunt, cum praestent vel efficiant, quod promittunt vel enuntiant. Quibus declaratis iterum igitur fidem in verba sua postulat: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt . . . Propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Verumtamen fidem recusantes *ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant.* Neque autem vel haec multorum discipulorum defectio Christum movit, ut verba sua emolliret vel intellectum eorum corrigeret; sed eosdem abire sivit. Imo vero immobiliter perstans in doctrina proposita vel ipsos Apostolos interrogat, num et ipsi propter doctrinae propositae difficultatem abire velint, paratus scilicet etiam ipsorum Apostolorum defectionem subire potius, quam doctrinam suam revocare vel mutare: *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?*

31. Iamvero haec tota Christi agendi ratio ad evidentiam usque ostendit, auditores verba Salvatoris prorsus recte et secundum intentionem eiusdem sensu obvio et proprio accepisse. Si enim verba Christi metaphorice de fide in ipsum accipienda fuissent, tota Christi agendi ratio non solum intelligibilis, sed absona et crudelis appareret et reipsa fuisset: quod absit. Scilicet ex sententia adversariorum causa scandali et defectionis discipulorum in errore continebatur necessario orto ex propria verborum Christi acceptione, quae aliter accipere non poterant; Christus vero hunc errorem facillime simplici declaratione corrigere potens reipsa non correxit, imo vero tota sua loquendi et agendi ratione confirmavit ideoque ipsos discipulos ad defectionem efficacissime movit et compulit. Atqui eiusmodi agendi ratio manifesto pugnat cum interna indole cuiusvis hominis aequi, boni, prudentis: nedum conciliari potest cum infinita aequitate, bonitate, sapientia divina magistri, qui est *via, veritas et vita,* qui *in mundum venit, ut testimonium perhiberet veritati,* qui *venit*

salvum facere, quod perierat, qui missus est in mundum. *non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ergo.

3) Confirmatur et illustratur utraque ratio ex consueta 32.
Christi Salvatoris docendi ratione. — Etenim ex una parte Christus, si auditores doctrinam suam non assequebantur vel praepostero sensu intelligentes varias contra eam difficultates movebant, explicationes adhibebat et declarationes solvendis difficultatibus opportunas; cum e. g. verba ex intentione sua metaphorice intelligenda praepostere sensu proprio accipiebant, errorem data explicatione corrigebat, saltem si auditores non ex animo calumniandi, sed ex ignorantia agebant, ut patet v. g. ex Matth. 16, 6. ss.; Ioan. 3, 3. ss.; 4, 31.ss.: 8, 21. ss.: 8, 39. ss.; 8, 57. ss.; 11, 11. ss. — Contra vero, si auditores Christi ipsius doctrinam mente et intelligentia rite consequebantur, sed contra eam propter eiusdem difficultatem recalcitrabant, Christus respondendo eam repetebat, confirmabat, inculcabat atque simplicem fidem expostulabat, ut constat v. g. ex Matth. 9, 2. ss.· Ioan. 6, 42. ss.: 8. 12. ss.; 8, 56. ss. Iamvero cum hac consueta Christi Domini agendi et docendi ratione prorsus pugnat positio adversariorum, nostra vero perfecte consona est. Ergo.

Denique ex consuetudine Evangelistae quoque confirmatio 33.
aliqua derivari potest. Nimirum et Evangelista, quando verba Christi ab auditoribus praepostero sensu accipiebantur vel praeposterae acceptioni tantum obnoxia erant, errorem corrigere atque rectum illorum intellectum adnotare solet, ut patet v. g. ex 2, 19. ss. et 7. 38. ss. Nihil vero eiusmodi fecit circa sermonem Christi, de quo agitur. Ergo.

Excipi potest contra hanc argumentationis confirma- 34.
tionem, fundamentum eiusdem infirmum atque labile videri: Iudaei enim circa manducationis modum errasse videntur opinantes carnem Christi ad modum aliorum ciborum, qui in frusta dividuntur, dentibus conteruntur, digeruntur, manducandam fore; neque tamen Christus hanc falsam et carnalem intelligentiam correxit: similiter alias falsam Iudaeorum verborum suorum interpretationem non correxit (cf. Ioan. 2,

19. ss.; Matth. 15, 11. ss.); ergo. — *R. Primo* Christus in sermone, de quo agitur, de manducationis obiecto vel facto, non modo agit; quare ille error de manducationis modo ipsis Iudaeis adscribendus est, qui praecipitatione iudicii peccabant. Reipsa nihil in toto Christi sermone invenitur, quod carnalem illum Iudaeorum sensum postulet vel tantum commendet. Eiusmodi autem errorem, quamdiu non de manducationis modo, sed obiecto vel facto agebatur, Christus permittere sane potuit, maxime quia tantus magister non debet statim quaestionibus satisfacere nondum necessariis ex incredulitate ortis; sed prius fidem circa manducationis obiectum vel factum postulare potuit, modum manducationis postea opportuna occasione declaraturus. Apposite *Chrysostomus:* „Certe oportebat eos opportunum tempus exspectare et interrogare et non discedere. *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* hoc est, divina et spiritualia sunt, nihil carnale habentia neque naturalem consequentiam, quae omni hac necessitate sunt libera et leges harum rerum (terrenarum) transcendunt, alium vero eminentem intellectum habent" (Hom. 47. in Ioan.). Itaque quod manducationis modum attinet, Christus tantum permisit errorem, quem permittere potuit; si vero auditores eiusdem circa manducationis obiectum vel factum errassent, hunc errorem Christus non solum permisisset, sed eiusdem causa efficax exstitisset, quod cum infinita eius sanctitate, veracitate, bonitate repugnat. — *Tandem,* quod Christus etiam alias non correxit sed permisit falsam suorum verborum interpretationem a Iudaeis factam inde explicatur, quod vel nimis manifesta erat mala Iudaeorum fides, vel de re minoris momenti agebatur: nunquam autem neque in re minima causa efficax erroris exstitit, neque sane exstare potuit. Ceterum quod *denique* ipsum manducationis modum attinet, Christus se non illo carnali Iudaeorum sensu, sed altiori et spirituali quamvis vero et reali modo manducandum fore sâtis innuit verbis: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (v. 63.). Apposite *Augustinus:* „Quid est ergo: *non prodest quidquam caro?* Non prodest

quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe eius intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde eis dictum est: *caro non prodest quidquam,* quomodo dictum est: *scientia inflat* . . . Quid est: *scientia inflat?* Sola, sine caritate: ideo adiunxit: *caritas vero aedificat.* Adde ergo scientiae caritatem et utilis erit scientia, non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc: caro non prodest quidquam, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem et prodest plurimum . . . *Spiritus ergo est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam:* sicut illi intellexerunt carnem: sic ego do ad manducandum carnem meam". (In Ioan. tract. 27. n. 5. ss.).

Scholion.

1. Obiectiones solvuntur. — Praeter obiectiones in ipsa iam demonstratione remotas, aliae quaedam solvendae restant: 35.

1) *Ea verborum scripturae, quae multiplicem iisdem adhibere debet circumscriptionem, legitima esse nequit: talis autem est explicatio in thesi proposita.* Nimirum ea explicatione supposita dicendum est, omnibus omnino carnem Christi manducantibus asseveranter vitam aeternam promitti: praeterea vero omnibus eam non manducantibus vitam eandem abiudicari; denique effectum illum annexum tantum esse sumptioni utriusque speciei sacramentalis, cum Christus postulet, tum ut caro sua manducetur, tum ut sanguis suus bibatur. Atqui haec omnia pleno sensu sumpta falsa sunt vel multipliciter limitari et circumscribi debent: scilicet primo non omnes sacram synaxin peragentes vitam aeternam habebunt: praeterea vicissim non omnes, qui ss. eucharistiae participes non fuerunt, vita carebunt; denique ex ipsa doctrina catholica neque sumptio utriusque speciei sacramentalis ad vitam aeternam possidendam necessaria est. Ergo. — *R. Imprimis* ipsum fundamentum huius obiectionis falsum est, cum persaepe ex ipsis scripturis eiusmodi verborum scripturae circumscriptiones necessariae esse demonstrentur.

Deinde vero concesso fundamento Protestantes sic obiicientes etiam suam opinionem deponere constringuntur. Cum enim ex eorum opinione Ioan. 6. de sola fide in Christum sermo sit, neminem sine eadem vitam habiturum esse concludere debent; quod tamen non concludunt, cum infantibus baptizatis morientibus vitam aeternam adscribant. Ergo aut hanc doctrinam deserere aut ipsi quoque verba Christi circumscribere debent. *Denique* falum est, interpretationem verborum Christi propositam multiplicem circumscriptionem vel violentiam Christi verbis afferre; verum potius eadem sponte prorsus ex textu et contextu derivatur.

36. Videlicet *primo,* quod effectum ss. eucharistiae. vitam supernaturalem et aeternam, attinet, sacramentum per se et quantum est ex voluntate divina salvifica semper hunc effectum producit; per accidens autem est, i. e. per obicem ab hominibus positum sive ex deficiente cooperatione humana, quod aliquando hic effectus non producitur. — *Deinde,* quod necessitatem eucharistiae attinet, considerandum est, eandem tamquam cibum spiritualem et supernaturalem spectare ad vitam supernaturalem non primo dandam, sed conservandam. Quare primo sumptio ss. eucharistiae necessaria est necessitate praecepti pro iis, qui praecepti sunt capaces; secundo necessaria est necessitate medii ad vitam conservandam pro iis, qui eam peccando amittere possunt, sed in hoc effectu producendo suppleri potest, si inculpabiliter ommittatur; tertio, quae cum ita sint, ss. eucharistia pro iis, qui rationis usum non habent, nec vi praecepti nec necessitate medii necessaria est. Denique quarto omnibus necessaria est etiam necessitate medii res sacramenti i. e. unio cum Christo spiritualis et supernaturalis vel gratia sanctificans. — *Quod tandem necessitatem attinet,* sumendi ss. eucharistiam sub utraque specie, haec breviter hoc loco notare sufficit: Primo, cum sub utraque specie sacramentali totus Christus praesens sit, unius quoque speciei sumptione tum caro Christi manducatur tum sanguis Christi bibitur; praeterea etiam alterutra species per se solam satis effectum sacramenti significat, sc. refectionem spiritualem, unde ex natura rei

nulla sumptionis sub utraque specie necessitas habetur. Sed secundo neque ex praecepto positivo divino ulla eiusmodi necessitas derivari potest, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 21. c. 1. coll. sess. 13. c. 2.

Ceterum hae quaestiones omnes de effectu eucharistiae, de necessitate eiusdem, de sumptione unius vel utriusque speciei infra accuratius tractandae sunt. Verum ex notationibus modo subiectis satis iam apparet, quam immerito propter difficultates modo reiectas etiam theologi catholici aliqui, scilicet Nicolaus Cusanus, Iansenius Gandavensis, Caietanus a propria et obvia sermonis Christi acceptione recesserint.

2) *Talis est manducatio carnis et potus sanguinis Christi,* **37.** *qualis mansio est, qua nos in Christo manemus et Christus in nobis manet; ratio est, quia haec illius effectus esse significatur. Atqui mansio eadem non corporalis, sed spiritualis est. Ergo et manducatio non corporalis, sed spiritualis sit oportet.* — *R. n.* mai. et rationem additam; scilicet fundamentum totius obiectionis manifesto falsum est, cum generatim causa et effectus, maxime autem causa instrumentalis et effectus diversae prorsus rationis esse queant: sic Deus et mundus diversae prorsus rationis sunt, et quod propius ad nostram quaestionem pertinet, baptismus externa et corporalis ablutione continetur, effectum vero supernaturalem et spiritualem habet. Ceterum dici potest quadam ratione, neque manducationem carnis Christi esse penitus corporalem, neque effectum eius mansionem Christi in nobis esse penitus spiritualem; de qua re inferius plura.

3) *Tum ratio loquendi scripturae in aliis locis tum ipse* **38.** *textus vel contextus verborum Christi metaphoricam eorundem verborum acceptionem suadere videntur.* Et certe aliquando verba ‚manducare panem' metaphorice sumuntur, ut v. g.: „*Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis*" (Prov. 9, 5.) et iterum: „*Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibent me, adhuc sitient.*" Eccli. 24, 29. Ergo a pari verba Christi (Ioan. 6.) metaphorice accipi possunt. Imo hoc contextus postulare videtur: etenim Christus carnem suam

se daturum ait pro mundi vita, quod de passione solum eiusdem intelligi potest; deinde Iudaeos iubet operari illum cibum, quod de eucharistia dici sane nequit; denique propriam suorum verborum acceptionem corrigit dicendo: *spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam:* ergo de spirituali manducatione vel de fide intelligendus est. — *R.* His omnibus sensum metaphoricum verborum Christi non evinci, manifestum est, et ad singula obiecta facile respondetur: Et *primo* quidem quod testimonia Prov. et Eccli attinet, evidenter paritas deest; etenim in illis testimoniis minime panis ille declaratur esse *caro* sapientiae ideoque alia prorsus phrasis adhibetur; insuper quia de re spirituali agitur, sensus metaphoricus manifestus est. *Deinde* consideratis verbis ipsius Christi nequaquam dicit, se carnem suam tantum daturum esse passione et morte, sed sensus illorum verborum est: Eandem carnem dabo manducandam vel in cibum, quam in passione et morte daturus sum pro mundi vita. *Praeterea* quando Iudaei illum cibum a Christo promissum operari iubentur, intelligendi sunt iuberi non quidem efficere illum cibum, cum Christus eum se daturum esse promittat, sed ex parte sua cooperando et imprimis credendo cibum illum sibi comparare iubentur. *Denique* verba Christi: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba mea spiritus et vita sunt,* profecto nihil iuvant adversarios, cum sane *caro* non sit idem ac sensus proprius nec *spiritus* idem ac sensus metaphoricus.

39. Qua vero ratione eadem verba probabilius et verius intelligenda sint, iam supra declaratum est: sed et alia exstat probabilis expositio, quae iam a SS. Patribus est proposita, quae hic notari potest. Scilicet in divinis litteris nomina *caro* et *spiritus*, quando sibi opponuntur, significare solent saepenumero hinc naturam cum suis propensionibus depravatis suaque vili et abiecta sentiendi ratione, inde vero supernaturam et quae cum ea cohaeret sentiendi, volendi, operandique rationem sublimem sane et perfectam (cf. v. g. Matth. 26. 41.; Ioan. 36.; 8, 15.; Rom. 7, 5. ss.). Qua significatione considerata haec existit interpretatio ver-

siculi obiecti: Salus et vita non a natura vel ab iis, quae eius ambitu continentur, sed a gratia tantum et ab iis, quorum ipsa est principium, exspectari debent. Verba autem mea tota ad ordinem supernum gratiae et vitae pertinent adeoque non secundum naturam naturalemque sentiendi rationem, sed fide accipienda sunt; atque de iisdem eo modo sentiendum est, qui homini ad supernaturalem ordinem evecto convenit. Quo spectat haec *Chrysostomi* commentatio: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam* i. e. spiritualiter oportet audire, quae de me sunt; qui enim carnaliter audit, nihil lucratur neque quidquam utilitatis percipit. Carnale erat dubitare, quomodo de coelo descendisset, et putare eum esse filium Ioseph, et illud: *quomodo hic nobis potest carnem suam dare ad manducandum?* haec omnia carnalia, quae oportebat mystice et spiritualiter intelligere . . . Sicut igitur hic spiritum dixit pro spiritualibus, ita carnem dicens non carnalia, sed carnaliter intelligere significavit, simul insinuans eos, quia semper carnalia cupiebant, spiritualia appetere debere. Si quis enim haec carnaliter acciperet, nihil lucraretur. Quid igitur? an caro eius non est caro? Est utique. Et quomodo dixit: caro non prodest quidquam? Non de carne sua dixit, absit! sed de illis, qui dicta eius carnaliter accipiunt. Quid, vero est carnaliter intelligere? Simpliciter, quae praeiacent videre et amplius quid non cogitare; hoc enim sibi vult *carnaliter*. Oportet autem non ita ex visu iudicare, sed omnia mysteria interioribus oculis considerare, hoc enim est spiritualiter. Iam qui non manducat carnem eius nec bibit eius sanguinem, non habet vitam in semetipso; quomodo ergo caro non prodest quidquam, sine qua non possumus vivere? Vides, illud *caro non prodest quidquam* non de carne eius dictum esse, sed de carnali intelligentia" (In Ioan. hom. 47. al. 46. n. 2.). Verum explicatio prius proposita multo probabilior, imo fere certa apparet.

40. *2. De SS. Patrum interpretatione.* — Commentatio verborum Christi, quae demonstrationi institutae supposita est, sanctorum Patrum suffragio omnino fulcitur. Reipsa priorum sex saeculorum nullus Pater adduci potest.

qui alteram saltem sermonis Christi partem (vv. 52—59.) de eucharistia non intellexerit; etsi enim aliqui de fide in Christum eadem intellexerint vel accommodaverint, nihilominus iidem de eucharistia quoque et quidem imprimis interpretati sunt. Satis sit commemorasse Irenaeum adv. haer. l. 4. c. 34.; Origenem, hom. 16. in num.; Hilarium, de Trinitate l. 8.; Cyrillum Hier. cat. 4.: Ambrosium, lib. de iis, qui mysteriis initiantur, c. 8.: Auctorem lib. de sac. c. 1.: Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alex. in c. 6. Ioan.; Theodoretum, hist. eccl. l. 4. c. 2.: Leonem M., de iei. septimi mensis hom. 6. Nihilominus Protestantes quaedam habent, quae ex SS. Patribus obiiciant et nominatim S. Augustinum opponunt. Cum vero inferius de SS. Patrum doctrina fusius agendum sit, hic solum pauca quaedam testimonia Augustini ab illis obiecta examinanda sunt, quae sermonem Christi spectant.

1) *Et primo quidem testimonia opponunt, quibus Augustinus dicere videtur, manducare carnem Christi et bibere eius sanguinem nihil aliud esse, quam Christo uniri per caritatem,* v. g.: „Hoc est manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat carnem eius nec bibit eius sanguinem, etiamsi tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducet et bibat" (In Ioan. tract. 16. n. 18.). — *R. S. Augustinus* cum aliis Patribus duplicem corporis Christi manducationem discernit, alteram mere sacramentaiem sine effectu gratiae, alteram coniunctam cum effectu. Sic v. g.: „Hoc totum (i. e. sermo Christi Ioan. 6.), ait, ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus" (In Ioan. tract. 27. n. 11.). Et iterum: „Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur" (Serm. 131. n. 1.). Hinc sermonem Christi de

altera illa manducatione cum effectu coniuncta intelligendum esse declarat: „Illud, quod ait, qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo, quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus intelligere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducent et bibant, cum ipsam carnem manducent et ipsum sanguinem bibant? . . . Non ergo quocunque modo quisquam manducaverit carnem Christi et biberit sanguinem Christi manet in Christo et in illo Christus, sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat" (Serm. 71. n. 17.). *Unde ulterius* Augustinus aliquando vel negat peccatores manducare corpus Christi (in tract 26. n. 18.: de civit. Dei l. 21. c. 25. n. 3.); scilicet negat, peccatores manducare cum fructu vel eo modo, quem Christus in praecepto suo intendit: etenim ut alibi dicit: „manducare refici est, hoc bibere quid est nisi vivere?" (Serm. 131. n. 1.: cf. in Ioan. tract. 27. n. 1.). *Hinc denique* ab eodem Augustino per figuram metonymiae aliquando effectus ille ipse solus, scilicet unio cum Christo per gratiam, manducatio et potio corporis ac sanguinis Christi appellatur atque absolute necessaria esse ad vitam aeternam declaratur. (De peccat. meritis et remiss. l. 1. c. 30.; contra duas opp. Pelagian. l. 2. c. 4. n. 7.; in Ioan. tract. 26. n. 15. ss.) Quae cum ita sint, obiectum testimonium et alia similia ne minimam quidem contra doctrinam catholicam difficultatem facere intelliguntur. Scilicet in eiusmodi testimoniis S. Augustinus tantum abest, ut neget corporis Christi realem praesentiam realemque manducationem, ut eas potius manifeste supponat et includat; quippe loquitur de manducatione sacramentali cum effectu, quae sane manducationem realem includit, vel metonymice loquitur de caritate, quae figura loquendi realem manducationem sacramentalem manifesto supponit.

2) *Deinde alia testimonia urgent, quibus Augustinus* 41.
dicere videtur, corpus et sanguinem Christi nihil aliud esse, quam panem et vinum, quatenus unitatem ecclesiae tamquam corporis et omnium membrorum eius sub Christo capite significent, ut v. g.: „Hunc itaque cibum et potum societatem

vult intelligi corporis et membrorum suorum; quod est sancta ecclesia in praedestinatis et vocatis et iustificatis . . . Huius rei sacramentum, id est unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur, et de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium." (Tract. 26 in Ioan. n. 15.). — *R.* Nihil his contra fidem S. Augustini in realem praesentiam efficitur. Etenim, ut verba obiecta rite intelligantur, spectanda est relatio inter corpus Christi physicum in sacramento et corpus Christi mysticum, quod est ecclesia; qua relatione ss. eucharistia est symbolum significans et efficiens unionem fidelium cum Christo capite et inter se secundum illud 1. Cor. 10: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Haec enim consideratio frequens est tum apud alios SS. Patres tum imprimis apud S. Augustinum, qui illius unionis fidelium in corpore Christi mystico contra Donatistas aliosque haereticos validissimus defensor exstitit. Verum *propter disciplinam arcani* strictissime ab Augustino observatam factum est, ut S. Doctor in publicis sermonibus de hac ss. eucharistiae ad corpus Christi mysticum relatione disserens fundamentale dogma realis praesentiae, de quo fideles iam privata institutione instructi erant, saepissime supponeret vel nonnisi subobscure indicaret, atque statim ad declarandam illam relationem se converteret. Hinc v. g. S. Doctor allatis verbis Christi: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (Ioan. 6, 52), statim ita pergit: „Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non neglegant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi . . . Exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: *unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus*. O sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum caritatis!" (Paulo ante verba obiecta). Quae cum ita sint, testimonium obiectum nullam facit difficultatem, sed doctrinam catholicam potius confirmat. Scilicet Augustinus nequaquam docet spiritualem per fidem manducationem, sed exhibet verae realisque manducationis effectum aliquem et finem, qualis est intima fidelium tamquam mem-

brorum sub uno capite Christo coniunctio in unam societatem sanctorum, quae mysticum Christi corpus est. Huius autem unitatis sacramentum dicit eucharistiam, utpote quae maxime ratione elementi sensibilis symbolum quoddam unitatis ecclesiae est. Hinc paulo inferius S. Doctor scribit: „Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit, aliud in unum ex multis acinis confluit."

3) *Denique opponunt et urgent hoc S. Augustini testimonium*: „Si praeceptiva est locutio (scripturae) aut flagitium aut facinus vetans aut beneficium iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Figura ergo est praecipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro eius pro nobis crucifixa et vulnerata sit" (De doctrina christiana l. 3. c. 16.). — *R.* S. Augustinus cum aliis Patribus duplicem iterum aliam manducationem discernit: alteram carnalem vel capharnaiticam, alteram spiritualem vel sacramentalem. Prior illa tota quasi materialis est atque cibi in frusta divisionem, contritionem, digestionem complectitur. Talis autem materialis manducatio non solum ab Augustino sed etiam ab aliis Patribus merito sane a carne Christi amandatur. Apposite v. g. *Cyrillus* H.: „Illi cum quae dicta erant, non spiritualiter acciperent, offensi abierunt retro, putantes, quod eos ad manducandas carnes (ἐπὶ σαρκοφαγίαν) hortaretur" (Catech. l. 4. n. 4.). Similiter *Tertullianus* postquam declaravit: „Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur" (De resurrect. carnis c. 8.) nihilominus inferius ibidem (c. 37.) animadvertit, verba Christi (Ioan. 6.) dura Iudaeis visa esse, „quasi vero carnem suam illis edendam determinasset." Altera igitur manducatio carnis Christi, ea scilicet, quam Christus ipse intellexit et praescripsit, spiri- **42.**

tualis potius est, quatenus ab ea functiones illae materiales prorsus exulant; nihilominus realis est, quia in ea caro Christi reipsa sumitur et cum sumente intus unitur. Et hanc suae carnis manducationem Christus intellexit eamque Patres tuentur et vindicant.

43. Iamvero S. Augustinus materialem illam, carnalem et capharnaiticam manducationem prae oculis habens eamque considerans tamquam propriam, verba Christi de manducatione suae carnis figurate accipienda esse declarat et rationem reddit, quia secus facinus vel flagitium iubere viderentur; et merito sane. Figurata autem sunt, quatenus ad analogiam materialis manducationis, in manducatione spirituali cibus quasi in plures partes dividitur; iucunde et suaviter gustatur, in memoria reconditur, eiusque meditatione animus alitur. Itaque Augustinus illis verbis sacramentalem et oralem manducationem carnis Christi ab eiusdem verborum significatione nequaquam excludit, verum solam capharnaiticam, atque solum hac considerata verba eadem figurata esse declarat. Reipsa alibi sacramentalem, oralem, realem corporis Christi manducationem clarissime docet, ut v. g. in Levitic. q. 57. n. 4.: „Cum Dominus dicat: *Nisi manducaveritis carnem meam etc.*, quid sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quae pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?" (cf. cont. adversar. legis et prophetar. c. 10.; de peccator. mer. et rem. c. 20.; in Ioan. tract. 11. et 26.; de verb. Dom. serm. 11. et 49.; cont. Crescon. l. 1. c. 25; enarrat. in psalm. 33. et 98.).

44. *Confirmari et enucleari potest haec declaratio* duplici alio Augustini testimonio. Nimirum *primo* in eodem opere de doctrina christiana et eodem libro tertio (c. 12.) haec scribit: „Quae autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta sive etiam facta sint, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figu-

rata sunt.". In his enim figura est secundum Augustinum, non quasi a rebus gestis veritas aut a dictis sensus litteralis excludatur, sed quia iisdem sub eo respectu, sub quo imperitis quasi flagitiosa videntur, ratio figurae conveniat. Ad ista vero, quae imperitis quasi flagitiosa videntur, illud Domini dictum pertinet: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Scilicet figura est excludens sensum litteralem Capharnaitarum, non autem sensum litteralem a Christo intentum et a catholicis propugnatum. — *Praeterea* disputans contra Veteris Legis adversarios, qui dicta quaedam et facta eiusdem velut turpia et cum Nova Lege repugnantia reprehendebant, S. Augustinus quamvis eiusmodi reprehensionem vituperat, cum etiam illa a Deo disposita atque non solum verissime facta et dicta sint, sed etiam rationem figurae divinitus ordinatae ad aliud significandum habeant: „Res turpis huic (illi adversario) etiam cum ipsa Sara concubitus coniugalis, quam liberam matrem nostram aeternam Ierusalem significare testatur Doctor gentium . . . et multo amplius et aspernabilius . . . quod scriptum est de masculo et femina: *erunt duo in carne una* . . . Eat plane iste retro cum suis similibus sociis, qui dixerunt: Durus est hic sermo, quis eum potest audire? Nos autem audiamus et intelligamus duo testamenta in duobus filiis Abrahae . . . sicut duos in carne una Christum et Ecclesiam istis volentibus sine ulla obscenitate cognoscimus: sicut mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde et *ore* suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere" (Cont. advers. legis et prophet. l. 6. c. 9. n. 34.). Deinde concludit, in his omnibus dictis vel factis figuram inveniri, quamvis reipsa et verissime dicta vel facta sint. Ergo ex mente S. Augustini, quemadmodum matrimonium cum Sara et Agar verum et reale fuit, atque per matrimonium revera duo una caro sunt, simul tamen haec omnia, utpote quae aliquid spirituale significant, figuram continent:

ita etiam manducatio carnis Christi realis quidem est, sed quatenus flagitiosa esset, figuram dicit. (cf. Paschasius Radbertus, Ep. ad Frudegard. de corpore et sanguine Christi; Guitmundus Aversan., de corpor. et sanguin. Domini veritate.)

Thesis 2. **Vera, realis, substantialisque praesentia corporis et sanguinis Domini in eucharistia diserte enuntiata credenda est verbis institutionis.**

Declaratio.

1. ***1. Ipsa verba institutionis.*** — Matth. 26, 26—28.: *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite:* ***Hoc est corpus meum.*** *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* ***Hic est enim sanguis meus*** *novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. — Τοῦτό γαρ ἐστι τὸ αἷμά μου τό τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Marc. 14, 22—24.: *Et manducantibus illis accepit Iesus panem et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite,* ***hoc est corpus meum.*** *Et accepto calice gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis:* ***Hic est sanguis meus*** *novi testamenti, qui pro multis effundetur.* — Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα μου. — Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

Lucas 22, 19. 20.: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens:* ***Hoc est corpus meum,*** *quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit, dicens:* ***Hic calix novum testamentum est in sanguine meo,*** *qui pro vobis fundetur.* — Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν

διδόμενον. — Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον

1 Cor. 11. 23—25.: *Accepit panem et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite et manducate;* ***hoc est corpus meum,*** *quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit dicens:* ***Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*** *Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* — Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμά, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. — Τοῦτο τό ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκή ἐστιν ἐν τῷ ἐμοῦ αἵματι.

2. Horum verborum sensus. — Utrum adductis 2.
institutionis verbis vera realis et substantialis corporis et sanguinis Christi in ss. eucharistia praesentia doceatur, quaestio est ex eo tota decidenda, num eadem verba immediato ac proprio an vero improprio ac metaphorico sensu intelligenda sint. Nam si proprio sensu accipiantur oportet, scripturam de vera realique corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia nos instruere evidens est. Jamvero haeretici recentiores quidem plerique haec verba figurata vel metaphorice accipienda esse autumant; e contra autem non solum catholici omnes, sed etiam schismatici veteres fere omnes semper eadem sensu immediato et proprio intellexerunt: atque hunc sensum omnino tenendum esse *concilium Tridentinum* sollemniter decrevit: „Omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt apertissime professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est, quae verba a ss. evangelistis commemorata et a D. Paulo postea repetita cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt: indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri, quae tamquam columna

et firmamentum veritatis haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens" (Sess. 13. c. I.).

Demonstratio.

3. ***1. Probatur ex modo relationis evangelicae.*** — Modus, quo ss. eucharistiae institutio a s. scriptura refertur, haec complectitur: Cum tres simul evangelistae eam institutionem referant, partes quarti Apostolus Paulus suscipit praeter morem personam historiographi induens. Neque quartus tamen evangelista mysterium eucharisticum silentio praeteriit, cum gravissimis verbis praedictionem promissionemque eucharistiae referat, ut praecedenti thesi ostensum est. *Porro* quatuor illi institutionem eucharistiae ita referunt, ut in forma consecrationis panis proponenda nulla inter eos, ne verbalis quidem differentia sit; in formula vero consecrationis calicis omnes quidem sanguinis mentionem faciant, in ceteris vero pro more sacrorum scriptorum ab invicem differant discrimine solum grammatico-rethorico, vel etiam eo, quod se invicem aliqua ratione suppleant. *Denique* neque ullus eorum verbis institutionis aliquam a Christo adiectam esse explicationem innuit neque ullus eiusmodi declarationem ipse adiungit neque ullus eiusmodi eorundem verborum explicationem necessariam fuisse quocunque indicio significat. Atqui haec considerata oeconomia scripturarum et imprimis evangelistarum consuetudine spectata, manifesto demonstrant: *primo* institutione eucharistiae aliquid proponi, quod plane magnum atque eximium sit, atque maxime ad rectam fidem necnon totam vitam christianam faciat, quia scilicet tanta diligentia nec ab uno solo, sed a quatuor refertur; *secundo* gravissimam quandam existere causam, qua factum sit, ut in referendis retinendisque verbis corporis et sanguinis mira consensio sit inter quatuor illis scriptores, quia secus differentiam aliquam imprimis verbalem vitare non solent; *tertio* verba institutionis ea pollere claritate atque perspicuitate, ut nulla expositione sive animadversione declarante indigeant:

quia iidem ss. scriptores, quae obscura et ambigua videbantur vel metaphorice accipienda sunt, explicare solent, ut constat v. g. ex Ioan. 2. 19. ss.; 3. 3. ss.; 4, 32. 34.: Matth. 16. 6. 12.; 17. 12. 13.; Marc. 15. 32.; Luc. 23, 39.; Rom. 3. et 4.; atque hoc eo magis valet, quia illi libri pro diversis lectoribus, diversis temporibus, diversis regionibus destinati erant. Iamvero haec omnia sibi non constant, nisi verba institutionis immediato proprioque sensu intelligenda sunt. Ergo.

Minor probatur. Revera *ex una parte* si verba institutionis proprio sensu sumuntur: *Primo* eucharistia evidenter est magnum mysterium, quod maxime facit ad fidem catholicam necnon ad totam vitam christianam et cultum divinum: quare optime intelligitur, cur institutio eiusdem vel a quatuor simul tanta diligentia referatur. *Praeterea* proprio sensu supposito verba institutionis clarissima sunt atque ita perspicua, ut nulla explicatione indigeant atque etiam quaevis brevis adnotatio declarativa superflua sit. *Denique* iterum proprio sensu supposito verba institutionis omnino accurate referre debuerunt, utpote quibus ipsa forma sacramentalem praesentiam efficiens continetur. — *Ex altera autem parte*, si verba institutionis figurate vel metaphorico sensu sumantur, oppositum prorsus obtinet: *Primo* scilicet, quocunque sensu metaphorico sumuntur, mysterii magnitudo et sublimitas graviter minuitur; neque enim iam quidquam praestat ss. eucharistia prae aliis sacramentis, si solum significet corpus et sanguinem Domini, cum baptismus passionem Christi repraesentat et omnia sacramenta gratiam supernaturalem significent. *Deinde* neque tantum momentum in accurata verborum institutionis relatione positum esset, si eadem verba metaphorice accipienda essent. *Denique* imprimis atque maxime remoto sensu proprio et obvio verba institutionis obscurissima evadunt eorumque sensus imperceptibilis apparet. Quae cum ita sint, mirum non est, quod explicationes adversariorum et numero plurimae et minime inter se consentientes sunt atque ipsis verbis institutionis apertam vim inferant. Merito iam *Bellarminus*: „Expositiones adversariorum plurimae sunt ita, ut 4.

fere numerari non possint. Lutherus in libro: ‚Quod verba coenae adhuc firmiter stent' scribit decem ferme suo tempore fuisse Sacramentariorum opiniones ac sectas. Nuper etiam anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: Hoc est corpus meum." (De eucharistia 1, 8.).

5. *Ipsi Reformatores saeculi 16.*, cum ecclesiae infensissimi essent, rei tamen evidentia coacti, perspicuitatem verborum institutionis confessi sunt. Ita *Lutherus* ad Argentoratenses scribit: „Quodsi Carolstadius mihi persuadere potuisset, in sacramento praeter panem et vinum esse nihil, magno beneficio me sibi devinxisset; hac enim re valde papatui incommodassem. Verum ego me captum video nulla elabendi via relicta; textus enim evangelii nimis apertus est et patens, qui facile convelli non potest, multo minus verbis aut glossis e capite vertiginoso confictis subverti[1]). Atque *Melanchton*,

---

[1]) Idem Lutherus alibi: „Es sind nur drey Wort: Das ist mein Leib. Da gibt einer dem Wörtlein *das* eine Nasen und reisset's von dem Brod, das man's so sollte deuten: Nehmet, esset, — das ist mein Leib —, gerade als wenn ich spreche: Nimm und isse: hie sitzt Hans mit der rotten Joppen. Der ander nimmt das Wörtlein *ist;* das soll im also viel heissen, als das Wort *bedeut.* Der dritte sagt: *Das ist mein Leib* heisset soviel als: Das ist eine Figur meines Leibs: setzen solche eigene Trevme on allen Grund der Schrifft" (Sermon vom Sakrament wider die Schwärmergeister. 1526.).

Et alibi iterum: „D. Carlstadt in diesem heiligen Text (das ist mein Leib) martert das Wörtlein *das,* Zwingel martert das Wörtlein *ist,* Oecolompad das Wörtlein *Leib.* Die andern martern den ganzen Text und keren des Wörtlein *das* um und setzen's hinten an und sprechen also: ‚Nehmet, esset, mein Leib, das für Euch gegeben wird, ist das.' Etliche martern den Text halb und setzen das Wörtlein *das* yns Mittel und sprechen: ‚Nehmet, esset, Was für Euch gegeben wird, das ist mein Leib . . . Nu ist der heilig Geist hie in je allen und keiner will yrren in solcher widerwärtigen Beweisung und Ordnung des Textes. Und muss ja doch nur ein Ordnung des Textes recht sein. So gröblich narret uns der Teufel." (Das diese Wort noch feststehen [das ist mein Leib) wyder die Schwermgeister. Nürnberg 1527).

Atque iterum ibidem: „So ist das die summa davon, dass wir die helle dürre Schrift für uns haben, die also lautet: Nemet, esset, das ist

fidus Lutheri discipulus: „Si, inquit, ob rationes humanas Christum neges esse in eucharistia, quid dicet in tentatione conscientia? quam afferet causam discedendi a recepta sententia in ecclesia? tunc ista verba: *Hoc est corpus meum*, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? quibus scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessario hic fuisse interpretandam metaphoram, cum verbum Dei praeferri debeat iudicio rationis?" (Lib. de verit. corp. et sanguin. Domini). *Zwinglius* quidem tandem a sensu obvio et proprio verborum institutionis recessit, sed nonnisi post diuturnas tergiversationes et repugnantias superatas oppositi erroris monstrum concepit. Modum explicandi verba Christi: *Hoc est corpus meum*, per ista: Hoc est signum corporis mei, ex Hussii Batavi epistola se didicisse ipse in litteris ad Pomeranos datis narrat; hoc vero ipsum commentum munire illo scripturae loco: *Est enim Phase Domini*, in somniis se edoctum esse ab aliquo monitore, qui an ater fuisset an albus nihil meminerat, iterum ipse in subsidio eucharistiae testatur (cf. *Wiseman*, p. 164.). Denique etiam *Erasmi* ad Conradum

---

mein Leib, und uns nicht not ist, noch soll aufgedrungen werden, über solchen Text Schrift zu führen (wiewehl wir's rechtlich thun können), sondern sie sollen Schrift aufbringen, die also lauten: Das bedeut mein Leib, oder das ist meins Leib Zeichen . . . Sintemalen, wenn wir gleich alle Brillen, die in der Welt sind, aufsetzten, so fänden wir in keinem Evangelisten geschrieben: ‚Nemet, esset, das ist meines Leibs Zeichen, oder: Das bedeut mein Leib.' Aber das finden wir on alle Brillen, also das auch junge Kinder lesen könnten: Nemet hin, esset, das ist mein Leib. Aber weil hie die Macht darin liegt, ob das Wort *ist* soviel in der Schrift gelten müsse, als das Wort *bedeutet*, so ist der Zwingel schuldig, solches aus der Schrift zu beweisen . . . Desselbigen gleichen ist der Ecolompad auch schuldig, aus der Schrift zu beweisen, dass das Wort *Leib* soviel gelten müsse, als das Wort *Leibszeichen*. Thut er es nicht, so nun bleibt unser Text: *Das ist mein Leib* stehen wie ein Fels. Sie sind auch schuldig, zu beweisen, dass es hie beim Abendmahl auch so müsse sein, das *Leib: Leibszeichen* sey. Und hülffe sie gar nichts, wenn gleich die ganze Schrift an andern Örtern eitel Leibzeichen aufbrächt und bracht's nicht auch an diesem Ort im Abendmahl auff. Denn wir haddern itzt nicht fürnemlich, ob etwa in der Schrifft *Leib Leibzeichen* heisse, sondern obs an diesem Ort des Abendmahls so heisse."

Pellicanum verba notatu valde digna sunt, utpote qui in aliis cum haereticis facile connivebat: „Hactenus cum omnibus christianis adoravi Christum pro me passum in eucharistia, nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere: nullis humanis rationibus adduci potero a concordi sententia christiani orbis; plus enim valent apud me quinque illa verba: *In principio creavit Deus coelum et terram,* quam omnia Aristotelis ceterorumque philosophorum argumenta, quibus docent, mundum carere initio. Sic hic litteras divinas habemus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* . . ." Ac rursus ad eundem: „Ad id (corpus Christi non esse in eucharistia) semper negavi me posse animum inducere, praesertim cum evangelicae et apostolicae litterae tam evidenter nominent corpus, quod detur, et sanguinem, qui effunditur . . . Si tibi persuasum est, in synaxi nihil esse praeter panem et vinum ego membratim discerpi malim, et omnia perpeti, quam profiteri idem, quod tu profiteris, nec patiar, ut tui istius dogmatis me auctorem facias vel comitem. Ita mihi contingat, nunquam a Christo seiungi."

6. *2. Ex adiunctis institutionis.* — Adiuncta, quae hic consideranda sunt primo in Christi praescientia aliisque perfectionibus, secundo in eiusdem potentia atque Apostolorum indole, tertio in tempore institutionis atque ipsius rei instituendae indole continentur. Iamvero ex his omnibus accurate consideratis luculenta catholici dogmatis demonstratio derivatur:

1) *Ex Christi praescientia aliisque perfectionibus.* — Nimirum vi perfectissimae praescientiae, qua futura omnia certissime praescivit, Christus Salvator ss. eucharistiam instituens clare perspectum habebat: *primo* ab ipsa apostolica aetate Patres Doctoresque ecclesiae verba institutionis litterali et proprio sensu accepturos esse; *secundo* pariter populum fidelem simplici et constanti fide iisdem verbis immediato et proprio sensu sumptis inhaesurum esse; *tertio* fidem hanc in realem Christi praesentiam usque ad aetatem Zwinglii et Calvini communem omnibus fore non solum in ecclesia occidentali sed in orientali quoque; *quarto* fideles eadem fide

motos per plura continua saecula eucharistiam adoraturos ac velut pretiosissimum suum thesaurum consideraturos esse ita, ut pro eodem tuendo vitam et sanguinem fundere parati forent; simulque *quinto* perspectum habebat, unicam horum omnium causam esse obsequium, quod verbis Salvatoris deferendum esse, omnes humili simul et generosa fide crederent.

Iamvero cum his omnibus componi prorsus nequit, verba 7.
institutionis ex intentione Christi non immediato et proprio, sed translato vel metaphorico sensu accipienda esse. „Nunquam mihi persuaderi potuit neque poterit, Christum, qui veritas est et caritas, tamdiu passurum fuisse dilectam sponsam suam haerere in errore tam abominando, ut crustulum farinaceum pro ipso adoraret" (*Erasmus* ad Berum). Revera enim illa fides ab universali ecclesia per plura constanter saecula verbis Christi exhibita ea est, quam semper a suis Christus postulavit fides humilium et simplicium, quae rei difficultate vel incomprehensibilitate non impediatur, sed unice in plena persuasione de Dei veracitate, sapientia, omnipotentia innitatur: *Beati, qui non viderunt et crediderunt; Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est; Quid timidi estis, modicae fidei?; Modicae fidei, quare dubitastis!; Si habueritis fidem et non haesitaveritis . . . si monti huic dixeritis: tolle et iacta te in mare, fiet; Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* — Ex altera vero parte, qui realem praesentiam verbis institutionis proponi negant, via plane opposita semper processerunt: scilicet propter mysterii propositi difficultatem vel incomprehensibilitatem verbis Christi prius fidem negarunt atque tunc demum eorundem verborum sensus excogitare coeperunt, quibuscum mysterii negatio componi posset. Haec igitur haereticorum hypothesis si vera esset, divinus Salvator ss. eucharistiae sacramentum instituens ea verba adhibuisset, ex quorum indole fideles obsequium fidei postulatum humiliter praestantes in errorem gravissimum impingerent, e contra novatores propriae rationi fidentes et ut mysterium eliminarent ad inauditas figuras et tropos maxime insolitos refugientes veritatem reperirent. Iamvero haec omnia

tam manifesto cum sapientia et bonitate Christi atque cum universa oeconomia christiana pugnant, ut iis positis omnis fides in mysteria superrationalia atque in ipsam divinitatem Christi, imo omnis religio christiana funditus evertatur. Ergo immediato et proprio sensu, non metaphorica verba institutionis accipienda sunt.

8. 2) *Ex potentia Christi et Apostolorum indole.* — Cum Christus per triennium vere stupenda et continua fere miracula operatus esset, Apostoli eorum testes ita miraculis a Christo patratis assueti erant, ut vel mirari viderentur, si quando praeter consuetudinem ab iis patrandis cessabat. Sic v. g. Matthaeus expresse adnotat, quod in urbe Nazareth *non fecit virtutes multas propter incredulitatem eorum* (13, 58.; cf. Marc. 6, 5.). Quapropter verbis Christi rerum propositarum incomprehensibilitatem non multum curantes adeo promptam et simplicem fidem adhibere consueverunt, ut aliquando vel locutiones manifesto metaphoricas in proprium sensum acciperent (cf. Matth. 16, 11.; Luc. 22, 36. 38., ubi de ipsa ultima coena sermo est; Ioan. 11, 12.; 14, 7—9.). Quam simplicem et sinceram fidem saepe coram Christo testati sunt et imprimis duplici occasione, quae maxime ad rem nostram pertinet: prima est oratio eucharistica (Ioan. 6.), qua audita multi alii quidem increduli Christum reliquerunt, Apostoli vero cum Christo manentes inviolabilem ipsi fidelitatem ore Petri voverunt: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* (68. 69.). Altera est ipsa ultima coena, quando Christo magnam illam orationem habenti Apostoli declarant: *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis; nunc scimus, quia scis omnia et non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo existi* (Ioan. 16, 29. 30.). Christus vero ex sua parte tantum abest ut hanc fidei simplicitatem et promptitudinem reprobaverit, ut eandem potius confirmaret, laudaret, postularet.

9. Iamvero, cum haec ita sint, absurdum est cogitare vel dicere, Christum omniscium et perbenignum voluisse, ut verba ipsius ss. eucharistiam instituentis ab Apostolis sensu non

immediato et proprio, sed metaphorico acciperentur. Ea enim ratione procedens Christus Apostolis crudeliter illusisset eosque ludibrio habuisset atque simul inepte et irrationabiliter egisset. Atqui haec quam blasphema tam absona sunt. Ergo spectatis potentia, sapientia, bonitate Christi necnon Apostolorum indole, manifeste repugnat, ut verba institutionis sensu non immediato et proprio sed metaphorico accipiantur.

Revera igitur, qui illa verba figurate esse accipienda vo- **10.**
lunt, Christum sibi repraesentare videntur tamquam unum ex modernis rationalistis: qui verba quidem antiquae fidei retinent, sed iisdem suos sensus ab omni mysterio et quovis facto supernaturali aversos supponunt, atque v. g. de personarum divinarum Trinitate, de Christi divinitate, de redemptione loquuntur, sed aliquid prorsus alienum ab his dogmatibus christianis intelligunt; qui insuper auditoribus suis suadent, ut in symbolum Apostolicum iurent atque ipsum extrinsecus coram fidelibus profiteantur, sed eam simul restrictionem vel reservationem faciant, qua apud se intrinsecus negant, quod extrinsecus profitentur. Et Apostolos sibi repraesentare videntur tamquam auditores theologiae protestanticae rationalisticae, qui a suis magistris animum contra quaevis superrationalia et supernaturalia praeoccupatum et aversum induere et gerere didicerunt atque indignos lusus verborum a suis magistris in tractandis dogmatibus christianis adhibitos intelligere iam consueverunt.

3) *Ex tempore institutionis et rei institutae indole.* — **11.**
Consideranda denique sunt tempus institutionis et res ipsa, quae agebatur. Nimirum Christus verba illa institutionis pronuntiavit, cum paulo ante mortem in cruce subeundam suis valedicturus erat Apostolis, quos dixit non servos, sed amicos, quibus nota faciebat omnia, quae audiverat a Patre suo (Ioan. 15, 15.), qui ipsi hac eadem occasione ultimae coenae professi sunt: *ecce nunc palam loqueris et proverbium* (i. e. aenigma vel parabolam) *nullum dicis* (Ioan. 15, 15.). Praeterea in eo erat Christus, ut sacramentum institueret, fidei dogma traderet, legem ecclesiae suae in perpetuum daret, testamentum conderet, foedus novum sanciret, pignus amoris

perpetuum largiretur. Atqui repugnat manifesto, quominus Christus Apostolis, talis magister talibus discipulis in tali momento, in re tam gravi loqueretur sensu non proprio sed metaphorico, non claro sed obscurissimo, non obvio et nativo sed contorto et alieno; repugnat scilicet aperte, ut eis velut laqueum erroris iniiceret, quem vitare non poterant, nisi a fidei suae simplicitate ab ipso Christo laudatae deficientes et ad Iudaicam dubitationem se convertentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ergo verba institutionis, ut immediato et proprio sensu accipiantur, plane necesse est.

12. *Confirmatur argumentum* considerato modo, quo inter homines testamenta conduntur. Apposite *Bellarminus:* „Confirmatur ex humano more, a quo etiam Apostolus argumentum sumpsit (Gal. 3.), ubi dicit testamentum hominis ita esse ratum, ut nemo audiat aliquid addere vel demere. Iam ergo testamenta humana in proprio sensu verborum intelligenda esse iubent humanae leges, non aliter. Et idee, si testamento relinguatur domus aut ager, et vellet aliquis cavillari, non esse relictam domum veram sed depictam et exponeret: relinquo domum i. e. signum domus, apud nullum iudicem obtineret. Quanto igitur minus obtinere debent adversarii, qui testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum detorquere audent ad metonymias" (De eucharistia l. 1. c. 9.).

13. *Confirmatur secundo* ex collatione verborum institutionis (Matth. 26, 29.) cum Exod. 24, 8. coll. Heb. 9, 20., utpote qua comparatione omnis figurae suspicio a verbis institutionis excluditur. Videlicet utrobique testamentum instituitur et confirmatur sanguine, utrebique eadem verba adhibentur. Iamvero Exod. 24, 8. nullo pacto significatur sanguinis figura, sed verus adhibebatur. Ergo et Matth. 26, 27. ss. intelligendus est verus sanguis, quo novum testamentum sancitur et confirmatur et qui bibendus exhibetur. Quod ut manifestum fiat, duos illos locos iuxta se ponere satis erit; hinc enim sponte parallelismus prodit ideoque argumenti vis manifesto apparet: *Ille* (Moyses) *sumptum sanguinem respersit in*

populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepegit Dominus vobiscum (Exod. 24, 8.). — *Accipiens calicem gratias egit et dedit dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus novi testamenti* (Matth. 26, 27. ss.).

**2. *Ex contextu verborum institutionis apud* 14.
*S. Paulum.*** — Adductis verbis institutionis Apostolus infert, eum, qui indigne manducaverit panem hunc vel calicem Domini biberit, corpus et sanguinem Domini violare et iniuria afficere: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo . . .; qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans* (μὴ διακρίνων) *corpus Domini* (1. Cor. 11.). Atqui haec illatio eatenus tantum valet, quatenus haec verba immediato et proprio sensu accipiuntur. Etenim gravitas peccati explicatur ex obiecto, circa quod versatur; atqui indigna manducatio frustuli panis, quod figura tantum corporis Christi est, tantae gravitatis crimen esse non apparet. Recte prorsus catechismus Romanus: „Quodsi, ut haeretici dictitant, nihil aliud in sacramento venerandum esset praeter memoriam et signum passionis Christi, quid opus erat, tam gravibus verbis fideles hortari, ut seipsos probarent? Gravi enim illa iudicii voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens corpus Domini, quod in eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit" (P. 2. c. 4. n. 28.).

Praeterea accuratius peccatum illud indignae sumptionis 15.
determinans Apostolus dicit, eo quidem indigne sumentem peccare, quod *manducat et bibit non diiudicans corpus et sanguinem Domini;* videlicet: Practice non aestimat illum panem esse, quod reipsa est, quia non aestimat ut corpus Domini: atqui hic defectus discretionis tunc tantum recte urgetur, si realis Christi in eucharistia praesentia supponitur; ergo.

Confirmatur argumentum ex 1. Cor. 10, 16. Quo enim 16.
sensu Apostolus verba institutionis accipi velit, clare apparet ex hoc loco, ubi celebrationem ss. eucharistiae sic describit:

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quae verba claritate sua per se loquuntur. Calix scilicet consecratus, quatenus ex eo bibimus, est ipsa unio cum sanguine Christi, non solum eam significat; et panis consecratus, quatenus eum manducamus est ipsa cum corpore Christi unio. *Confirmatur etiam,* quia pergit Apostolus: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Scilicet tamquam unitatis ratio corporis fidelium mystici exhibetur. quod ex uno eodemque pane participamus (ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου), ex corpore scilicet Christi. Atqui unus panis et unitatis illius ratio eucharistia tum solum congruenter dicitur, si non solum figura corporis Christi, sed ipsum verum et reale eiusdem corpus est. Ergo.

17. ***4. Ex verbis institutionis accuratius in seipsis inspectis.*** — Ex consideratione accuratiore ipsorum verborum institutionis duplex ratio facile derivatur:

1) *Prima ratio.* — In verbis: *Hoc est corpus meum* — τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου pronomen *hoc* vel τοῦτο non potest significare determinate panem ita, ut sensus sit: hic (sc. panis) est corpus meum, quemadmodum dicimus hominem aliquem fortem designantes: hic (sc. homo) est leo; ratio est, quia *panis* latine, et ἄρτος graece masculini generis est, pronomen autem sententiae, de qua agitur, in genere neutro positum est: *hoc* vel τοῦτο; pronomen autem genere conformatur subiecto pro quo supponit vel quod designat. Ergo, cum huiusmodi pronominibus demonstrativis, ut vel ipsi grammatici testantur, nihil aliud nisi praesentia rei significetur vel praesens demonstretur res, de qua in praedicato explicatur quid sit; in casu praesenti simpliciter identitas enuntiatur realis inter subiectum et praedicatum seclusa omni loquendi figura. *Confirmatur,* quia genus pronominis praedicato conformatur etiam in sententia: *Hic est sanguis meus.* Ergo verba Christi figura quavis seposita significant: Illud, quod porrigo, quod manducandum et bibendum vobis praebeo, corpus meum et sanguis meus est; corpus autem et sanguis

Christi proferto non sunt tantum figura corporis et sanguinis Christi; ergo.

2) *Altera ratio.* — Insuper et quam maxime conside- 18.
randum est, praedicatum in verbis institutionis emphatice exprimi cum articulo repetito: τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τὸ αἷμά μου τό τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον (Matth., Marc., Luc.). Iamvero talis emphasis ad exprimendum sensum proprium spectat adeo, ut sensus necessario sit: Hoc quod trado vobis manducandum est ipsum corpus meum, ipsum quod pro vobis traditur; quod vobis porrigo bibendum est ipse sanguis meus, ipse sanguis N. T., ipse sanguis, qui pro vobis effunditur. Ergo. Secundum hanc emphasin iam SS. Patres Eucharistiam declararunt esse *ipsum corpus, proprium corpus, vere et proprie corpus Christi,* ut infra accuratius exponetur. Ergo iterum sensus metaphoricus a verbis institutionis prorsus exclusus est.

5. Ex quadam loquendi lege. — Suprema lex 19.
loquendi est, ut a loquente eo sensu verba adhibeantur, quo ab auditoribus sive ex natura rei sive ex usu intelligi possint et debeant; atqui hac lege ex ipso fine locutionis derivata recte considerata verba Christi ss. eucharistiam instituentis accipi non possunt sensu metaphorico: ergo. — Maior argumenti principium enuntiat, quod tum in se evidens est tum ab omnibus admittitur.

Probatur igitur minor: Duplex distingui potest et solet vocum et sententiarum categoria, quarum alterae significant rem, prout est in se; alterae vero rem significant non prout est in se, sed prout signum alterius est. Exemplum sententiae secundi generis v. g. est, si ostendens imaginem dico: Hic est imperator vel hic est summus pontifex. In sententiis secundi generis, quia signum in quantum tale cum re significata idem reputatur, res significata de ipso signo enunciatur. *Verum talis loquendi ratio metaphorica neque usuvenit neque igitur intelligitur nisi certis sub conditionibus atque certis in casibus et quidem:* 1) Legitima est et intelligitur, si res vel subiectum sententiae ex natura sua rationem signi relate ad

praedicatum habet, cuiusmodi sunt imagines, sculpturae; vel etiam si subiectum rationem continentis relate ad praedicatum tamquam contentum habet, ut quando marsupium ostendens dico: haec est pecunia mea. Hinc facile et recte quis intelligitur, quando statuam ostendens dicit: Hic est Caesar, vel quando cartam geographicam monstrans ait: Hoc est imperium Sinense. 2) Pariter legitima est et intelligitur eiusmodi figurata locutio, quando de rebus agitur, quae quidem non ex natura sua sed ex institutione communiter cognita tamquam apta signa aliarum rerum concipiuntur; cuiusmodi signa typi V. T. exhiberi possunt, v. g.: *Petra autem erat Christus* (1. Cor. 10, 4.); *haec* (Sara et Agar) *sunt duo testamenta* (Gal. 4, 24.). 3) Item sensus figuratus manifestus esse potest ex ipsa orationis indole, ut in parabolis, in quibus ex communi usu res similes adhiberi solent ad significandas alias res similes, ut v. g.: „*Ager est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam . . . Messores autem angeli sunt*" (Matth. 23, 38. 39.). — *Vos estis sal terrae etc.* 4) Denique sensus figuratus legitimus est atque intelligitur, si loquens expressis et apertis verbis notat, se certam rem tamquam signum alterius rei assumere, ut v. g.: Ponamus, hanc urbem esse Romam, hanc domum vero Capitolium. — In his igitur omnibus casibus figurata locutio legitima et intelligibilis est; sed etiam in his solis. Praeter hos casus autem, si quis nomina rerum, quae communiter absolute in se spectantur, in sermone tamquam signa adhiberet, is fallaciter sane necnon inepte prorsus loqueretur neque ulla ratione ab auditoribus suis intelligeretur neque intelligi posset. Ita v. g. si quis crustulum panis ostendens diceret: Hic est Caesar, dum sola mente nulla facta monitione crustulum panis tamquam signum Caesaris adhiberet: talis homo proferto non intelligeretur, sed ab omnibus iocari aut insanire crederetur.

20. Atqui cum Christus panem et vinum porrigens diceret: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* panis et vinum nulla ratione spectari poterant ut signa corporis et sanguinis eius. Etenim *primo* eiusmodi signorum rationem non habent

ex natura sua, imo vero ad talem significationem habendam inepta sunt. Quare *secundo* neque ex usu communi eiusmodi signa reputantur. *Tertio* neque ex indole orationis Christi ullo modo patet, eundem illa tamquam signa sui corporis et sanguinis adhibere voluisse, imo vero oppositum potius constat. Unde *quarto* minus etiam expresse significavit, se panem et vinum tamquam signa eiusmodi adhibere. Eadem vero momenta etiam valent contra suppositionem, quod Christus panem et vinum tamquam continentia corpus et sanguinem suum consideraverit atque figurate de continente contentum praedicaverit. Ergo manifesta est conclusio: Christus non solum inintelligibiliter sed inepte prorsus locutus esset, si verba adhibita non proprio sed metaphorico sensu adhibuisset; quod proferto absit a persona Salvatoris. Ergo verbis institutionis manifeste realis praesentia edicitur.

21. ***6. Ex SS. Patrum interpretatione.*** — Quando agitur de verbis scripturae tam gravibus, tum imprimis considerandus etiam est externus sed primarius interpretationis sacrae scripturae canon, scilicet SS. Patrum auctoritas. Iamvero haec auctoritas toto suo pondere catholicam verborum institutionis acceptionem confirmat, haereticam vero penitus explodit. Ergo. Minor quibusdam momentis ex SS. Patrum doctrina adductis et consideratis facile et manifesto probatur.

1) Momentum primum. — Catholici verba institutionis interpretantes ab haereticis sacramentariis in eo differunt, quod illi sensum amplectuntur, qui consideratis terminis significantibus clarus, facilis et obvius est, rei autem significatae ratione ducta arduus atque humanam intelligentiam excedit; hi contra sensum comminiscuntur, qui spectatis terminis significantibus obscurus et difficilis est, spectata vero re significata facillimus et plane vulgaris. Iamvero non cum sacramentariis, sed cum catholicis aperte sentiunt Patres. Etenim ex una parte verba institutionis secundum claram suam obviam et facilem significationem accipiunt, ut v. g. *Macarius Magnes:* „Dixit (Christus): *hoc est corpus meum;* non enim figura corporis est neque figura sanguinis ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veri-

tatem corpus et sanguis Christi" (Galland. Bibl. t. 3. p. 541.). Et *Chrysostomus:* „Solvit (Christus) principalem eorum festivitatem (pascha V. L.) ad aliam eos transferens mensam valde tremendam aitque: *accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Et quomodo non turbati sunt hoc audientes? Quia multa et magna de hoc etiam antea ipsis dixerat (Ioan. 6.). Ideo illud non amplius declarat, iam enim satis audiverant" (Hom. 82. al. 83. in Matth.). Ex altera vero parte rem ipsam significatam mirabilem et intelligentiam humanam excedentem declarant. Ita idem *Chrysostomus* ibidem paulo inferius: „Deo igitur ubique credamus nec contradicamus, etiamsi quod dicit, rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat eius verbum nostris rationibus et sensibus. Sic etiam in mysteriis faciamus, non solum quae sub sensus cadunt respicientes, sed verba eius tenentes. Verbum quippe eius infallibile est, sensus vero noster facile decipitur, verbum eius nunquam excidit, sensus noster in multis fallitur" (L. c.).

22. 2) *Alterum momentum.* — Exploratum est, Patres locum aliquem scripturae proprio et immediato sensu intellectum velle, si eum nulla explicatione addita tamquam dogma fidei proponunt. Iamvero ita Patres in verbis institutionis tractandis versantur. Sic v. g. *Cyrillus* H. recens baptizatos docens, quid de eucharistia credere eos oporteat haec scribit: „Cum igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: *hoc est corpus meum,* quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante et dicente: *Hic est sanguis meus,* quis, inquam, dubitet et dicat, non esse illius sanguinem? ... Ne ergo consideres tamquam panem nudum et vinum nudum; corpus enim est et sanguis Christi secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices, quin potius ex fide habeas pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus et sanguinem" (Catech. 4. myst.). Huc spectant etiam verba *Chrysostomi* paulo superius citata, cf. etiam *Epiphanius,* in ancorato; *Gaudentius Brixin.* in Exod. tract. 2.; *Ambrosius,* de his qui mysteriis initiantur c. 9.; *Hieronymus,*

ad Hedibiam; *auctor hom. 5.* de Páschate Eusebii Emisseni nomine inscriptae.

3) *Momentum tertium.* — Neque in prima signi alicuius 23.
institutione nec post signi institutionem coram rei institutae ignaris de signo rem significatam affirmare licet, nisi aperta declaratio adiiciatur. Quare, si Patres sive recens baptizatis sive ethnicis rationem fidei nostrae reddebant, verbis institutionis, siquidem figurato ea sensu ab auditoribus accepta volebant, explicationem huc spectantem adiicere debebant. Iamvero constat, nullam eiusmodi explicationem eos addidisse. De Patribus coram recens baptizatis mysterium eucharistiae exponentibus satis est conferre testimonia *Cyrilli, Gaudentii Brixinensis* modo citata. Pro Patribus coram ethnicis disserentibus testis sit *Iustinus Martyr*. Hic igitur in apologia Antonino Pio pro christianis oblata horum synaxes describens inter alia haec notat: „Alimentum hoc apud nos appellatur eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, nisi qui credat, vera esse, quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat, ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam illam alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus, postquam ea per precem verba eius continentem facta est eucharistia. Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt, eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto actisque gratiis dixisse: *Hic est sanguis meus*, ipsisque solis tradidisse" (n. 67).

4) *Momentum quartum.* — Effectio eucharistiae tum 24.
solum stupendum miraculum atque divinae omnipotentiae insigne est, si institutionis verba immediato et proprio sensu accipiuntur. Si igitur SS. Patres effectionem ss. eucharistiae

ut stupendum divinae omnipotentiae miraculum considerant eamque aliis omnipotentiae operibus illustrare et confirmare solent. argumentum est quavis exceptione maius, ex eorum mente proprium et immediatum verborum institutionis sensum esse agnoscendum. Atqui SS. Patres reipsa saepenumero de verbis institutionis agentes ea ratione procedunt. Ita v. g. *Cyrillus H.* ad miraculum Cana patratum provocat: „Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguinis propinquum, in Cana Galilaeae sola voluntate; et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutasset?" (L. c.). Et *Ambrosius* item l. c.: „Forte dicas: aliud video: quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus." Pluribus deinde adductis exemplis, quibus transmutationem panis in corpus Christi haud incredibilem esse declarare conatur, hunc in modum loquendo prosequitur; „Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas". cf. insuper *Irenaeus*, adv. haeres. l. 5. c. 2.; *Hilarius*, de Trinit. l. 8.; *Gregorius Nyss.*, orat. catech. n. 37.; *Ephraemus*, de natura Dei; *Auctor lib. de sacram.* l. 4. c. 4. et 5.; *Chrysostomus* l. c.

25. *Opponunt* quidem Sacramentarii quosdam veteres, qui verba institutionis metaphorice acceperint; sed cum ceteri immerito opponi facile perspiciantur, unus fere *Theodoretus* mentionem meretur. Itaque hic in dialogo I. comparat has duas propositiones: Ego sum vitis· vinum est sanguis Iesu Christi: atque ideo sicuti illam, ita hanc enuntiationem metaphoricam habere videtur. — *R.* Aliis praetermissis ad contextum animus intendendus est, ut Theodoretus recte intelligatur. In eo scilicet est, ut demonstret, Verbum carnem factum esse non mutando se in carnem, sed se carne vestiendo. Quem in finem scripturae testimonia adducit, quibus

doceamur, carnem assumptam ab ipso Verbo mansisse distinctam et veli cuiusdam ac vestis instar se habuisse. Inter quae testimonia et illud est Iacobi patriarchae, Messiam vestem suam in vino et tunicam suam in sanguine loturum esse: ex mente enim Theodoreti vestis et tunica de corpore Christi intelligendae sunt. Vini scilicet nomine, cum sit quasi sanguis vitis, ipse ille sanguis, quo Christus lavit corpus suum, denotatur. Nam Christus semetipsum ideo vitem appellavit, quia sanguinem suum vinum nominavit atque hoc in illum convertit. Ex quibus omnibus manifestum est, Theodoretum tantum abesse, ut verba institutionis metaphorico sensu acceperit, ut potius totam suam aliquantum sane singularem deductionem in proprio et immediato sensu verborum: *Hic est sanguis meus* fundaverit.

Scholion.

1. Obiectiones solvuntur. — Multae difficultates a **26.** sacramentariis vel aliis catholici dogmatis adversariis obiectae ex demonstratione instituta sine negotio solvuntur: alias vero ex professo considerare iuvat. Itaque:

1) Ex ipsius scripturae verbis in ss. eucharistia nonnisi panis et vinum esse videntur. Etenim ex Matth. 26, 29. coll. Marc. 14. 25. *discimus, Christum prolatis verbis: Hic est sanguis meus, continuo subiecisse: Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Illud igitur, quod verbis illis iam pronuntiatis in calice continebatur, non sanguis, sed vinum erat. Pariter Apostolus* 1. Cor. 10. et 11. *eucharistiam repetitis vicibus panem appellat, ut v. g.: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Eucharistia autem, si corpus Christi est, panis vocari nequit. Ergo. — R. n.* antecedens. Quod vero *primo* attinet textum ex Matthaeo obiectum, nulla inde difficultas oriri perspicitur, si, ut par est, ordo factorum et dictorum ex Luc. 22, 15—21. colligatur. Inde enim patet, verba, quae Matthaeus et Marcus in fine ritus referunt, Christum de coena paschali ante eucharistiae institutionem protulisse. *Ceterum* etsi verba Christi

recto ordine a Matthaeo relata essent atque ipsum calicem consecratum spectassent, dogma catholicum non excluderent, quia non quidem de termino ad quem conversionis intelligi deberent. sed de termino a quo eiusdem intelligi possent; vel ea valent, quae iam subiiciuntur quoad vocem *panis* apud Apostolum. Scilicet quod *secundo* obiectam loquendi rationem Apostoli attinet, haec notanda sunt: Etiam catholici eucharistica consecratione peracta, eucharistiam appellant panem sanctum vitae aeternae, et panem coelestem; neque tamen ideo realem praesentiam corporis Christi negant. Scilicet ea appellatione utentes legem loquendi sequuntur, qua ab externis sensibilibusque accidentibus rem denominamus. *Deinde* scripturae usitatum est, rei etiam mutatae in alteram, idem nomen tribuere, quo ante mutationem designabatur (cf. Ioan. 2. 9.; 9, 1—17.; Exod. 7, 12.). Mirum igitur non est, quod idem in textu obiecto quoque eveniat, maxime quia mutatio, quae in eucharistia fit, accidentia et phaenomena sensibilia non afficit. *Praeterea* aliud est, Apostolum eucharistiam dicere panem simpliciter et aliud, eandem eucharistiam, quam iam dixerat esse corpus Christi, panis appellatione exhibere. *Denique* eucharistiam non vocat panem sine addito, sed hunc panem ideoque eam panem certae rationis demerminatique ordinis esse designat. Scilicet ut ex contextu aliisque Apostoli testimoniis patet, eucharistia ille panis est coelestis ad vitam supernaturalem nutriendam destinatus, quem Christus se nobis daturum esse promisit: *Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.*

27. 2) *In scriptura saepenumero vocabulum* ***est*** *idem valet ac vocabulum* ***significat,*** *ut v. g. in hoc testimonio: Sic autem comedetis illum (agnum): Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus. tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim phase (i. e. transitus) Domini. Et transibo per terram nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus . . . Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus, in quibus eritis et videbo sanguinem et transibo vos* (Exod. 12. 11.). *Scilicet in inciso illo:* ***Est enim phase Domini*** *vocabulum*

est manifesto idem dicit ac ***significat.*** *Ergo idem vocabulum* ***est*** *etiam in verbis institutionis ita sumi potest.* — *R.* Vocabulum *est* etiam in scriptura aliquando idem valere ac vocabulum *significat* concedi potest; sed num in speciali casu reipsa idem valeat, ex contextu, constructione, ex indole subiecti et praedicati aliisque similibus momentis determinandum est. Iamvero his consideratis nulla est ex verbis obiectis contra verba institutionis catholice intellecta difficultas. Etenim *primo* etsi verba obiecta: *Est enim phase Domini* idem valerent, quam: *Est signum transitus Domini*, nihil tamen haberetur, quod cum verbis institutionis conferri posset. Etenim apparatus caeremoniarum, quae in agni immolatione ac esu observandae Exod. 12. praescribuntur, Israelitas sponte excitabat, ut aliquid eo significari persuasum haberent; quod etiam haec verba ibidem (12, 27.) occurrentia ostendunt: *Et cum dixerint vobis filii vestri: Quae est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est.* Quare rem, de qua agitur, non ut rem, sed ut signum considerare debuerunt. Nimirum instituta erat haec sollemnitas in memoriam liberationis populi israëlitici et transitus Domini, quo Deus omne primogenitum Aegyptiorum percutiens domos filiorum Israël transiit iisdem pascens. Aliter autem prorsus res se habet in verbis institutionis, utpote quae non de sollemnitate aliqua cognita agunt, sed in quibus praedicatum ipsum aliqua substantia est. — *Praeterea* vero considerandum est, Hebraeis valde solitum fuisse, victimas a suo fine appellare; qua ratione v. g. victimae pacis vel peccati simpliciter *pax* vel *peccatum* appellantur, unde sacerdotes *peccata populi comedere* (Os. 4, 8.) et Christum *pro nobis peccatum factum esse* (2. Cor. 5, 21.) dicitur. Quare etiam victima transitus Domini simpliciter transitus vocari potest atque ita revera res in ipsa scriptura explicatur. Iamvero hac ratione verba institutionis explicari non posse, nimis apertum est; nam valde absonum est, panem spectare ut victimam, corpus vero Christi tamquam finem, propter quem ille immoletur; neque eiusmodi figurae ullum vestigium in scriptura exstat. — *Denique* quod caput est, in allegato textu Exodi vocabulum *est* non dicit

significat vel *repraesentat*, aut simile quid. sed dicit tantum et simpliciter, ut legitur *est*. Etenim hebraice habetur: pesach hû lejahve = phase est Domino, scilic. sacrum vel dicatum. Nimirum Deus ipse hoc nomen sollemnitati imponit. Quare sensus tandem aliquando non est: *hoc significat phase Domini*, sed *haec est sollemnitas perpetuo appellanda nomine Phase et sacra Domino*. Itaque absurdus est Zwinglius, qui illam explicationem a monitore suo se edoctum esse comminiscitur, aeque absurdus ac si quis verba: *hoc est pascha Domini*, in sollemnitate paschali pronuntiata interpretaretur: *hoc significat pascha Domini*.

28. *3) Indoles linguae syro-chaldaicae talis est, ut careat vocabulis, quibus exprimatur, quod Latini vocabulis* ***significat, repraesentat,*** *et dictionibus:* ***figura, typus, symbolum, signum est,*** *exhibent. Quare, si Christus dicere voluit: hoc significat corpus meum, aliter id exprimere non potuit, quam propositione:* ***Hoc est corpus meum.*** *Ergo hic sensus metaphoricus admittendus est. — R. Primo n.* consequentiam. Etiamsi enim verum esset, quod ponunt, nihilominus verbum *est* etiam apud Syros communiter nativam suam significationem retinet; quare aliunde quam ex meris vocabulis sensum intentum determinandum esse consequeretur. Iamvero, ut argumenta allata ostendunt, haec determinatio in favorem Sacramentariorum fieri nequit. — *Praeterea* ss. scriptores institutionem eucharistiae referentes, si unus Matthaeus excipiatur, idiomate non syro-chaldaeo, sed graeco suas relationes scripserunt; quare potius indoles linguae graecae prae oculis habenda est. — Denique falsum est, quod de lingua syro-chaldaica obiicientes comminiscuntur. Ut enim Cardinalis *Wiseman* demonstravit, Christo, si sensu a Sacramentariis confecto loqui voluisset, quadraginta quinque vocabula praesto fuissent; insuper Syri fere nunquam vocabulum *est* pro *significat* usurpant ne tum quidem, quando nulla ex eiusmodi usu ambiguitas oriretur; imo vero *tandem* ipsi scriptores Syri ex discrimine inter vocabula *est* et *significat* realem praesentiam demonstrant, ut v. g. Maruthas, Taugritensis episcopus et

cum S. Chrysostomo aequalis atque familiaris: „Nunc quoties ad corpus et sanguinem Christi accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus. nos corpus amplecti et fieri de carne eius et de ossibus eius, sicut scriptum est. Nam etiam Christus non appellavit typum aut figuram, sed dixit vere: *hoc est corpus meum*" (*Asseman.*, biblioth. orient. I. p. 180.).

4) Christus verbis institutionis sacramentum sive sacrum signum instituit. Iamvero de signo res significata praedicari solet et praedicari intelligitur. Ergo verborum Christi: ***Hoc est corpus meum*** *sensus est: Hoc est signum corporis mei Confirmatur ex verbis additis:* ***Hoc facite in meam commemorationem,*** *utpote quibus verba illa priora ad sensum figuratum determinantur. Nam memoria rerum absentium et praeteritarum, non autem praesentium est; atque insuper ipsum memoriale identicum sane nequit esse cum eo, cuius memoria colitur. Atqui ex praecepto isto eucharistia in memoriam Christi instituta esse intelligitur. Ergo eucharistia solum signum Christi est neque igitur Christus in ea realiter praesens credi debet. — R.* Primo *d.* mai. Christus verbis illis instituit sacramentum audientibus vel legentibus iam praesciis illo momento et illis verbis esse instituendum sacramentum *n.* audientibus et legentibus ex ipsis Christi verbis institutionem sacramenti intelligentibus *sbd.* sacramenti, quod est panis tamquam nudum signum corporis Christi *n.* quod est ipsum corpus Christi verum et reale sub specie panis *c.* Nimirum demonstratio obiecta ad summum tunc et quidem tum solum valeret, si Christus demum pronuntiaturus verba institutionis Apostolos iam monuisset de proposito suo eo momento instituendi sacramentum et quidem in concreto panem tamquam signum rei sacrae. Revera enim eiusmodi monitione de instituendo pane tamquam sacro signo non praemissa audientes et legentes verba Christi ex iisdem nullo pacto vel coniicere potuerunt, panem tamquam sacrum signum institui; verum potius omnino credere debuerunt, ipsum corpus Christi sub specie panis tamquam sacramentum iisdem verbis institutum esse; quod manifestum est tum ex ipsa ratione

verborum tum spectata promissione Christi ante annum circiter facta (Ioan. 6.). Iamvero Christus eiusmodi monitionem nequaquam praemisit; imo vero nullam de ullo sacramento instituendo suspicionem iniecit verbis institutionis nondum pronuntiatis. Quare cum panis neque ex natura sua ullo modo signum corporis humani sit, verba: *hoc est corpus meum* non possunt intelligi de pane in signum corporis Christi instituto, sed de ipso corpore Christi sub specie panis constituto intelligenda sunt. Atque insuper considerato praecepto a Christo addito: *Hoc facite in meam commemorationem* intelligi potest et intelligendum est, etiam sacramentum institutum esse, verum sacramentum quod nihil aliud est, quam ipsum corpus et sanguis Christi sub phaenomenis sensibilibus panis et vini constitutum in refectionem animarum nostrarum.

30. Quod *confirmationem additam* spectat, imprimis penitus falsum est, verbis: *hoc facite in meam commemorationem* determinari sensum priorum verborum: *hoc est corpus meum.* Imo vero intellectus horum verborum ab illis praesupponitur. Nam illis verbis praecipitur Apostolis eorumque successoribus, ut idem, quod Christus modo fecit, et ipsi faciant; eiusmodi autem praeceptum supponit, iam intellectum esse, quod Christus fecit ideoque intellecta esse verba, quibus, quod Christus fecit, continetur.

31. Denique *argumentum additum* ineptum est. Etenim eorum omnium memoriam habere valemus, quorum oblivisci possumus. Atqui non absentium tantum, sed etiam praesentium, maxime si sensus nostros non percellunt, oblivio esse potest. Iamvero ita praesens est Christus in eucharistia, ut eius praesentia sub sensus non cadat. Pariter, quamvis nemo possit esse memoriale suiipsius secundum idem vel secundum eundem statum, idem tamen posse intelligitur secundum aliud vel alium statum. Igitur eucharistia instituta est in memoriam Christi invisibiliter praesentis et memoriale est Christi nunc gloriosi et praesertim olim patientis et morientis et humanum genus redimentis: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Etiamsi igitur memoria tantum praeteritorum esset:

etiam haec secundum catholicam fidem in eucharistia habetur, cum profecto passio et mors Christi ad praeterita pertineant.

5) *In ipsis verbis institutionis pro consecratione calicis* 32.
Christus tropis utitur, cum dicit: ***Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*** (Luc. Paulus); *continens enim pro contento ponitur i. e. calix pro eo, quod in calice est. Et pariter signatum pro signante ponitur i. e. testamentum pro signo testamenti, quia sensus est: calix est signum novi testamenti. Ergo tota locutio et etiam ipsa verba:* ***Hoc est corpus meum*** *tropice accipi possunt. — R. primo* ille tropus reipsa adhibitus, quo continens pro contento ponitur, facile intelligitur, quia obvius est; verba autem: *hoc est corpus meum* tropice intelligi nequeunt, ut demonstratum est. *Deinde* vero verba Christi: *hic est calix novum testamentum in sanguine meo* hanc significationem habent: Hic calix (i. e. quod continet) novum testamentum est sanguine meo sancitum, vel etiam: Hic calix est sanguis meus novum testamentum sanciens. Nulla autem ratione sensus est: Hic sanguis significat novum testamentum. Quod tum ex ipsis verbis, tum ex comparatione cum Matthaeo et Luca elucet, qui clarissime dicunt: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Etenim quod sensum attinet, ss. scriptores sane concordare debent, cum in modo significandi aliqua differentia inter eosdem esse possit. Quod reipsa in hac re contingit, cum idem quidem sed alio et alio modo significent. Paulus enim et Lucas directe effectum, causam indirecte; Matthaeus vero et Marcus directe causam, effectum indirecte exprimunt.

6) *Denique contra demonstrationem ex verbis institu-* 33.
tionis derivatam difficultas hunc in modum fieri potest: Ex verbis institutionis realis praesentia corporis Christi non demonstratur, si etiam, reali praesentia non admissa, sensum aliquem verum quidem (neque tamen metaphoricum) habere possunt; atqui ita est, si ponatur, personam Christi hypostatice ipsum panis corpus assumpsisse; tunc enim ipse panis tam vere corpus Christi est, quam ipsum corpus humanum, quod gerit. Ergo in hac hypothesi verba institutionis: ***hoc est***

corpus meum *omnino verum quidem et proprium sensum habent, quamvis corpus humanum praesens non sit.* — ***R. Primo*** sensus obiectus, etsi cum textu latino non pugnat, per textum graecum tamen prorsus excluditur. Cum enim in hoc habeatur, τοῦτό εστι τὸ σωμά μου τὸ δὲ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον i. e. vocabulo σῶμά articulus sit praepositus et deinceps repetitus, manifestum est, non aliquod tantum Christi corpus, sed certum illud et determinatum unicum, quod Apostoli coram se videbant. quod Christus tunc gerebat et in quo passurus erat, illo termino designari. — ***Praeterea*** forma consecrationis panis proportionaliter vel eadem ratione intelligenda est ac forma consecrationis calicis; iam vero hac considerata de hypostatica assumptione suspicio esse non potest, quia vinum per hypostaticam assumptionem sane non fit sanguis. — ***Denique*** ipsa illa hypothesis arbitraria et probabilius impossibilis ideoque satis absona apparet.

34. ***2. De vi et ratione vocabuli*** *hoc* ***in propositione: Hoc est corpus meum.*** — Ratio quaerendi de hac re est, quod haeretici catholicis dissidium obiecerunt, quod in hac quaestione explicanda inter theologos catholicos exstat. Verum hoc dissidium magis apparens esse, quam reale, ex declaratione iam facienda eiusque comparatione cum diversorum theologorum catholicorum doctrina, facile apparebit. Iam quod spectat vim et valorem pronominis: *hic, haec, hoc* apprime discerni debent: formalis significatio, terminus demonstrationis, suppositio. Itaque unumquodque horum considerandum est.

1) De significatione huius pronominis. — Significatio alicuius vocabuli in genere est eius valor ad certam ideam menti auditoris vel lectoris ingerendam sive est vocabuli vis repraesentativa alicuius rei. Iamvero pronomen demonstrativum *hoc* significat praesentiam alicuius rei, neque praeter praesentiam rei quidquam aliud significat; nam ad nullam aliam ideam excitandam institutum est. Itaque in verbis Christi: *Hoc est corpus meum* vocabulum *hoc* neque panem neque corpus Christi determinate significat, sed significat tantum indeterminate rem praesentem sub phaenomenis sen-

sibilibus. Atque haec significatio eadem manet sine ulla mutatione sive propositione inchoata sive completa. Neque aliter res se habet in omnibus eiusmodi propositionibus demonstrativis, sive mere theoreticae sive practicae sunt.

2) *De termino demonstrationis.* — A significatione omnino discernendus est terminus demonstrationis. Hic scilicet est ipsa res praesens, ad quam pronomen dirigitur, vel quae pronomine demonstratur, ut v. g. si dico: haec est aqua, in hac propositione praecise ipsa *haec aqua* terminus demonstrationis vel demonstratus est. Verum discernendae sunt hac in re propositiones theoreticae et practicae: In propositionibus theoreticis res demonstrata eadem est initio et fine propositionis, quia theoretice tantum id enuntiant. quod est, quemadmodum fit in exemplo allato: haec est aqua. Aliter vero res se habet in propositionibus practicis, quae efficiunt id quod significant: in his enim terminus demonstrationis vel demonstratus alius est initio propositionis, et alius in fine eiusdem. Ponatur v. g. Christum aquam in vinum mutasse vi verborum: Hoc est vinum. In quo casu terminus pronomine *hoc* initio propositionis demonstratus erat aqua: in fine vero propositionis erat vinum; secus enim propositio neque efficax neque vera fuisset. Est etiam exemplum in rebus humanis: Si enim v. g. Summus Pontifex aliquem creare volens cardinalem utatur verbis: Hic est Cardinalis S. R. ecclesiae, homo demonstratus pronomine *hic* dignitate saltem alius initio propositionis et alius in fine eiusdem est. Etiam hoc exemplum alterum ad rem esse patet, quia, sicut homo verbis effectum iuridicum producere, ita Deus solo imperio rem aliquam miraculose immutare potest. Terminus igitur demonstrationis in propositionibus practicis est in statu transeunte. Dum in praedicato enuntiatur terminus alius ab eo, qui demonstratus est initio propositionis: significatur et efficitur, ut prior terminus demonstrationis desinat et adsit novus significatus per praedicatum; atque tunc eo ipso terminus demonstrationis iam est in statu permanente. Iam si haec applicentur ad praesentem quaestionem, ad verba: *Hoc est corpus meum* dicendum est: Terminus demonstrationis, 35.

cum initio propositionis panis sit, in fine eiusdum corpus Christi est.

36. 3) *De suppositione.* — A termino demonstrato iterum accurate discernendus est terminus suppositus vel suppositio. Itaque suppositio a Logicis definitur: usus termini in propositione pro re aliqua; vel est ipsum subiectum propositionis sub eo respectu consideratum, sub quo cum praedicato identicum ponitur. Quare de suppositione sermo esse nequit nisi propositione absoluta. Unde ulterius suppositio vel terminus suppositus coincidere intelligitur cum termino absoluta propositione demonstrato. Terminus igitur in propositione: *hoc est corpus meum* vocabulo *hoc* suppositus est ipsum corpus Christi sub generali ratione rei praesentis.

Iam hac de significatione, demonstratione, suppositione declaratione proposita et prae oculis habita duo facile consequuntur et intelliguntur:

a) Et *primo* quidem consequitur et intelligitur, facile cum invicem conciliari sententias theologorum apparenter diversas, ut S. Thomae (S. th. 3. p. q. 78. a. 5.), Alexandri Halensis (t. 4. q. 10. memb. 4. a. 2. § 3.), S. Bonaventurae (In 4. d. 8. p. 2. a. 1. q. 1.), Scoti (In 4. d. 8. q. 2.). Videlicet cum S. Thomas dicat, pronomen hoc supponere pro substantia in communi absque determinatione, quid et qualis haec substantia sit; Alexander Halensis et Bonaventura volunt, illud supponere pro pane et vino convertendis: et Scotus denique idem pro corpore et sanguine Christi supponere contendit. Iamvero omnes hae sententiae sibi non opponuntur neque se excludunt, sed aliud et aliud considerant ideoque potius invicem se supplent. Manifesto enim S. Thomae prae oculis versatur significatio; Alexandro et Bonaventurae terminus demonstratus initio propositionis; Scoto vero terminus demonstratus fine propositionis sive terminus suppositus. Quare ex his tribus sententiis coniunctis una adaequata explicatio habetur.

37. b) *Deinde* intelligitur, quid respondendum sit ad difficultatem, quam urgent et magni faciunt haretici: In verbis Christi: *Hoc est corpus meum* pronomen *hoc* necessario ad panem

refertur, si enim ad corpus Christi referretur, propositio tautologica esset, quia ad hanc formam redigi deberet: corpus meum est corpus meum; ergo sensus potius est: Hic panis est corpus meum. Atqui panis non potest esse corpus Christi per identitatem obiectivam; ergo panis est intelligendus esse figura corporis Christi. — *R.* enim: *d.* mai.: Pronomen *hoc* formaliter significat panem potius, quam corpus Christi *n.* mai.: significat enim simpliciter rem praesentem: terminus pronomine *hoc* demonstratus est panis *sbd.* initio propositionis *c.* in fine enuntiationis *n.* Rationem additum *n.*, quia inepta et absurda est. Propositio enim aliqua non ideo tautologica est, quia subiectum et praedicatum eandem rem designant, verum id ad veritatem propositionis requiritur. Tautologia autem in eo est, quod subiectum et praedicatum eandem rem eodem modo significant; atqui in verbis Christi pronomen *hoc* finita propositione corpus Christi quidem demonstrat, sed nonnisi indeterminate sub generali ratione rei praesentis significat; praedicatum vero hunc terminum demonstratum et indeterminate significatum corpus Christi esse distincte significat.

4) *De ratione adiectivi vel substantivi pronominis hoc.* — **38.** Hac occasione theologi etiam quaerunt, utrum pronomen *hoc* in propositione: *hoc est corpus meum* substantive an adiective accipiendum sit cf. Suarez d. 58. s. 7. n. 6.; Vasquez in 3. d. 201. c. 3. et c. 4.; Maldonatus in Matth. 26, 26.; Pallavicini, cursus theologicus t. 6. c. 18. n. 244. — Iamvero tota haec quaestio nullius momenti est, dummodo certum ratumque maneat, pronomen *hoc* esse subiectum propositionis, verba autem *corpus meum* eiusdem praedicatum. Sensus enim in utroque casu idem manet, quamvis modus concipiendi et enuntiandi in altero et altero casu paulo diversus sit. Nimirum quando mens loquentis directe spectat praesentiam alicuius rei vel pronominis *hoc* significationem indirecte autem terminum demonstratum, tunc ponendum est nomen *hoc* in genere neutro substantiae i. e. vicem habet substantivi: *haec res, hoc ens.* Quando autem potius directe spectat terminum demonstratum et indirecte significationem,

tunc iam initio praeconcipitur identitas termini demonstrati cum praedicato ideoque pronomen adiective construitur atque conformatur cum praedicato. — Iam in praesente quaestione de verbis institutionis pronomen in textu graeco secundum utrumque modum accipi potest; pariter verba consecrationis panis in textu latino, in verbis consecrationis calicis vero in Vulgata apud Matthaeum et Marcum pronomen adiective sumitur et cum praedicato concordat: *hic est sanguis meus.* Eadem ratione in liturgia Romana res se habet: Hic est calix sanguinis mei.. Ita fere de hac quaestione cum Cardinali Franzelin (th. 6. c. 1.) plerique theologi disserunt. — Quoad ipsam rem dicendum esse videtur, pronomen multo verius sumi adiective, quia hoc indoli linguarum graecae et latinae multo magis respondet.

39. ***3. Demonstratio realis praesentiae ex typis V. L. derivata.*** — De typis, quibus ss. eucharistia in V. L. praefigurata est, iam supra in prooemio (n. 12.) dictum est. Hoc loco pauca quaedam et maxime demonstrationem aliquam ex iis derivatam addere praestat Itaque *imprimis* praeter typos supra adductos etiam alia quaedam testibus Patribus et liturgia tamquam figurae eiusdem ss. sacramenti considerandae sunt, ut *sanguis testamenti* (Ps. 109, 4.: Ex. 24, 8.; cf. Hebr. 9, 17. ss.): *panes propositionis* (Lev. 21, 6. 8.; 24. 5. ss.; 1. Reg. 21, 4.); *panis subcinericius Eliae* (3. Reg. 19, 6. ss.): Mirum autem non est, quod tot ss. eucharistiae figurae assignentur: nam cum Vetus Testamentum generatim institutis suis esset *parabola temporis instantis* (Heb. 9, 9.) et *paedagogus in Christus* (Gal. 3, 24.) hoc augustissimum sacramentum imprimis sacris typis praefigurari conveniens erat. *Deinde Bellarminus* ex his figuris V. L. realem praesentiam hunc in modum demonstrat: „Figurae necessario inferiores esse debent rebus figuratis. Figurae autem sacramenti eucharistiae vel sunt excellentiores vel non inferiores simplice pane naturali significante corpus Christi. Igitur eucharistia non est simplex et naturalis panis significans corpus Christi, sed est ipsum corpus Christi, panis vere coelestis et supersubstantialis.“

Minor argumenti typis quibusdam nominatim consideratis 40.
hac ratione demonstratur a *Vito Erbermanno* in *vindiciis Bellarminianis:* „Agnum paschalem figuram fuisse eucharistiae docent Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, Cyprianus, Augustinus, Leo M., Gregorius M. Et ex ipso evangelio Matthaei manifesto colligitur. Denique cum agni paschalis caeremonia non tam in immolatione, quam in manducatione posita fuerit, respondet ei in novo testamento agnus ille, qui tollit peccata mundi, quatenus manducatur; quod certe non aliter fieri solet, quam in eucharistia. Iamvero agnum paschalem Iudaeorum, rem fuisse praestantiorem eucharistia nostra, si in ea non vere corpus Christi continetur, perspicuum est. Sive enim consideretur agnus et panis ut res naturalis, sive ut symbola significantia, sine dubio utrobique excellit agnus; quis enim dubitet carne agni melius significari carnem Christi, quam pane? . .

Similiter Exod. 14. et Heb. 9. describitur testamentum 41.
vetus, ubi legimus. Moysen nomine Dei mandata legis proposuisse, dein aspersisse sanguinem in populum, ac dixisse: *Hic est sanguis, quem misit ad vos Deus.* Haec autem figura impleta est institutione huius sacramenti, ut patet ex Luc. 22., ubi disertis verbis Christus ait: *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo;* adeoque novum testamentum institutum est in coena. Idem relucet ex eo, quod Christus de industria, iisdem fere verbis, quibus Moyses, uti voluerit. Denique requisita ad testamentum adfuere in ultima coena, non autem in passione: Itaque cum sanguis ille testamenti veteris figura fuerit sanguinis eucharistici, patet meliorem fuisse figuram re ipsa figurata, si ibi verus sanguis, hic tantum sit vinum . . .

Tertio denique manna fuisse figuram ss. eucharistiae, 42.
patet ex verbis Domini Ioan. 6.: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Idem constat ex 1. Cor. 10., ubi mare rubrum baptismo et manna comparatur eucharistiae. Et revera etsi nec s. scriptura nec Patres id dicerent, tanta est inter utrumque similitudo, ut res ipsa clamet, illud huius

fuisse typum. Iamvero quod manna non tantum in entitate sua, sed etiam in significatione fuerit multo praestantius pane eucharistico, si hic vere non continet corpus Christi, quis dubitet? Nam manna erat e coelo, habuit omnem saporem, et aequa mensura sumebatur ab omnibus, licet diversa esse videretur etc., quae certo multo melius significant panem coeli verum, scilicet Christi corpus, quam panis noster usualis. Firmum igitur et inconcussum manet primum hoc ex figuris petitum argumentum" (Ad l. 1. c. 3. de sacramento eucharistiae.).

43. ***4. Rationes quaedam congruae, quibus convenientia veritatis statutae magis explanatur.*** — Cum realis praesentia naturaliter nec cognosci nec demonstrari queat, rationibus tamen congruis eius convenientia demonstratur et explanatur. Qua de re praeclare *S. Thomas:* „Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur. Unde super illud Luc. 22.: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* dicit Cyrillus: Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Salvatoris in fide; cum enim sit veritas, non mentitur.

Hoc autem conveniens est: *primo* quidem perfectioni novae legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Heb. 10, 1.: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet . . . est perfectivum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. *Secundo* hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostrae naturae assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiae est convivere amicis . . . sui praesentiam corporalem nobis repromittit in praemium dicens Matth. 24, 28.: *Ubi fuerit corpus congregabuntur et aquilae.* Interim tamen nec sua

praesentia corporali nos in hac peregrinatione destituit; sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit Ioan. 6, 57.: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maxime caritatis signum, et nostrae spei sublevamentum ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. *Tertio* hoc competit perfectioni fidei, quae sicut est de divinitate Christi, ita est de eius humanitate secundum illud Ioan. 14, 1.: *Creditis in Deum, et in me credite.* Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. Quae quidem non attendentes posuerunt corpus et sanguinem Christi non esse in hoc sacramento nisi sicut in signo, quod est tamquam haereticum abiiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde et Berengarius, qui primus huius erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri, ut habetur cap. *Ego Berengarius,* de consecr. dist. 2." (S. th. 3. p. q. 75. a. 1.).

Huc spectant etiam rationes supra iam in prooemio circa 44.
finem et fontem huius mysterii adductae. Denique *Suarez* hanc quaestionem de congruitate realis praesentiae tam egregie quam fuse prosequitur (Disp. 46. s. 7.).

Thesis 3. **Dogma realis praesentiae item invicte demonstratur constanti et universali SS. Patrum consensu.**

Declaratio.

Ratio demonstrationis ex traditione derivatae. 1.
— Scripturae doctrina vindicata iam accuratius considerandum et absolvendum venit testimonium traditionis, cuius specimen aliquod in praecedentibus thesibus incidenter exhibitum est. *Porro* doctrina traditionis hac in re tam manifesta est, ut si scriptura de ss. eucharistia nihil plane contineret, de eodem dogmate tamen ex sola traditione plene imo abundanter prorsus constaret. *Praeterea* eadem tradi-

tionis doctrina imprimis in SS. Patrum operibus deposita tam luculenta et abundans est, ut in tractatu scholari nonnisi synopticus eiusdem conspectus proponi possit. Quia autem Protestantes ipsi plerumque concedunt, doctrinam Patrum posteriorum saeculorum reali Christi in eucharistia praesentia non supposita intelligi non posse, simul autem contendunt, primis ecclesiae saeculis eandem fidem non viguisse, *primo loco* aliquibus testimoniis fides primae ecclesiae vel trium priorum saeculorum vindicanda est; *deinde* doctrina Patrum posterioris aetatis summatim et ex ordine proponetur. Mirum autem et malignum est artificium, quo Protestantes fidem primae ecclesiae pervertere et pondus eiusdem confessionis posterioris ecclesiae minuere vel removere conantur: scilicet contendunt, priores ecclesiae Patres et scriptores nullum de ss. eucharistia definitum dogma proposuisse, sed solum hyperbolice atque parum accurate de ea re locutos esse, atque ea tandem ratione paullatim erroneam de reali praesentia fidem in ecclesia invaluisse. Ita v. g: *Ebrard*, Abendmahl I, 233 necnon *Loofs*, Abendmahl (in Protestantische Realencyclopädie). Contra hos igitur, ut dictum est, speciale momentum ponendum est in prima thesis parte, ubi doctrina Patrum trium priorum saeculorum vindicatur; in altera parte nonnulla reliquorum Patrum testimonia adducuntur et in demonstrationem adhibentur. In thesi vero subsequenti haec tota ex Patrum doctrina derivata demonstratio ex aliis quibusdam documentis, imprimis ex liturgiis et haereticorum orientalium confessionibus confirmabitur et absolvetur.

Demonstratio.

I. p. Fides catholica Patrum trium priorum saeculorum prorsus indubia est.

2. *1) Primum testimonium* non spernendum celebrationis ss. eucharistiae atque realis in eadem Christi praesentiae exhibet *didache* sive *doctrina duodecim Apostolorum:* „Quod ad gratiarum actionem attinet, sic gratias agite; primum de calice: Gratias tibi agimus, pater noster, pro sancta vite David pueri tui (ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβὶδ τοῦ παιδός σου), quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum;

gloria tibi in saecula. De pane fracto autem: Gratias tibi agimus, pater noster, pro vita et scientia, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum; quoniam tua est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum actione, nisi qui baptizati sunt in nomine Iesu: de hoc etenim dixit Dominus: *Ne date sanctum canibus*" (c. 9. cf. c. 10.). Nimirum hanc orationem in celebratione eucharistiae adhibendam fidem in realem Christi praesentiam supponere vel etiam enuntiare, aliis rationibus praetermissis satis constat ex inciso: ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβὶδ τοῦ παιδός σου. Merito enim in terminum ἀμπέλου Δαβὶδ notat *Funk:* „Contextum respicientibus verba de vino eucharistico seu de sanguine Christi nobis interpretanda sunt. Clemens Al.. Doctrinam haud dubie cognitam habens, sanguinem vitis David sanguinem Christi distincte appellat (Quis div. salv. c. 29) scribens: οὗτος (se. Christus) ὁ τὸν οἶνον, τὸ αἷμα τῆς ἀμπελου τῆς Δαβίδ, ἐκχέας ἡμῶν ἐπὶ τάς τετρωμένας ψυχάς. Similiter Origenes (Hom. in Iud. VI, 2. De la Rue II, 471.) de vera vite loquitur, quae ascendit de radice David, verbis sanguinem Christi eucharisticum denotans" (Opera Patrum apost. ed. nov. 1887. p. CLX. nota.). Alias ad eandem assertionem confirmandam rationes adducit *Struckmann* (Die Gegenwart Christi in der hl. Euchariatie nach den schriftl. Quellen der vornizäischen Zeit. p. 1. ss.).

2) *Alter testis* insignis catholicae fidei exstat *S. Ignatius M.*, utpote qui de doketis scribit: „Ab eucharistia et oratione abstinent eo. quod non confiteantur eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem illis esset diligere (i. e. ἀγάπην ποιεῖν, scil. eucharistiam celebrare, ut exponit Funk in h. l.), ut et resurgerent" (Ep. ad Smyrn. c. 7.). Quod testimonium fere luce clarius fidem in realem praesentiam prodit. et quidem eam ut in 3.

communi totius ecclesiae confessione contentam exhibet: etenim Doketae ab eucharistia et oratione (i. e. a celebratione liturgica eucharistiae) abstinent διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν i. e. quia hac in re a communi totius ecclesiae fide discedunt.

4. *Excipiunt* tamen contra aliqui Protestantes, terminum εἶναι in inciso σάρκα εἶναι idem dicere ac *significare* ita, ut eucharistia solum tamquam symbolum carnis Christi exhibeatur; atque hanc acceptionem confirmare student ex aliis quibusdam Ignatii testimoniis, in quibus reipsa vocabulum εἶναι coniunctum cum termino σάρξ Χριστοῦ idem dicit ac *significare*, ut v. g. Trall. 8. coll. Rom. 7. et Philad. 1. et 5. — *R. Primo* locis obiectis Ignatius de eucharistia non loquitur ideoque nihil ex iis ad nostrum testimonium interpretandum concludi potest. Scilicet etsi aliquando (Trall. c. 8.) fidem et caritatem vocet carnem et sanguinem, loco tamen citato eucharistiam emphatice ipsam Christi carnem esse dicit, et quidem eandem Christi carnem, quae pro nobis passa et a Patre resuscitata est. Praeterea si alibi (Rom. 7) coelestem beatitudinem vel aeternam Dei fruitionem panem Dei vocet, qui sit caro Christi. et potum, qui sit sanguis ipsius: ratione quidem loquendi metaphorica vel imaginibus sane utitur; sed ipsae hae imagines, ut recte Funk in h. l. notat, de eucharistia desumptae sunt et realem Christi praesentiam supponunt.

5. *Secundo excipiunt* aliqui Protestantes cum Axel Anderson, eucharistiam S. Ignatio imprimis Smyrn. 7. et Phil. 4. nihil aliud esse, nisi congregationem ecclesiae vel corpus Christi mysticum; atque ipsis quadam ratione assentitur Battifol (Études d'histoire et de théologie positive II³, 124.) — *R.* Haec Ignatii interpretatio manifesto falsa est et ipsis S. Patris verbis excluditur. Profecto enim caro illa, quam Ignatius Smyrn. 7 eucharistiam dicit, nullo pacto ecclesia sive corpus Christi mysticum intelligi potest, utpote quae passa et a Patre resuscitata dicitur; secus enim ecclesia semetipsam redemisse dicenda foret, quod absonum est et manifesto menti S. Ignatii contradicit. Praeterea eadem exceptio inepta esse intelligitur, si respectus ad doctrinam doketarum habetur. Nimirum eucharistia S. Ignatio secundum rei veri-

tatem illud est, quod exstare Doketae negarunt; atqui Doketae non quidem congregationem ecclesiae vel corpus Christi mysticum, sed ipsum reale atque humanum Christi corpus negaverunt: ergo. Denique nullum fundamentum exceptioni praebent verba Ignatii Philad. 4.: „Studeatis igitur una eucharistia uti: una enim est caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in sanguinem ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis.“ Scilicet hoc loco eucharistia idem est ac sacramentum corporis et sanguinis Christi, atque unitas eiusdem inculcatur.

3) *Etiam S. Iustinus M. insignis plane testis fidei* 6.
primae ecclesiae est. Scilicet in apologia sua liturgiam christianorum summatim describens atque defendens de ss. eucharistia postquam eius confectionem et administrationem breviter retulit. sic pergit: „Atque hoc alimentum apud nos vocatur eucharistia, cuius nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse, quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat, ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt. alimoniam. ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset. dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto, actisque gratiis dixisse: Hic est sanguis meus. ipsisque salis tradidisse“ (Apol. I. n. 66.).

Atque his Iustinus luculenter sane fidem antiquae ec- 7.
clesiae propalavit. Nimirum *primo* ad digne suscipiendam eucharistiam praerequiruntur fides in Christum, regeneratio per baptismum. vita secundum praecepta Christi instituta: atqui si eucharistia solum imago corporis et sanguinis Christi

esset, necessitas eiusmodi dispositionis non intelligitur; ergo eucharistia secundum fidem antiquae ecclesiae non tantum imago corporis et sanguinis Christi, sed ipsum hoc corpus et ipse hic sanguis est. — *Praeterea* claris et expressis verbis Iustinus declarat. eucharistiam non communem panem neque communem potum esse, sed carnem et sanguinem Iesu incarnati; atqui si eucharistiam solum signum eorum habuisset. hoc ipsum catholicam fidem apud imperatorem defendens reticere non potuit, praesertim quia iam ea aetate crimen anthropophagiae christianis obiciebatur. Apposite *Bellarminus*: „Insolubile manet hoc dilemma: Aut poterat Iustinus vere dicere, carnem Christi a christianis solum in signo manducari, aut non poterat. Si potuit, praevaricator fuit causae christianae; nam odiosissimam reddidit fidem et auxit criminum suspicionem. cum posset uno verbo et fidem probabilem facere et crimen diluere. Si non poterat, certe ideo non poterat, quia vere et non in signo tantum datur nobis comedenda Christi caro" (Controv.. de ss. euch. 2, 4). — *Tertio* praesentiam corporis et sanguinis Christi per conversionem panis et vini in illa illustrat et confirmat Iustinus per mysterium incarnationis vel dicit: sicut Iesus Christus veram carnem et verum sanguinem habuit, ita et eucharistia eiusdem Iesu Christi vera caro et verus sanguis est; atqui Christus secundum fidem antiquae ecclesiae veram et realem carnem et verum et realem sanguinem habuit; ergo secundum eandem fidem eucharistia vere et realiter corpus et sanguis Christi est.

8. 4) *Succedit S. Irenaeus pariter praeclarus testis antiquae fidei.* Ipse scilicet dogma catholicum tamquam certum principium omnibus christianis compertum supponit atque ad haereticorum errores confutandos adhibet. Qua ratione nominatim tres Gnosticorum errores repellit: *primum* scilicet, non Deum, sed demiurgum aliquem fabricatorem esse huius mundi materialis necnon antiqui testamenti; contra quem errorem urget, eucharistiam ex pane et vino confectam non posse offerri Deo, si eiusdem illa creaturae non essent: „Suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis crea-

turis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: *Hoc est meum corpus;* et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est et Novi Testamenti novam docuit oblationem; quam ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in Novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: *Non est mihi voluntas* etc." (Cont. haer. l. 4. c. 17. n. 5.). Quare ecclesiae oblatio omnino excellens est et pura, utpote qua ipsum Verbum offertur: „Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creaturis eius. Iudaei autem non offerunt . . . non enim receperunt Verbum, quod offertur" (Ibid. c. 18. n. 4.).

Alter Gnosticorum error fuit, non ipsum Verbum divinum incarnatum esse, sed aeonem aliquem sc. Christum in Iesum descendisse. Contra quem errorem veram incarnationem negantem, Irenaeus declarat: „Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt (ἄρτον εὐχαριστθέντα) corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est Verbum eius, per quod lignum fructificat et defluunt montes et terra dat primum quidem faenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?" (Ibid.). **9.**

Denique tertius Gnosticorum error fuit, resurrectionem corporum non fore, quia mundus a demiurgo factus materialis atque malus sit. Cui errori haec opponit Irenaeus: „Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consona est sententia eucharistiae et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quae sunt eius, congruenter (ἐμμελῶς = instanter) communionem et unitatem praedicantes et confitentes suscitationem carnis et spiritus. Quemadmodum enim, qui est a terra panis, percipiens invocationem (τὴν **10.**

ἔκκλησιν) Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti (accidentibus panis et vini et substantia corporis et sanguinis Christi), sic et corpora nostra percipientia eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia" (Ibid.) cf. l. 5. c. 2. n. 2. et 3. Et alibi iterum: „Vani autem omnimodo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem eius spernunt. dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis. Si autem non salvetur haec videlicet nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix eucharistiae communicatio sanguinis eius est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus et a reliqua, quae est secundum hominem substantia, qua vere factum est verbum Dei. Sanguine suo redemit nos, quemadmodum et Apostolus ait (Col. 1. 14.): *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.*"

11. Ad propositum etiam ea pertinent, quae S. Pater de dolo quodam Marci praestigiatoris haeretici refert, quippe quo communis ea aetate fides clare proditur. Scilicet hic haereticus calicem vino albo repletum precibus se consecrare fingens dolose rubicundo colore vinum affecit, ut conversionem eiusdem in sanguinem ad oculos demonstraret: quae agendi ratio dolosa quidem et impia sane fuit, sed communem christianorum eius aetatis fidem manifesto ostendit.

12. 5) *Merito etiam Clemens Alex. tamquam testis catholicae fidei adducitur.* Plura quidem, quae de ss. eucharistia exponit, satis obscura sunt atque cum doctrina catholica difficulter componuntur; quod triplicem causam habet: *prima* est allegorica, quae apud Alexandrinos solita erat, scripturae explicatio: *altera* est scopus et indoles libri, qui pleraque Clementis testimonia de ss. eucharistia praebet, utpote in quo libro non adeo dogmata christiana, quam regulae vitae a christianis ducendae exponuntur; *tertia* denique est disciplina arcani. Attamen plura exstant Clementis testimonia, quae catholicam de reali praesentia fidem certo aut supponunt aut includunt; quorum aliqua solum hic adducere sufficit. Et

primo quidem aliquando sanguinem Verbi vel Christi dicit esse potum spiritui, quod quidem spectato contextu allegorice accipi nequit; scilicet in verba Gen. 9, 11.: *Et pullum alligavit vineae*, animadvertit: „Hunc simplicem et infantem populum Verbo alligans, quod vocat allegorice vitem. Fert enim vinum vitis, sicut Verbum sanguinem. Est autem utramque poculentum hominibus ad salutem: vinum quidem corpori, sanguis autem spiritui" (Paedag. l. 1. c. 5.). Sanguis autem Christi profecto vero sensu potus spiritui dici nequit, nisi quatenus in eucharistia realiter praesens est.

Secundo alibi excellentiam cibi celebrans, quo nos nutrit 13.
ecclesia, haec exsequitur: „Dominus autem Christus, fructus Virginis, non beata duxit ubera feminea, nec ea ad nutrimentum delegit; sed cum amans et benignus Pater Verbum impluisset, ipsum iam spiritale alimentum factum est bonis hominibus. O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus Sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater haec sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo autem est simul et mater: integra quidem et inviolata, ut virgo; amans autem, ut mater; quae suos accersens infantulos, sancto lacte nempe Verbo infantili enutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher et coniunctus, scilicet corpus Christi, novum coetum Verbo nutriens, quem ipse Dominus carnali dolore peperit, quem ipse fasciis alligavit Dominus, pretioso sanguine. O sanctum partum! o sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, et pater, et mater, et paedagogus, et altor. *Commedite*, inquit, *meam carnem et bibite meum sanguinem*. Haec convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem praebet et effundit sanguinem: et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum; alterius autem novae Christi diaetae effectos participes, illum, si fieri potest, recipientes, in nobis ipsis reponere; et Servatorem intra pectus condere, ut carnis nostrae

affectus componamus" (Lib. 1. c. 6.). Iam plura ex his realem Christi in eucharistia praesentiam postulant sive supponunt vel enuntiant: Et *primo* quidem ipsum Verbum (i. e. Christus) dicitur spirituale alimentum factum esse bonis hominibus, et additur exclamatio: O miraculum mysticum; haec enim exclamatio sensu caret, si non de reali cibo vel manducatione, sed de manducatione per solam fidem sermo sit. — *Praeterea* ecclesia infantulos suos verbo infantili tamquam sancto lacte enutrire, et hic infantulus, scilicet corpus Christi, novum coetum Verbo enutrire, necnon verbum infantis i. e. christiani altor esse dicitur; haec omnia symbolicam acceptionem excludunt et proprium sensum postulant. — *Deinde* carnem et sanguinem Christi convenientia alimenta vocat, et admirabile mysterium in his alimentis cernit; eiusmodi admirabile mysterium non essent ut iam dictum est, si manducatio realis respuatur. — *Denique* dicit, nos Christum Servatorem recipere, in nobis reponere, intra pectus condere, ut carnis nostrae affectus componamus. Quibus verbis profecto realis cum Christo unio docetur atque eidem unioni effectus adscribitur, qui symbolo tantum carnis et sanguinis Christi adscribi posse non intelligitur.

14. Alibi tandem sic Salvatorem loquentem inducit: „Ego te regenerari, qui male a mundo mortis victima fuisses genitus: in libertatem asserui, sanavi, redemi . . . Ego nutritius tuus, qui meipsum panem praebeam, quem qui gustaverit, nemo adhuc mortis periculum faciet; qui (meipsum) fundam quotidie potum immortalitatis. Ego magister coelo celsioris doctrinae ac disciplinae. Pro te cum morte certamen desudavi, ac cuius reus poenae eras ob patrata delicta Deoque negatam fidem et incredulitatis crimen, ego exsolvi" (Quis dives salvabitur, c. 23.). Quae verba tam clare realem Christi in eucharistia praesentiam enuntiant, ut in alium sensum detorqueri plane nequeant. Scilicet Christus exhibetur tamquam nutritius fidelium, qui semetipsum tamquam cibum et potum praebeat, et tamquam fructus huius refectionis pignus immortalitatis exhibetur. Neque vero haec de Christo tamquam magistro et obiecto fidei intelligi forte possunt, quia

hac de re in subsequenti sententia agitur, quae secus nonnisi mera tautologia esset.

Verum quidem est, Clementem saepius alibi de carne et sanguine Christi agentem allegoriis uti; verum ipsae hae allegoriae ex mente et intentione ipsius vel supponunt realem praesentiam, vel directe in ea innituntur vel saltem eandem non excludunt.

6) Etiam *Originis auctoritas* pro fide catholica antiquae 15.
ecclesiae militat, utpote de quo similiter iudicandum est, ac de Clemente Alexandrino; hoc fere solum discrimen est, quod ille etiam plus quam hic allegoricis interpretationibus indulget.

a) Origenes *indubius testis* antiquae fidei in realem praesentiam est. Et *primo* quidem disertis verbis eucharistiam corpus vel carnem et sanguinem Christi vocat: „Si autem ascenderis cum eo ad celebrandum pascha, dat tibi calicem novi testamenti, dat tibi etiam panem benedictionis, corpus suum et sanguinem largitur" (Hom. 19. in Lev. 18. 13.). „Tunc in aenigmate erat manna cibus, nunc in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit, quia *caro mea vere est cibus*" (Hom. 7. in Num. n. 2.). — *Hinc* vero eucharistiam tamquam corpus Christi summa veneratione colendam atque puritatem mentis et corporis ad eius susceptionem requiri declarat: „Volo vos admonere religionis vestrae exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, cum suscepistis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur" (Hom. 13. in Exod. n. 3.). „Communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam quasi mundus et purus . . . non recordaris illud, quod scriptum est: quia *propterea in vobis infirmi et aegri et dormiunt multi*. Quare multi infirmi? Quoniam non se ipsos diiudicant neque seipsos examinant neque intelligunt, quid est communicare ecclesiae vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta" (Hom. 2. in Ps. 37. n. 6.). — *Denique* accedit, quod secundum Origenem ss. eucharistia ad disciplinam arcani pertinet, quod praeterea ipse nunquam haeresis

circa hoc mysterium accusatus est, quod tandem ubique traditioni sinceram reverentiam exhibet atque non adeo in communibus fidei capitibus quam in philosophicis et speculativis revelatae doctrinae explicationibus erraverit. Quae cum ita sint, indubius fidei in realem praesentiam testis dicendus esse videtur.

16. b) Ex altera parte quidem Origenes *allegoricis interpretationibus nimis indulgens* etiam aliam doctrinam proponit ab illa simplicium christianorum fide diversam, quam praefert et prudentiorum esse dicit; atque secundum hanc caro et sanguis Christi intelligendi esse videntur doctrina Verbi divini, quo mens nostra enutritur. Neque tamen hae duae explicationes ex mente Origenis se invicem excludere videntur, cum saepe simul eas referat, ut v. g.: „Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit" (In num. hom. 16. 9.). Quidquid vero est de personali Origenis fide, de communi aetatis suae christianorum fide aperte testatur.

17. 7) *Indubius prorsus et egregius testis antiquae fidei est Dionysius Alex*, magnus Origenis discipulus. Imprimis huc spectat testimonium, quod praebet fragmentum epistolae secundae ad Sixtum II., in qua consilium rogans hunc casum proponit: „Quidam ex fratribus, qui ad ecclesiam conveniunt, iam pridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem, ac ni fallor, ante ipsius quoque Heraclae episcopatum coetus fidelium particeps fuerat, cum interfuisset baptismo eorum, qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsionesque audisset, ad me accessit flens et vicem suam ingemiscens. Pedibusque meis advolutus, confiteri atque deierare coepit, baptismum, quo apud haereticos initiatus fuerat, non huiusmodi esse, neque quidquam omnino habere cum hoc nostro commune: quippe plenum fuisse impietatis et blasphemiae. Aiebatque animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attollere se audere, quod scelestis illis verbis ac rebus initiatus fuisset. Quapropter exorabat, ut hoc purissimo lavacro susceptione et

gratia donaretur. Quod ego quidem facere non sum ausus, sed diuturnam illi communionem ad id satis fuisse dixi. Nam qui gratiarum actionem audierit, et qui cum ceteris responderit Amen, qui ad sacram mensam adstiterit, et manus ad suscipiendum sanctum cibum porrexerit, atque illum exceperit, et corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fuerit diutissime, eum adhuc de integro renovare (i. e. rebaptizare) non ausus fuerim. Porro illum bono animo esse iussi, et cum firma fide et bona conscientia accedere ad Sancta, et participem eorum fieri. Verum ille lugendi finem non facit et ad mensam accedere exhorrescit, vixque rogatus interesse orationibus sustinet." Profecto haec clara sunt nec commentatione indigent. Verum aeque clarum hoc alterum testimonium est ex epistola Dionysii ad Basilidem depromptum. Scilicet dubitationibus quibusdam a Basilide circa dispositionem ad s. communionem requisitam propositis Dionysius respondens inter alia hunc canonem II. statuit: „De mulieribus autem, quae sunt in abscessu, an eas sic affectas oporteat domum Dei ingredi supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim eas existimo, si sint piae et fideles, sic affectas, ausas vel ad sanctam mensam accedere, vel corpus et sanguinem Domini attingere. Neque enim, quae duodecim annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solam eius fimbriam. Orare enim, quomodocunque se habebat aliquis, et utcunque sic affectus, domini meminisse et auxilium implorare non est reprehendendum. Ad sancta autem sanctorum, qui non anima et corpore purus est, accedere prohibetur." Scilicet S. Dionysius his verbis eucharistiam sancta sanctorum appellat; convivium eucharisticum sacram mensam vocat, ad quam nonnisi fidelibus corpore et anima absolute puris accedere liceat; denique valde significanter corpus Christi eucharisticum adaequat vel identificat cum corpore Christi visibili, quod illa mulier tangere non audebat, quia secus nihil ex hoc eventu evangelico ad casum suum concludere posset. Iamvero haec omnia realem praesentiam prorsus postulant atque ea non admissa non intelliguntur, imo absona sunt.

18. 8. *Hippolytus quoque Romanus* in fragmentis. quae ex eiusdem operibus supersunt, insignia quaedam testimonia fidei in realem praesentiam reliquit. Duo solum adducere satis erit, quorum genuinitatem vel ipsi adversarii concedunt: Itaque primo in Genes. 38. 18. haec notat Hippolytus: „Similiter Christus ecclesiae suae tria donavit: corpus suum, sanguinem suum, baptismum. Quemadmodum vero Thamar per tria illa (Iudae pignora): annullum scilicet, armillam, baculum servata est, ita etiam sancta ecclesia pariter per tria dona: confessionem (baptismum). corpus Christi, sanguinem eiusdem ex idolatria liberata est atque filiis quoque suis salvationem a mundo per Christum elegit, ideoque corpus eius et sanguinem suscipimus, quia pignus vitae aeternae cuique est, qui cum humilitate accedit" (Edit. Berol. tom. I. 2. p. 96.). — Praeterea in verba Genes. 49. 15: *Vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima* haec animadvertit: „ὅπερ ἐστίν ἡ σὰρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἡ πίων, τουτέστιν ἡ λιπαρά, αὕτη γὰρ ἡ ῥέουσα γάλα καὶ μέλι. Haec est caro Domini nostri suavis et opima, utpote quae melle et lacte manat." Quibus verbis caro Domini nostri tamquam suavis esu exhibetur. Iam his testimoniis sufficienter de fide Hippolyti constare videtur; aliorum, quae nonnunquam adducuntur, genuinitas non est certa.

19. 9) *Tertullianus quoque tamquam certus testis fidei catholicae* considerandus est, quamvis quaedam eius sententiae obscurae sint atque ansam dederint controversiae quae iam per plura saecula ad hunc usque diem continuatur. Itaque ex una parte imprimis ss. eucharistiam iis nominibus appellat, quae realem praesentiam omnino postulant. Scilicet appellat corpus Domini, corpus Christi, corpus et sanguinem Christi, convivium Domini, convivium Dei. Ita quaestionem versans, num per sumptionem eucharistiae ieiunium solvatur, haec dicit: „Similiter et de stationum (i. e. ieiunii) diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris?

Accepto corpore Domini et reservato utrumque salvum est. et participatio sacrificii et executio officii" (De orat. 6.). Secundum haec verba eucharistia non solum in ipso manducationis momento, sed ante eam ideoque toto tempore inter confectionem et sumptionem corpus Domini est, quod contra Lutheranos notandum fuit. — De intimo nexu agens, qui inter corpus et animam vigeat etiam quoad ipsam salutem accipiendam declarat: „Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur. ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur" (De resurr. carn. c. 8). Haec profecto clarissima sunt; nexus enim orationis postulat. ut sicut in prioribus sententiis. ita etiam in postrema in priore inciso proprietas sermonis servetur: sane si Tertullianus eucharistiam tantum symbolum corporis et sanguinis Christi habuisset, ad eundem sermonis tenorem servandum dicere omnino debuit: caro pane et vino vescitur etc. Ergo. — De bonis coniugii christiani agens dicit: „Quale iugum fidelium duorum unius spei, unius disciplinae, eiusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atquin vere duo in carne una: ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul ieiunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In ecclesia Dei pariter, utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis" (Ad uxor. l. 2. c. 9.). Quid est illud convivium Dei, nisi eucharistia, in qua ipse Christus Deus-homo tamquam cibum et potum se donat? — Deinde Tertullianus maximam reverentiam et puritatem postulat in tractanda et suscipienda ss. eucharistia atque eos, qui eandem manibus impuris contingant comparat cum Iudaeis Christi corpus occidentibus. De ritibus enim sola traditione communicatis agens haec dicit: „Eucharistiae sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus; oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus: . . .

Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur" (De coron. milit. c. 3.). — Alibi Tertullianus montanista de parabola filii perditi agens per hunc significari non vult christianum apostatam atque contra hanc acceptionem notat: „Recuperabit igitur et apostata vestem priorem, indumentum Spiritus Sancti, et annulum denuo, signaculum lavacri, et rursus illi mactabitur Christus et recumbet eo in thoro, de quo indigne vestiti a tortoribus solent tolli." Intelligendus igitur est in persona illius potius gentilis, qui mundi eiusque voluptatum pertaesus ad Deum redit et Christo se adiungit: „Ille (princeps huius aevi) eum praefecit porcis (ut familiare id daemonium pecus pasceret) ubi nec ille compos esset vitalis escae simulque alios videret in opere divino abundantes pane coelesti. Recordatur Patris Dei, satisfactio redit, vestem pristinam recipit, statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat. Annulum quoque accepit (? accipit) tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate dominici corporis vescitur, eucharistia scilicet" (De pudicitia c. 9.). Comestio corporis Christi tamquam ultimus actus reconciliationis cum Deo exhibetur, quem, ut digne fiat, plures alii praecedere debent. Illud autem opimum corpus Christi tamquam realis cibus intelligendus est, ne quod imagine vituli saginati, qui pro filio perdito redeunte mactatus est, iterum alia imago exhibeatur: quod sane ineptum foret. — Iterum alibi christianos idola a gentilibus adoranda fabricantes ita exagitat: „Ad hanc partem zelus fidei perorabit iugemens: Christianum ab idolis in ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus, matres (fabricatrices) idolorum, his manibus adorare, quae foris adversus Deum adorantur (? ‚adornantur' vel ‚operantur'). eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminent, sed etiam ipsae tradunt aliis, quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Iudaei Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus praeci-

dendae! Viderint iam, an per similitudinem dictum sit: si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quae magis amputandae, quam in quibus Domini corpus scandalizatur?" (De idololatria c. 7.). Tam in hac exhortatione ss. eucharistia non solum ter *corpus Domini* dicitur, sed simul peccatum, quod impuris eam manibus tangendo committitur, criminii comparatur, quod Iudaei corpori Christi visibili manus inferentes commiserunt; atqui haec nonnisi reali praesentia supposita vere dicuntur: ergo.

Accedit tandem, quod Tertulliano teste ss. eucharistia **20.** ad disciplinam arcani pertineat, et quod insuper idem scriptor crimen anthropophagiae christianis propter eucharisticum convivium obiectum ea ratione repellit, quae realem praesentiam omnino supponit et postulat (Apol. 7, 8.; ad Nat. 1, 7.). Quae cum ita sint, Tertullianus tamquam verus et genuinus catholicae in realem praesentiam fidei testis agnoscendus est.

Ex altera parte quidem nonnulla Tertulliani testimonia **21.** *exstant, quae difficilia sunt* et ab adversariis contra doctrinam catholicam urgentur. Verumtamen haec testimonia prorsus carent ea claritate et certitudine, qua illa pro catholica fide adducta gaudent: quippe quae modum dicendi, qui Tertulliano proprius est, singularem, abruptum, contortum prae se ferunt: quare difficultatem solum exegeticam faciunt. Duo vel tria eiusmodi testimonia adducere satis erit.

Primo igitur haec opponuntur: „Propter quem (sc. hominem) in haec paupertina elementa de tertio coelo descendere laboravit: cuius causa in hac cellula creatoris etiam crucifixus est. Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos unguit; nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat: nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat: etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris" (Adv. Marc. l. 1. c. 14.). — *R.* In inciso: ‚panem, quo ipse corpus suum repraesentat' vocabulum ‚repraesentat' significat simpliciter ‚praesens exhibere'. Scilicet Tertullianus tum alibi plerumque tum in hoc opere contra Marcionem regulariter (i. e. tredecem vicibus extra locum obiectum terminum de quo

agitur, in hoc sensu adhibet. Verum etsi *repraesentat* idem esset ac signum est, neque tunc Tertullianus dicendus esset realem praesentiam negare: scilicet in hoc casu panis quo corpus suum Christus repraesentat intelligenda sunt externae species vel apparentia panis. Denique incidenter notandum est, neque impanationem Lutheranam forte ea sententia a Tertulliano doceri: quia scilicet non *in pane*, sed *pane* (abl. instrum.) Christus corpus suum repraesentare dicitur.

22. *Aliud testimonium* oppositum est ex lib. de oratione c. 6.: „Quamquam *panem nostrum quotidianum da nobis* spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vitae panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitae*, et paulo supra: panis est sermo Dei vivi, qui descendit de coelis; tunc quod et corpus eius in pane censetur: *hoc est corpus meum*. Itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore eius." — Sed verba: quod et corpus eius in pane censetur, nullo pacto realem praesentiam excludunt. Etenim terminus *censetur in pane* vel idem dicit ac *est panis* i. e. cibus secundum morem loquendi apud iurisperitos ea aetate usitatum; vel idem est ac *putatur* sive *creditur esse panis* i. e. cibus; vel denique significat idem ac *comprehenditur sub pane* i. e. rationem panis vel cibi habet; quae explicatio tertia probabilissima est, cum Tertullianus expressionem *censeri in* saepe in hac significatione adhibeat necnon eadem acceptio optime cum contextu consonet.

23. *Tertio* opponuntur haec ex lib. adv Marc. 3, 19.: „Hoc lignum et Hieremias (Ierem 11. 19.) tibi insinuat, dicturis praedicans Iudaeis: *Venite mittamus lignum in panem eius*, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit panem corpus suum appellans, ut et hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro corpus in panem Prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo." — Sed nihil his edicitur, quod cum reali praesentia adversetur. Nimirum Tertullianus nequaquam docet, Christum pani eucharistico figuram i. e. rationem typi corporis sui dedisse; sed docet, hanc rationem typi a Christo

pani generatim datam esse, utpote de qua Ieremias loquitur, vel figurae vox in dicto Tertulliani ad aetatem Ieremiae futura praenuntiantis, non autem ad aetatem Christi Eucharistiam instituentis spectat. Aliis verbis: Ieremias vocabulo *panis eius* intellexit corpus Christi: atque hunc typum Christus eucharistiam instituens revelavit sive explicavit. Quae explicatio optime consonat cum contextu, in quo scilicet perfectam inter veterem et novam legem harmoniam Tertullianus ostendere conatur. Ceterum etiam hic animadversio illa valet, quae paulo superius de speciebus eucharisticis facta est.

Denique *quarto* opponuntur haec ex l. 4. c. Marc. c. 40.: 24.
„Professus itaque concupiscentia concupisse edere pascha ut suum (indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus), acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens, veterem fuisse illam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam: *Adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes: Venite conijciamus lignum in panem eius* scilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significare panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem.“ Et paulo inferius addit: sicut per Ieremiam in pane corpus Christi praefiguratum sit, ita Gen. 49. in vino praefiguratum esse sanguinem Christi in benedictione Iudae: *Lavabit in vino stolam suam* (corpus suum) *et in sanguine suo amictum suum* (carnem suam). — Quantumvis difficile et obscurum testimonium sit, nullam tamen catholici dogmatis negationem continet, sed potius idem confirmat. Videlicet incisum illud: *id est figura corporis mei* de pane eucharistico consecrato intelligi nequit. Etenim *primo* hic sensus excluditur per verba immediate praecedentia: „acceptum panem et distri-

butum discipulis corpus suum illum fecit." *Praeterea* idem sensus pugnat cum scopo quem Tertullianus prosequitur; scilicet ostensurus, qua ratione typi et prophetiae V. L. in Christo impleti sint, specialem typum considerat panem praefigurantem corpus Christi et hunc quidem in ss. eucharistiae institutione impletum esse declarat; atqui si Christus panem tantum in symbolum corpori sui instituisset, typum illum non implesset, sed tantum declarasset vel renovasset; ergo. *Denique* ex ss. eucharistia realitatem corporis Christi contra Marcionem demonstrat Tertullianus, quemadmodum ipse alio locò ad hoc testimonium remittens declarat: „Proinde panis et calicis sacramento iam in evangelio probavimus corporis et sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis" (L. 5. c. 8.); atqui qui ss. eucharistiam tantum symbolum corporis et sanguinis Christi habet, ita nonnisi inepte et absone argumentaretur; ergo.

25. Quod autem verba: „id est figura corporis mei" attinet probabilissime cum Perronio hunc in modum explicantur: Hoc appositum non ad praedicatum *corpus* sed ad subiectum *hoc* referendum est; quod subiectum demonstrat panem non utique manentem, sed in substantiam corporis Christi transeuntem. Quare verba: *Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei* per ὑπέρβατον dicta sunt eorumque hic est sensus: Hoc, quod erat figura corporis mei, modo est corpus meum. Sane non desunt in Tertulliani operibus exempla istius modi loquendi, ut cum c. Prax. c. 29. scribit: „Christus mortuus est, i. e. unctus"; et cont. Marc. l. 4. c. 2. „Aperiam in parabolam os meum. i. e. similitudinem." Itaque scopo et contextu consideratis hic testimonii Tertulliani sensus exstat: Panis, qui in vetere lege figura vel typus corporis Christi erat, in nova lege fit reipsa corpus Christi; et vinum, quod in vetere lege erat figura sanguinis Christi, in nova lege consecratione fit sanguis Christi, ut umbra in corpus, et figura in veritatem transeat. Ergo panem Tertullianus dixit figuram corporis Christi, non tamen evangelicam, sed legalem.

26. *8) Denique tamquam testis praeclarus antiquae in realem praesentiam fidei considerandus est etiam S. Cyprianus.*

Ex innumeris fere eiusdem testimoniis hoc loco nonnulla solum referuntur, quae ad duplicem categoriam referri possunt.

a) Et primo quidem iis nominibus ss. eucharistiam insignit, quae realem praesentiam omnino supponunt vel postulant. Sic appellat eam: *carnem Christi, sanguinem Christi, corpus et sanguinem Christi, corpus Domini et sanguinem Domini;* in eucharistiae celebratione dicit *corpus et sanguinem Christi offerri,* in eucharistiae susceptione vero *sanguinem Christi bibi;* et aliis iterum nominibus vocat eam *panem Dominicum, calicem Dominicum, poculum Domini, sanctum Dei corpus.* Ita v. g. de cathol. eccl. unitate: „Stare tu et vivere putas posse de ecclesia recedentem, sedes sibi alias et diversa domicilia condentem? cum dictum sit ad Rahab, in qua praeformabatur ecclesia: Patrem tuum et matrem tuam et fratres tuos et totam domum patris tui colligas ad te ipsam in domum tuam, et erit omnis, qui exierit ostium domus tuae foras, reus sibi erit, item sacramentum Paschae nihil aliud in Exodi lege contineat, quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus dicens: in domo una comedetur, non eiicietis de domo carnem foras. Caro Christi et sanctum Domini eiici foras non potest nec alia ulla credentibus praeter unam ecclesiam domus est" (c. 8.). Et alibi de lapsis contra poenitentias impositas recalcitrantibus agens dicit: „Iacens stantibus et integris vulneratus minatur et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur" (De lapsis c. 22.). Et alibi iterum maiorem in lapsis recipiendis circumspectionem commendans haec dicit: „Sed nunc cum magno animi dolore cognosco non tantum illic non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri, ut ea, quae a vobis ipsis et circa Deum caute et circa sacerdotem Dei honorifice a quibusdam presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes, cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra et quibusdam lapsis panem dari postulastis, cum persecutione finita con-

venire in unum cum clero et recolligi coeperimus. illic contra evangelii legem contra vestram quoque honorificam petitionem. ante actam poenitentiam ante exomolegesin gravissimi atque extremi delicti factam. ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam. offerre pro illis et eucharistiam (dare). id est sanctum Domini corpus. profanare audeant cum scriptum sit: *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (Ep. 15. c. 1; cl. ep. 57. 2.; ep. 63. 15.; de laps. 2 16. 22 15. 26.; ep. 63. 5; 63. 9.; 69. 5.; 63. 1.; 58. 1.; 63. 11.; 57. 2; 15. 1.

27. b) Cyprianus tamquam dispositionem necessariam ad dignam ss. eucharistiae susceptionem postulat puritatem mentis et corporis atque indignam communionem tamquam enorme crimen considerat. Huc pertinet v. g. epistola 16. 2., ubi, ut a lapsis, priusquam ad s. communionem admittantur, poenitentia agatur, enixe postulat: „Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam iusto tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc credo tempore persecutione adhuc perseverante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit: *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (Ep. 16. c. 2.). Et alibi etiam plus aequo exaggerans crimen indignae communionis maius esse declarat quam ipsam apostasiam a fide: „Spretis his omnibus (sc. scripturae testimoniis adductis) atque contemptis ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis vis infertur corpori eius et sanguini et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt quam cum Dominum negaverunt" (De lapsis c. 16.).

28. c) Sacrae communioni mirabiles prorsus fructus adscribit: sc. secundum ipsum ad martyrium confortat et impellit, ab

apostasia a fide custodit: christianos sobrios et sapientes reddit. a rebus temporalibus et voluptatibus terrenis avocat et arcet. cognitione et amore Dei replet, gaudio spirituali afficit. miseriam ex peccatis ortam mitigat. cibus necessarius salutis est. Denique. qui eam suscipiunt, eorum manus et ora sanctificata sunt. Sic v. g. martyrum constantiam celebrans ait: „Illustres manus quae nonnisi divinis operibus adsueverant. sacrificiis sacrilegis restiterunt; sanctificata ora coelestibus cibis post corpus et sanguinem Domini profana contagia et idolorum reliquias respuerunt" (De lapsis c. 2.) — Profecto haec omnia sibi saltem plene non constant, nisi fides in realem praesentiam supponatur.

Paucis quidem locis Cyprianus elementis eucharisticis 29.
symbolismum aliquem tribuit; scilicet eadem symbolum esse declarat unitatis ecclesiae sive corporis Christi mystici. Verum hoc realem praesentiam minime excludit. Quod *primo* inde patet. quod etiam alii Patres eundem symbolismum adhibent. quorum fides minime dubia est: *secundo* ex ipsa huius symbolismi ratione interna vel fundamento facile intelligitur. Exemplo sit ep. 69. c. 5., ubi Cyprianus hunc symbolismum declarat: „Denique unanimitatem christianam firma sibi atque inseparabili caritate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum. populum nostrum. quem portabat, indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botruis atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum. gregem item nostrum significat commixtione adunatae multitudinis copulatum. Si Novatianus huic pani Dominico adunatus est, si Christi poculo et ipse commixtus est. poterit videri et unici ecclesiastici baptismi habere gratiam posse. si eum constiterit ecclesiae unitatem tenere."

2. p. Aeque vel etiam magis manifesta est eorum Patrum fides, qui inde a saeculo quarto floruerunt.

Ut magis pateat. quam splendida posteriori antiquae 30.
ecclesiae aetate consensio in dogma realis praesentiae fuerit.

secundum ordinem aetatis et ecclesiarum distinctionem producere praestat diversorum Patrum testimonia.

1. Testimonia Patrum latinorum. — Ex multis testimoniis potiorum Patrum quaedam referre satis erat.

1) Hilarius Pictaviensis contra Arianos unitatem naturae Filii cum Patre defendens eamque ex unione Christi nobiscum et inter nos per eucharistiam existenti confirmans vel illustrans in verba Christi: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (Ioan. 17, 22.) ita disserit: „Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturae veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim vere Verbum caro factum est et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis credendus et existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis (divinitatis) sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? . . . Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis: quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectae sacramentum sit unitatis? . . . Quae scripta sunt, legamus, et quae legerimus, intelligamus et tum perfectae fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: *caro enim mea vere est esca et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (Ioan. 6, 56. 57.). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Annc hoc veritas non est?“ (De Trinit. l. 8. c. 13. 14.).

31. *2) S. Ambrosius* coram neophytis fidem de ss. eucharistia exponens cum manna aliisque V. L. figuras eam com-

parat atque iisdem multo excellentiorem esse declarat: „Ista esca, quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de coelo, vitae aeternae substantiam subministrat, et quicunque hunc manducaverit, non morietur in aeternum, et est corpus Christi. Considera nunc, utrum praestantior sit panis angelorum, an caro Christi quae utique corpus est vitae. Manna illud de coelo, hoc supra coelum . . . Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo . . .; potior est lux, quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris, quam manna de coelo."

Tum mirabilem panis et vini conversionem in corpus et 32.
sanguinem Christi variis operibus divinis ex scriptura relatis illustrat, quae expositio iam supra (th. 2. n. 22.) adducta est. Imprimis vero ex incarnatione confirmat, de corpore Christi quod supernaturali operatione a Virgine conceptum et natum est, non secundum leges naturales indicandum esse: „Liquet quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa, quae sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est." Deinde ad verba Christi eucharistiam instituentis pergit: „Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur (sc. panis), post consecrationem corpus significatur (i. e. esse asseritur). Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat." Denique modum, quo Christus in sacramento existit spiritalem non corporibus connaturalem esse declarat: „In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritalis est . . . corpus enim Dei corpus est spiritale, corpus Christi corpus est divini Spiritus, quia Spiritus Christus" (De mysteriis c. 8. et 9.)

3) *Auctor librorum de sacramentis.* Ambrosii vestigia 33
premit atque imprimis conversionem panis in corpus Christi urget: „Tu forte dicis: Meus est panis usitatus. Sed panis

iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est cuius sermonibus? Domini Iesu. . . . Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis est sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus et factum est coelum: iussit Dominus et facta est terra, iussit Dominus et facta sunt maria. Iussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur? . . Ergo tibi, ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quia iam corpus est Christi." Deinde variis adductis operibus omnipotenti verbo divino patratis pergit: „Ex his igitur omnibus non intelligis, quantum operetur sermo coelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo coelestis in aliis rebus, non operatur in coelestibus sacramentis? Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur: sed fit sanguis consecratione verbi coelestis." Denique postquam explicavit, quibus verbis consecratio vel conversio fiat, sic concludit: „Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex eo omnes, hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Numquid debemus de eius fide et testificatione dubitare? . . . Ergo non otiose dicis tu, Amen, iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi, et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus" (l. 4. c. 4 et 5.).

Opponunt quidem sacramentarii haec eiusdem auctoris 34.
ex eodem c. 4 deprompta: „Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis: ut nullus horror amoris sit, et pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo, quia quod accipis est corpus Christi" (n. 29.). — *R.* Nihil his causa sacramentariorum iuvatur. Praeterquam enim quod in ipso hoc loco eucharistiam corpus Christi dicit auctor non ipsum sanguinem Christi sed externum eius speciem in eucharistia abesse concedit vel dicit: atque ss eucharistiam per externam vini speciem similitudinem sanguinis exhibere declarat. Simul optimam rationem reddit, ob quam sanguis in specie sua naturali non appareat, sc. ne ab illo potu salutifero abhorreamus: quam eandem rationem etiam alii Patres assignant Cf. Hurter opusc. 37. p. 50. nota.

4) Gaudentius Brixianus cum Ambrosio aequalis in 35.
sermone ad modo baptizatos eucharistiam hunc in modum explicat: „Modo ea selum de ipsa lectione (quae de agno paschali Exod. 12. fuit) carpenda sunt, quae praesentibus catechumenis explanari non possunt, et tamen necessario sunt aperienda neophytis. In umbra illius legalis paschae non unus agnus occidebatur, sed plures . . Figura enim non est veritas, sed imitatio veritatis . . . Ergo in hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortaus est, et idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Haec agni caro, hic sanguis est . . . Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum facit, facit et de vine sanguinem suum . . Pascha est Domini, hoc est transitus Domini, ne terrenum putes, quod coeleste effectum est per eum, qui transit in illud et fecit illud suum corpus et sanguinem . . . Nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Credamus quaeso, cui credimus, nescit men-

dacium Veritas . . . ut pariter universa quemadmodum tradita sunt credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Si quid autem superfuerit etiam nunc in uniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur" (Tract. 2. in Exod.).

36. 5) *Hieronymus* quoque non spernendum de reali praesentia testimonium praebet his verbis: „Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse convíva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem et sine ipso potare non possumus et quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis verae rubentia musta calcamus" (Ep. ad Hedibiam 120 q. 2.).

37. 6) Etiam *Augustinus* tamquam fidelis antiquae fidei testis considerandus est. Cum vero Protestantes tum recentiores tum antiquiores hunc Patrem tamquam patronum et fautorem Calviniani erroris traducant, eius doctrina supra iam (Thesis 2. n. 20) ex parte declarata hoc loco supplenda est ita, ut summarius quidem, sed adaequatus eiusdem conspectus exhibeatur:

a) S. Augustinus dogma de reali praesentia iis verbis exprimit, quae, praesertim si simul considerentur et cum invicem comparentur, ad sensum metaphoricam detorqueri plane nequeunt. Sic inter externam apparentiam et ipsam realitatem distinguens eucharistiam secundum illam esse panem et vinum, secundum hanc vero corpus et sanguinem Christi aperte declarat: „Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi: calix ille, imo quod habet, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus et sanguinem suum, quem fudit in remissionem peccatorum" (Serm. 227.). „Quod videtis, panis est, et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi" (Serm. 272.). „Accipite itaque et edite corpus Christi, etiam ipsi in corpore Christi facti iam membra Christi Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum. Ne vobis viles videa-

mini, bibite pretium vestrum . . . Ipse namque . . . ait: *Hoc est corpus meum* . . . Hoc et in evangelio vel legebatis vel audiebatis (catechumeni), sed hanc eucharistiam esse Filium (Dei) nesciebatis. Nunc vero aspersi corde in conscientia pura et loti corpore aqua munda, accedite . . . Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa vita: *Panis, quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita*" (Serm. 3. ed. Caillan). „Hoc, quod videtis, carissimi, in mensa Domini, panis est et vinum, sed iste panis et hoc vinum accedente verbo fit corpus et sanguis Verbi" (Ibid.). Deinde alibi significanter dicit, Christum in ultima coena seipsum tulisse in manibus: „Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis" (In ps. 33. enarrat. 1. n. 10. in verba: *Et ferebatur manibus suis* sec. Septuaginta et vet. Italam). *Praeterea* fideles ieiuni ad eucharistiam accedere eamque ante sumptionem adorare debere declarat: „Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nunc ideo per universum orbem mos iste servatur" (Ep. 54. ad Ianuar. c. 6.). „Fluctuans converto me ad Christum . . . et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non pec-

cemus adorando, sed peccemus non adorando" (In ps. 98. n. 9. in verba: *adorate scabellum pedam eius*). — *Denique* iteratis vicibus expresse declarat, eucharistiam continere ipsum corpus et ipsum sanguinem Christi atque eadem in sacrificium Deo offerri: „Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur: Amen. Haec est clara vox, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum" (Cont. Faust. l. 12. c. 10.). „Audierunt, crediderunt illi, de quibus dixerat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Crediderunt, baptizati sunt, atque est facta conversio. Quae conversio? Sanguinem Christi, quem saevientes fuderunt, credentes biberunt" (Serm. 80. alias 34. ed. Sirmondi). „Mensa potentis, quae sit, nostis; ibi est corpus et sanguis Christi" (In Ioan. tract. 47. n. 2.). „Invitata est postea universa gentium multitudo, ipsa implevit ecclesiam, ipsa accepit de mensa dominica, non viles epulas aut ignobiles potus sed ipsius Pastoris, ipsius occisi Christi carnem praelibavit et sanguinem. Occisus est ad nuptias ipse innocens agnus, et quoscunque invitavit, de carne sua pavit" (Serm. 372.). „A solis ortu usque ad occasum, sicuti a prophetis praedictum est, immolatur, et secundum novi testamenti gratiam Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius sacerdotis . . . Huius gratiae memores . . . cum timore et tremore ad participationem huius altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce, hoc in calice, quod manavit ex latere" (Serm. 3. ed. Caillau).

38. b) Cum adeo comperta sit Augustini fides de reali corporis atque sanguinis Christi in ss eucharistia praesentia, multa tamen adversarii ex eiusdem Patris operibus opponunt, quibus eundem sibi favere ostendere student. Nonnulla ex eiusmodi testimoniis obiectis, utpote quae orationem eucharisticam Ioan. 6. spectant, supra (thes. 2. n. 25 ss.) iam expedita sunt: alia autem hoc loco consideranda et explananda sunt.

Ut vero haec explanatio testimoniorum Augustini magis difficilium et obscurorum recta et tuta via procedat, in antecessum quaedam notanda et sedulo prae oculis habenda sunt: Et *primo* quidem S. Augustinus specialem de ss. eucharistia instructionem non reliquit, sed obiter tantum et per transennam de hoc dogmate egit et ipsa doctrina dogmatica supposita potius ex ea morales applicationes deducere solitus est. *Secundo*, ut iam aliquando animadversum est, circa hoc sacramentum imprimis studiose disciplinam arcani servans saepe pro adiunctis non aperte, sed subobscure locutus est, ut ipse testatur: „Qui audistis haec, nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati et fideles estis, quid dixerit, nostis. Qui autem inter vos catechumeni et audientes vocantur, potuerunt esse, cum legeretur audientes; numquid et intelligentes? . . . Velatum est: sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem (baptismum)" (In Ioan. 6.: *caro mea vere esca est*). *Tertio* quod de aliis Patribus et circa alia dogmata valet, id etiam de Augustino et circa ss. eucharistiam valere considerandum est: sc. propter communem et firmissimam totius ecclesiae fidem etiam ipse aliquando securius loquebatur vel iis locutionibus utebatur, quae quidem periculum erroris in fidelibus nullum creabant, sed contra perversam haereticorum postea exsurgentium interpretationem satis munitae non erant. Qua ratione ipse Augustinus aliquando S. Chrysostomum ab iniusta Iuliani accusatione defendit: cui scilicet dictum huius Patris afferenti: „Infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes" respondet: „Non habere peccata, intellige propria, et nulla contentio est. At, inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia, disputans in catholica ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? Tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur" (Cont. Julian. l. 1. 6. n. 22.). *Quarto* denique aliqua capita doctrinae circa ss. eucharistiam non solum Augustino sed etiam ceteris Patribus et theologis catholicis rata prae oculis haberi debent, ut rite quaedam Augustini sicuti aliorum Patrum testimonia intelligantur vel explicentur:

39 Nimirum *primo* sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi continentur vere quidem, realiter ac substantialiter, attamen modo arcano, spiritali tantum et intelligibili. Hinc *secundo* aspectabiles specierum formae a corpore et sanguine Christi sub eis contentis omnino distinctae sunt et discernendae. *Tertio* eaedem species signa sunt corporis et sanguinis Christi praesentium. *Quarto* eaedem aliquando corpus et sanguis Christi vocantur eo tropi genere, quo nomen rei contentae ad continens transfertur, ut cum v. g. corpus Christi frangi dicitur. *Quinto* ipsum Christi corpus ac ipse sanguis, ut sub speciebus sunt, signum sunt repraesentans et commemorans idem corpus immolatum in cruce et eundem sanguinem in cruce effusum. *Sexto* denique triplex Christi corpus verum et reale discernendum est, triplex sane non substantia, sed statu: aliud adspectabile et mortale, quod passum et crucifixum est; aliud item adspectabile, sed immortale et spiritale, quod in coelo est; aliud invisibile, spiritale, immortale, quod in sacramento altaris exstat: atque etiam hoc quidem quoad substantiam verum et reali Christi corpus est, sed mysticum vocatur eatenus, quatenus in mysterium est et ad usum religionis donatur. — Quibus omnibus notatis argumenta adversariorum singula ex Augustino petita satis commode solvuntur:

40. *Primo opponunt,* quod *Augustinus* serm. 272. ad recens baptizatos expostulationi horum: „Expone, ut intelligamus", quomodo panis est corpus, et calix est sanguis Christi, si corpus suum Christus in coelum levavit? respondet: „Ita fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem." — *R.* Augustinus id prosequitur, ut cogitationem recens baptizatorum revocet a consideratione status connaturalis et aspectabilis corporis Christi eamque ad considerandum statum eiusdem sacramentalem convertat, in quo non visu nec alio sensu percipitur, sed fide adesse creditur et spiritualem nobis fructum affert. Quare verba obiecta non ad negandam realem praesentiam spectant, sed qualis ea non sit, illis declaratur. Neque

a dogmate catholico aliena sunt, quae continuo subdit Augustinus: „Corpus ergo Christi, si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus: vos estis corpus Christi et membra. Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Dominica est, mysterium vestrum accipitis, ad id. quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim: Corpus Christi, et respondes: Amen. Esto membrum Christi, ut sit verum Amen. Quare ergo in pane? nihil de nostro offeramus, ipsum Apostolum identidem audiamus, qui cum de hoc sacramento loqueretur, ait: *Unus panis, unum corpus multi sumus.* Intelligite et gaudete." Scilicet postquam iam superius verba institutionis: *Hoc est corpus meum* de reali ipsius corpore intelligenda esse apertissime declaraverat, hoc loco non de substantia dogmatis de reali praesentia agit, sed hanc supponens aliquam sacramenti eucharistici significationem explanat, quam ob Donatistarum schisma animis neophytorum profunde impressam volebat. Quare etiam alibi, v. g. serm. 227., fide realis praesentiae paucis tradita, continuo ad sermonem de corpore ipsius mystico deflectit.

41. *Secundo opponunt* hunc *Augustini* in 1. Cor. 10, 3. 4.: *Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, commentarium, quem ad verba Christi: *Hic est panis, qui de coelo descendit* (Ioan. 6, 50.) annectit: „Hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt: in re, quae significatur, paria sunt. Apostolum audi: *Nolo enim vos,* inquit, *ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt.* Spiritalem utique eandem (vobiscum): nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritalem vero (eandem), quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus. non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit: *Et omnes eundem potum spiritalem biberunt.* Aliud illi. aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodo enim eundem potum?

Bibebant, inquit, *de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus.* Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in Verbo et in carne" (Tract. in Ioan. 26, 12.). Videlicet Augustinus dicere videtur, duo haec sacramenta vel duos hos cibos, manna et eucharistiam specie solum externa et visibili differre, convenire autem prorsus, quod attinet eorum significationem et virtutem; hoc vero dici nequit reali praesentia supposita; ergo. — *R.* Verba obiecta nullo modo realem praesentiam excludunt; etsi enim duo illa sacramenta idem, sc. eundem Christum, significent, et ab eodem suam virtutem spiritalem habeant; alio tamen et alio modo idem significant, quia ss. eucharistia signum est corporis Christi praesentis et sub specie panis invisibiliter latentis. Hunc vero diversum significationis modum Augustinus non excludit; sed solum significatione eadem in utroque sacramento notata infert, fide et corde eandem nobiscum manducasse patres escam spiritualem, Christum nempe vel Verbum in carne. Quare adductis verbis Christi: *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso, non morietur*, urget ad hunc fructum percipiendum eundem panem non solum corporaliter sed spiritualiter i. e. cum fide spe et caritate manducandum esse: „Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum; qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente" (Ibid.). Quae verba profecto realem praesentiam supponunt. Cf. cap. seq. ibid.

42. *Tertio opponunt* hunc locum ex ennarratione in ps. 98, 5. petitum: „Cum remansissent cum illo discipuli duodecim, illis recedentibus, suggesserunt illi tamquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo eius et recesserunt; ille autem instruxit eos et ait illis: *Spiritus est, qui vivificat. caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Spiritaliter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritaliter intellectum vivificabit vos; etsi necesse est, illud visibiliter celebrari,

oportet tamen invisibiliter intelligi.“ Ex quibus verbis adversarii saltem id constare putant, ex mente Augustini eucharisticum Christi corpus esse aliud a corpore, quod pro nobis in cruce immolatum est, ideoque verum Christi corpus nequaquam esse. — *R.* Haec Augustini verba specietenus difficilia reipsa satis commode explicantur, dummodo quaedam doctrinae capita ab eodem Augustino in ipso contextu huius loci et alibi proposita et supra iam notata prae oculis habeantur. Nimirum ex opinione Augustini Dominus discipulis sermonis sui de edenda carne sua veram intelligentiam dedit verbis: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt;* utpote quae hunc in sensum interpretanda sint: Non ad vitam corporalem nutriendam carnem meam vobis dabo, sed ad fovendam et augendam vitam supernaturalem gratiae et aeternae beatitudinis. Hunc vero effectum vivificum caro mea habet non in se considerata et praecise sumpta (*caro non prodest quidquam*), sed ut divina est et spiritualis per substantivam cum Verbo unionem (*spiritus est qui vivificat*). Quare verba mea spiritualiter intelligenda sunt de manducatione reali quidem at supernaturali, non vero carnaliter de manducatione carnali vel capharnaitica (*Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*). Scilicet nequaquam carnem meam in partes concisam visibilem et palpabilem atque in modum aliorum ciborum comedendam vobis distributurus sum; sed carnem meam daturus sum vobis supernaturaliter in sacramento, in quo quidem vere et realiter tamquam cibus ore sumitur et vitam supernaturalem nutrit verum tamen non sensibus usurpatur, sed fide et corde delibatur. Unde iam ulterius hoc sacramentum visibiliter celebrari ab Augustino dicitur propter speciem suam corpoream, invisibiliter vero intelligi propter praesentiam carnis Dominicae, quae non videtur sed ex veritate tantum verborum Christi (*Hoc est corpus meum*) intelligitur. Denique verba Augustini: „Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis“ etc. intelligenda esse iam perspiciuntur de corpore Christi non ratione substantiae, sed ratione status: vel ita, ut mandu-

catio capharnaitica quidem, non vero manducatio sacramentalis excludatur.

43. *Quarto opponunt* haec, quae leguntur in epistola 98 ad Bonifacium: „Nonne semel immolatus est Christus in se ipso, et tamen in sacramento non solum per omnes paschae sollemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est.“ — *R.* Consideratis scopo, quem Augustinus prosequitur, necnon contextii etiam haec verba difficultate carent. Nimirum eo consilio haec scribit, ut parvulos, qui baptizantur, credere sine mendacio dici ostendat. Quare rem exemplis vel comparationibus quibusdam illustrat. Primum exemplum petit a celebratione eucharistiae, ut sacrificium est. Scilicet Christus, quamvis reipsa semel tantum in cruce immolatus sit, quotidie tamen iterum in sacramento immolari dicitur per separatam corporis et sanguinis consecrationem, utpote quae repraesentatio quaedam realis immolationis in cruce adeoque mystica immolatio est atque ut talis sacrificium eucharisticum formaliter constituit. Alterum exemplum ab eucharistia derivat, ut sacramentum est: nimirum hoc sacramentum dicit esse quodam modo corpus et sanguinem Christi. Sed ita loquens intelligit sensibiles species huius sacramenti, utpote quae sane non ipsum corpus Christi, sed symbolum vel signum eius sunt: aut vero corpus Christi in eucharistia naturali et propria sua specie humana carere considerat atque ex hac ratione solum eucharistiam secundum quendam modum corpus Christi esse docet. Quicunque ex his duobus sensibus eligitur, cum dogmate catholico neuter pugnat.

44. *Denique opponunt* hoc celebre Augustini testimonium ex lib cont. Adimantum c. 12.: „Ex eo, quod scriptum est, sanguinem pecoris animam eius esse, praeter id, quod supra

dixi, non ad me pertinere, quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari praeceptum illud in signo esse positum, non enim dubitavit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui." — *R.* Duae huius loci interpretationes exstant, quarum utraque cum contextu et scopo, quem Augustinus prosequitur, prorsus convenit et difficultatem omnem commode removet. Secundum primam Augustinus hoc loco eucharistiam considerat secundum externam speciem, secundum quam sane non ipsum corpus Domini, sed signum dumtaxat eiusdem est, signum autem quod ipsum corpus non excludat, sed includat. Secundum alteram interpretationem S. Augustinus eucharistiam sumit secundum se totam, ut corpus Christi invisibile cum specie visibili complectitur; atque eandem sic consideratam dicit esse signum repraesentans corpus Christi cruci confixum, Christo ipso instituente, utpote qui dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Sic enim considerata eucharistia tantum mystice et in signo corpus Christi est, atque eadem ratione considerata ab aliis orthodoxis Patribus antitypus corporis Christi dicitur.

7) *S. Leo M.* quoque plura de reali praesentia testi- 45.
monia exhibet: „Dicente Domino: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Ioan. 6, 54), sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur et frustra ab illis ‚Amen' respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur" (Serm. 91. c. 3.). De eutychianis humanitatem Christi negantibus notat: „In quibus isti ignorantiae tenebris, in quo hactenus desidiae torpore iacuere? ut nec auditu discerent vel lectione cognoscerent, quod in ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta taceatur (sc. infantes quoque communionem accipiebant). Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniae hoc impartitur, hoc sumitur, ut acci-

pientes virtutem coelestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus" (Ep. 59. c. 2.). „Cumque (iidem Eutychiani) ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse conventibus, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinent" (Serm. 42. c. 5.).

46 8) *Denique Isidorus Hispalensis* praeclarus exstat testis eiusdem fidei in antiqua ecclesia hispana vigentis: „Coelestis confirmat auctoritas, quia caro Christi vere est cibus, et sanguis eius vere est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate evertit, ita dicens: *accipite et edite, hoc est enim corpus meum.* Et sanctificatione repetita: *accipite,* inquit, *et bibite, hic est sanguis meus.* Ergo sicut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis Verbi praecipit virtus et servit effectus. Quanta itaque et quam celebranda beneficia vis divinae benedictionis operetur, attende. Et ut tibi novum et impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutentur, te ipsum, qui iam es in Christo regeneratus, interroga . . . Salutaribus mysteriis innovatus in corpus ecclesiae non videndo sed credendo transiisti et de filio perditionis adoptivus Dei filius occulta puritate fieri meruisti . . . Corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis . . . De hoc vero pane cum assumitur, nihil minus habent singuli quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi . . . Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiae praesentia maiestatis in Dominici corporis

transire naturam, cum ipsum hominem videat artificio coelestis misericordiae Christi corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni faece peccati, ita quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? Imo iam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require, quid ei posset esse difficile, cui facile fuit visibilia et invisibilia voluntatis imperio suscitare" (Serm. de corpore et sanguine Domini).

2. *Testimonia Patrum graecorum.* — Aeque **47.** vel etiam magis aperta ac Patrum latinorum fides est Patrum graecorum, ut ex testimoniis subiectis manifesto constat.

1) Imprimis *Macarius Magnus* ineunte saeculo IV. florens in paucis fragmentis, quae ex eiusdem scriptis supersunt insignis catholicae fides testis exstat, utpote qui verbis expressis doctrinam postea a Calvino statutam reiicit atque aliis modis doctrinam catholicam clare profitetur. Etenim quatuor potissimum de eucharistia docet: *Primo*. Eucharistia non est tantum figura corporis et sanguinis Christi, sed ipsum eius corpus et sanguis: „Dixit: *hoc est corpus meum;* non enim figura (τύπος) corporis est neque figura sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem corpus et sanguis Christi. — *Secundo* qua ratione panis in corpus Christi converti possit quadantenus interpretaturus Christum sic loquentem inducit: „Ex terra vobis panis ad alendum exstitit, terra vero creatura mea est: ex terra similiter exstitit corpus et haec mea massa. Ex unione igitur, qua unitus sum sanctus cum terreno (Verbum cum carne) do panem et vinum iubens esse corpus et sanguinem meum." — *Tertio* quod caro Christi eucharistica vivifica est, ex unione cum Verbo divino habet: „Ceterum panis communis ex terrae

cultura elaboratur, etsi caro quaedam terrae est, tamen vitam aeternam praebere non promittit . . . Panis vero in beata terra, virtute divinitatis unitae, confectus solo gustu immortalitatem homini affert. Mysticus enim panis cum benedictionem Patris habeat inseparabilem, illam dico, quae in corpore et sanguine eius facta est, unit comedentem corpus Christi eumque membrum Christi efficit . . . Corpus quod ille mysticus panis est, et sanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemeratae divinitatis participanti tribuunt ex seipsis (αὐτόθεν). — *Quarto* corpus Christi in eucharistia vere quidem manducatur neque tamen corrumpitur vel consumitur: „Neque caro Salvatoris manducata corrumpitur neque sanguis potatus consumitur, sed qui manducat, ad augmentum divinarum virtutum elevatur: quod vero manducatur, est inconsumptibile, quoniam inconsumptibili naturae quadam ratione cognatum et ab ea inseparabile est" (Migne, Patrol. graec, 5, 348.).

48. 2) Succedit *vetustus dialogorum nomine Caesarii, fratris Gregorii Nazianzeni, inscriptorum auctor*, qui demonstraturus verbis Dei simplicem semper ac sinceram fidem esse adhibendam, huius rei exemplum sumit a fide christianorum in ss. eucharistiam atque hac de re tamquam omnibus comperta haec notat: „Videmus sanctum illum panem hodie in ara incruenta tempore divini et mystici officii in impolluta propositum mensa, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei et Verbi, neque item immisto ipsius sanguinem (videmus similem) una cum pane propositum calicem vini, non membrorum articulatae distinctioni, non carneae et sanguineae qualitati, non invisibili, et invisibiliter unitae, formae experti divinitati . . . Illud autem (ut sensibus videtur) rotundum est, non articulatum, inanimatum, sanguine carens, immobile, neutri simile, non ei qui visibilis est et divinitate invisibilis. Credimus nihilominus divino sermoni, et quidem non simile aut aequale, sed proprie et convenienter (ἀραρότως) ipsum esse divinum corpus, quod in divina mensa sacrificatur et populo prorsus sine sectione distribuitur et sine deficientia participatur. Neque enim sol deficit indigentibus lucem mini-

strans neque mare per salinas participatum castitate minuitur. neque ignis infinitas succendens faces languescit . . . neque item aër respiratione omnium animantium imminuitur" (Dialog. 3. interrog. 169.).

3) S. *Epiphanius* eadem fere qua Caesarius ratione testi 49.
monium exhibet: solum rationem loquendi ita disciplinae arcani attemperat, ut ab initiatis quidem facile, nequaquam vero ab aliis intelligeretur: „Videmus Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur, quod a coena surgens haec accepit et gratias agens dixit: hoc est meum hoc. At videmus aequale illud non esse nec simile, non susceptae carnis imagini, non invisibili divinitati, non membrorum lineamentis: istud enim rotundum est, et quod ad vim attinet, sensus expers, et tamen ex gratia pronuntiare voluit: hoc est meum hoc; et nemo non credit sermoni nam qui verum esse non credit, ita ut dixit, excidit a gratia et salute" (In ancorat. n. 57.).

4) S. *Gregorius Nyssenus* in oratione catechetica de 50.
ss. eucharistia tria capita doctrinae proponit, quae totidem manifesta realis praesentiae documenta sunt: *Primo* declarat necesse esse, ut immortale Dei corpus intra nostrum corpus corruptum suscipiatur, ut immortalitatis participes reddamur: „Quid hoc ergo est? Nihil aliud, quam illud corpus, quod morte potentius ostensum fuit et vitae nostrae fuit initium . . . Immortale corpus cum fuerit intra eum qui sumpsit, totum quoque transmutat in suam naturam (immortalem). Sed fieri non potest, ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum et potum visceribus misceatur. Necesse est igitur, eo modo, quo natura potest, vivificam Spiritus virtutem suscipere." — *Secundo* declarat et exemplo illustrat, qua ratione idem corpus in se quidem integrum manens in multis tamen fidelibus esse queat: „Cum autem ostensum sit aliter fieri non posse, ut corpus nostrum sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali fiat particeps incorruptionis, oportet considerare, quomodo fieri possit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe semper distribuitur, totum sit in unoquoque singillatim et ipsum in se maneat in-

tegrum . . . Quomodo ergo in nobis, ut iam saepe dictum est, videns panem videt quodammodo corpus humanum, quia, cum ille in hoc fuerit, fit hoc, ita illic quoque (in Christo degente in terris) corpus, quod Deum suscepit, alimentum panis suscipiens quadam ratione erat idem cum illo (pane), alimento, ut dictum est, transeunte in naturam corporis . . . Recte ergo credo, etiam nunc panem, qui verbo Dei sanctificatur, in corpus verbi Dei transmutari. Nam panis erat in potentia etiam illud corpus, sanctificabatur autem inhabitatione Verbi habitantis in carne. Igitur unde in illo corpore transmutatur panis in divinam virtutem (propter unionem hypostaticam) transibat, per idem etiam nunc fit simile Ibi enim gratia verbi (unio hypostatica) sanctum reddebat corpus, cui ex pane erat substantia, et ipsum etiam quodammodo panis erat: et hic similiter panis, ut loquitur Apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatur, sicut a Verbo dictum est: *hoc est corpus meum.*" — Denique *tertio* utrumque resumens ita concludit: „Dispensatione gratiae seipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, quibus ex pane et vino substantia est, corporibus fidelium commixtus, ut unione cum immortali (corpore) etiam homo fiat particeps incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud (corpus suum immortale) transelementans eorum, quae apparent, naturam" (c. 37.).

51. 5) *S. Cyrillus Hierosolymitanus* neophytos de ss. eucharistia instituens his capitibus doctrinae de fide realis praesentiae testatur: *Primo* verba institutionis obvio et proprio sensu accipienda sunt ideoque ad instructionem fidei sufficiunt: „Cum ipse revelaverit et dixerit de pane: *hoc meum est corpus,* quis audebit adhuc ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: *hic meus est sanguis,* quis unquam dubitaverit, aiens non esse eius sanguinem?" (Catech 22. 1.). — Quare *secundo* non sensibus fidendum, sed fide credendum est, sub symbolis panis et vini vere et realiter adesse substantiam corporis et sanguinis Christi: „Ne igitur veluti nudo pani et vino attendas; corpus enim et sanguis Christi est

secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi sensus illud tibi suggerat, fides te certum reddat. Ne ex gustu rem iudices, sed ex fide indubitanter certus esto, te corpore et sanguine Christi dignatum esse" (Ibid. n. 6.). „Haec edoctus et certissima fide imbutus, quod, qui videtur panis, panis non est, etiamsi gustu sentiatur, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi . . .: confirma cor tuum, panem illum tamquam spiritualem sumens" (n. 9.). Ne palato corporis permittatis iudicium; nequaquam! sed indubitatae fidei: qui enim gustant, non panem et vinum gustare iubentur, sed antitypum corpus et sanguinem Christi" (23, 20.). Scilicet corpus et sanguis Christi per species panis et vini significantur ideoque harum tamquam symbolorum vel typorum antitypa vocantur. — *Tertio* per Spiritum Sanctum panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur atque haec conversio per illam aliam aquae in vinum illustratur: „Postquam (in liturgia) nosmetipsos per spirituales laudes sanctificavimus, Deum benignum exoramus, ut emittat S. Spiritum super proposita (dona), ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim, quodcunque attigerit S. Spiritus, hoc sanctificatum et transmutatum est" (23, 7.). „Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et non est dignus, cui credamus, quando vinum in sanguinem transmutat? Ad nuptias corporales vocatus stupendum hoc miraculum effecit, et non eum multo magis filiis thalami nuptialis (Ecclesiae) corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur?" (22, 2.). — Quare *quarto* per manducationem eucharistiae non tantum per fidem spiritualiter cum Christo, sed corporaliter cum eiusdem corpore et sanguine intime unimur: „Quare cum omni persuasione ut corpus et sanguinem Christi sumamus. In figura enim panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi concorporeus et consanguineus eius efficiaris" (ibid. n. 3.). — *Quinto* denique summa reverentia ad tantum mysterium accedi atque corpus et sanguis Christi excipi debent:

„Audiens igitur ne expansis manuum volis neve disiunctis digitis accede, sed sinistram velut thronum subiiciens dextrae utpote regem suscepturae; et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: Amen. Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans, ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris diminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus, ne quid horum tibi periret ac damnum paterere? Nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius? Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad sanguinis poculum, non extendens manus, sed prorsus et adorationis ac venerationis in modum dicens: Amen, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaereat ex eo mador, manibus attingens et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo exspectans orationem gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est“ (23, 21. 22.).

52. 5. S. I. Chrysostomus merito doctoris eucharistici nomen sortitus est, utpote qui abundantissime et clarissime de fide catholica testatur. Ad quinque vero capita diversa testimonia revocari possunt. Et quidem:

a) Declarat, Apostolos verba institutionis ex verbis promissionis facile intelligere potuisse; non igitur sensibus fidendum, sed firmâ fide credendum esse, in ss. eucharistia eundem Christum nobiscum uniri, qui olim in specie humana visibilis in terris versabatur; quo spectant verba iam supra (th. 2.) partim aliata: „Solvit (Christus) principalem eorum festivitatem (pascha veteris testamenti), ad aliam eos transferens mensam valde tremendam aitque: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Et quomodo non turbati sunt hoc audientes. Quia multa et magna ea de re etiam antea eis dixerat (Ioan. c. 6.). Ideo illud non amplius praeparat, nam satis audiverant . . . Et ipse ex eo bibit (Thom. S. th. 3. p. q. 81. a. 1.). Nam

ne haec audientes dicerent: Quid ergo, sanguinemne bibimus et carnem manducamus? et ne tunc turbarentur, nam etiam quando hac de re verba fecit, de ipsis verbis multi offensi sunt; ne igitur etiam tunc turbarentur, primus ipse hoc fecit, inducens eos ad mysteria sine turbatione participanda. Propterea suum sanguinem ipse bibit" (In Matth. hom. 82. al. 83. n. 1.). „Obsequamur igitur ubique Deo nec contradicamus, etiamsi quod dicit rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat eius sermo rationibus et sensibus nostris. Sic etiam in mysteriis faciamus, non ea solum, quae sub sensus cadunt, respicientes, sed verba eius tenentes. Verbum enim eius infallibile est, sensus autem noster facile deceptioni obnoxius; verbum eius nunquam excidit, sensus vero saepe fallitur. Cum ergo sermo (Christi) dicit: *hoc est corpus meum,* obtemperemus et credamus, et spiritualibus oculis ipsum respiciamus" (n. 4.). „Quot nunc dicunt: vellem eius formam, figuram, vestes, calceamenta videre! Ecce eum vides, eum tangis, eum manducas. Et tu quidem vestimenta eius videre cupis, ipse vero seipsum tibi dat, non modo videndum, sed etiam tangendum et comedendum et intus sumendum . . . Neque enim satis hominem fieri, alapis caedi et mactari, sed seipsum nobis commiscet, et non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum facit. Qua ergo re non oporteat puriorem esse eum, qui hoc fruitur sacrificio, quo radio solari non puriorem manum, quae hanc carnem secat, os repletum igne spirituali, linguam tremendo sanguine tinctam? Cogita, quantum adeptus sis honorem, qua mensa fruaris. Quod angeli tremunt videntes nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi corpus unum et caro una . . . Quis pastor propriis suis membris nutrit oves? Et quid dico pastor! Matres saepe sunt, quae post dolores partus infantes aliis nutricibus tradunt. Ipse vero hoc non est passus, sed ipse nos nutrit proprio sanguine et per omnia nos sibi copulat" (n. 4. 5.)

b) Urget et inculcat iterum iterumque, in eucharistia 53.
esse idem corpus, quod Verbum assumpsit, quod crucifixum

est, quod nunc in coelis sedet ad dextram Patris: eundem sanguinem, qui in cruce ex latere Christi fluxit: „Quare oportet discere miraculum mysteriorum, quid sint, cur data sint et quae rei utilitas. Unum corpus efficimur, et membra, inquit, ex carne eius et ex ossibus eius. Initiati attendant iis, quae dicuntur. Ut ergo non solum secundum dilectionem, sed etiam secundum rem ipsam cum illa carne commisceamur, hoc enim fit per cibum, quem donavit, volens nobis ostendere amorem, quem habet erga nos, propterea se nobis admiscuit et corpus suum nobis inseruit, ut unum quid simus, sicut corpus iunctum capiti. Ardenter enim amantium hoc argumentum est . . . Non solum videndum se nobis exhibuit nobis desiderantibus, sed etiam tangendum et comedendum et ut eius carnem dentibus teramus et intime ei uniamur, et desiderium omne impleamus. Ut leones ergo ignem spirantes ab illa mensa recedamus diabolo terribiles . . . Parentes liberos suos aliis nutriendos tradunt, ego autem non sic, inquit, sed carnibus meis nutrio, meipsum vobis appono . . . Frater vester fieri volui, communicari carni et sanguini propter vos, rursus vobis eandem carnem et sanguinem trado, per quae cognatus vobis factus sum“ (Hom. 46. [al. 45.] in Ioan. n. 2. 3.). „*Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Valde fideliter et terribiliter locutus est. Quod enim dicit, hoc est: hoc, quod in calice est, est illud, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes . . . Itaque si sanguinem desideras, inquit, ne idolorum aram caede brutorum, sed altare meum sanguine meo purpura. Quid hac re magis tremendum? Quid, quaeso, amabilius? . . . Si regem quis non temere exceperit . . . quomodo corpus Dei universorum immaculatum et purum, quod cum illa natura est conversatum, per quod sumus et vivimus, per quod portae mortis fractae et coeli fornices aperti sunt, cum contumelia sumemus? . . hoc corpus clavis confixum, flagris caesum . . . hoc est illud corpus, quod cruentatum est, lancea confessum, quod salutares fontes universo orbi scaturivit . . . hoc corpus nobis dedit et tenendum et comedendum“ (Hom. 24 in 1. Cor. n. 1. 4.).

„Quid vero? annon nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed memoriam facientes mortis eius, et unum est sacrificium, non multa . . . Eundem enim semper offerimus, non nunc unam ovem, cras alteram, sed semper idem, ita ut sit unum sacrificium. Nam hac ratione, quando multis locis offertur, numquid etiam multi Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, et totus hic et totus illic, unum corpus. Sicut ergo multis in locis oblatus unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex noster ille est, qui obtulit (in cruce) hostiam nos emundantem, illam offerimus etiam nunc, quae tunc fuit oblata, quae consumi non potest" (Hom. 17 in Heb. n. 3.). „Cum igitur eum, qui cruci affixus est, etiam nos sub hanc vesperam tamquam agnum mactatum et immolatum visuri simus, moneo, ut cum tremore, veneratione et reverentia multa accedamus. An nescitis, quomodo angeli adstiterint sepulcro corpus non amplius habenti, sepulcro vacuo? . . nos, qui non ad sepulcrum vacuum adstituri sumus, sed ad ipsam mensam, in qua agnus positus est, cum tumultu et turbatione accedimus? . . . Quando sacerdos stat ante mensam, manus extendens ad coelum, invocans Spiritum Sanctum, ut adveniat et proposita tangat, magna quies, magnum silentium; quando Spiritus dat gratiam, quando descendit, quando proposita tangit, quando vides ovem mactatam et consummatam, tunc tumultum excitas?" (Hom. de coemeter. n. 3.). „Cum videris Dominum immolatum et iacentem . . . an putas, te adhuc inter homines esse et in terra versari? . . . O prodigium, o Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur seque volentibus dat amplectendum et accipiendum. Faciunt autem hoc omnes oculis fidei . . . Hoc itaque terribilissimum mysterium quis . . . despicere poterit?" (De sacerdotio l. 3. c. 4.). „Quotquot corpus participamus, quotquot hunc sanguinem degustamus, cogitate, quod participatione sumimus illum, qui nihil differt, nihil distat ab eo (quod antea dixit passum et crucifixum esse), quoniam illum, qui in supernis sedet, qui ab angelis adoratur, qui sedet penes incorruptam virtutem, hunc manducamus" (Hom. 3. in Ephes. n. 3.).

54. c) Denique declarat quoque, qua ratione Christus praesens fiat, scilicet conversione: „Tempus demum est, ad tremendam hanc mensam accedendi . . . Adest Christus, is qui hanc mensam apparavit, et nunc eam parat. Non enim homo est, qui facit, ut proposita fiant corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens Christi (i. e. tamquam minister Christi) stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum*, inquit. Hoc verbum transmutat proposita Et sicut vox illa: *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. I, 28.) semel quidem dicta est, sed omni tempore fit in se ipsa naturae nostrae vim largiens generandi, ita et haec vox semel dicta per singulas mensas ab illo tempore usque ad hodiernum diem et usque ad adventum eius operatur victimam consummatam" (Hom. de prodit. Iud. c. 1. n. 6). „Numquid si sordes in tuis manibus haberes, auderes contingere fimbriam regis terreni? Non certe auderes. Nec respicias, quasi panis esset, nec censeas vinum esse. Non enim ut alii cibi in recessum vadit. Absit, noli id cogitare. Sed sicut cera igni admota (ut in cereis) nihil suae substantiae reliquum facit, nihil ex ea remanet; ita et hic crede mysteria consummari corporis substantia (Sc. sicut cera propria eius substantia penitus consumpta in ignem transmutatur, ita similiter panis eiusdem substantia consumpta in substantiam corporis Christi convertitur). Propterea etiam accedentes ne censeatis divinum corpus vos ab homine accipere. sed putate ab ipsis Seraphim ignita forcipe, quam Isaias vidit (Is. 6.) vos accipere corpus divinum; et quasi labiis divino impolluto lateri admotis sic suscipiamus salutarem sanguinem" (Hom. 9. de poenitentia).

55. 6. Etiam *Cyrillus Alexandrinus* indubius prorsus fidei in realem praesentiam testis est atque duo praesertim capita doctrinae urget: Et *primo* quidem caro Christi est caro Verbi Dei ideoque vivifica; quare qui hanc carnem in eucharistia manducat per eam ad immortalitatem instauratur: „Demonstrative dixit: *Hoc est corpus meum* et *hic est sanguis meus*, ne figuram esse arbitreris ea, quae videntur, sed arcana ali-

qua ratione transformari ab omnipotente Deo in corpus et sanguinem Christi in veritate. quae oblata sunt: quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus" (In Matth. 26. 27.). „Quidnam ergo Christus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, sed eulogiam potius illam, quae est in participatione sanctae carnis et sanguinis, quae integrum hominem ad incorruptionem revocat . . . vivificat igitur sanctum Christi corpus eos, in quibus fuerit, et in incorruptione conservat, nostris coniunctum corporibus. Corpus enim non alterius cuiusdam, sed ipsius vitae secundum naturam intelligitur, totam habens in se uniti Verbi virtutem et eadem, ut ita dicam, qualitate praeditum, imo eius (Verbi) ac et efficacia repletum, per quam omnia vivificantur et in suo esse conservantur" (In Ioan. 6, 35.). — Deinde in ss. eucharistia omnes cum eodem Christo corporaliter et intime unimur: „Paulus dicit: *Omnes enim unum corpus sumus in Christo, quoniam unus panis multi sumus; omnes enim de uno pane participamus* (1. Cor. 10, 17.). Dicat enim nobis aliquis causa uet doceat, aliter vim mysticae eulogiae (eucharistiae). Nam cur in nobis inseritur? Nonne ut Christum in nobis inhabitare faciat etiam corporaliter participatione et communione sanctae suae carnis? . . . *Qui manducat meam carnem*, inquit, *et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Hic maxime animadvertere operae pretium est, Christum non dicere se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem aliquam affectualem, sed et per participationem physicam. Ut enim si quis ceram alteri cerae coniungens igne simul liquefecerit, unum aliquid ex ambobus efficit; ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursum in ipso simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest, quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit corpori eius, qui secundum naturam suam est vita, hoc est Unigeniti . . . Postquam facta est caro vitae, hoc est Verbi quod ex Deo Patre effulsit, ad vitae vim transiit, nec fieri potest, ut a morte vita vincatur" (In Ioan. 15, 1.). Alibi quoque saepe idem eadem claritate testatur.

ut v. g. in Ioan. 6, 35.; 6, 48.; 6. 61.: cont. Nestor. l. 4. c. 5. et 6.; Apologet. cont. oriental. anathem. 9.

56. 7) *Anastasius Sinaita* quoque aperte de fide catholica testatur: contra Gaianos Incorrupticolas Monophysitas ex reali praesentia Christi in eucharistia tamquam principio communiter admisso passibilitatem corporis Christi ante resurrectionem ostendere conatur; Gaianitam enim et orthodoxum sic colloquentes inducit. Orthodoxus: „Si dicis, ab ipso unionis exordio et divinitatem et corpus Christi omni modo incorruptibilitatem habere, estne communio sacratissimi corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, verum corpus et sanguis Christi Filii Dei, an nudus panis, qualis ostiatim venditur, et figura corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Iudaei offerunt?" Gaianita: „Absit, ut dicamus, sacram communionem figuram esse corporis Christi aut nudum panem: sed ipsum corpus et sanguinem Christi Fili Dei incarnati et nati ex S. Dei genitrice et semper virgine Maria vere suscipimus." Orthodoxus: „Sic credimus et sic confitemur iuxta dictum ipsius Christi, quod pronuntiavit ad discipulos in coena mystica eis dans vivificum panem; *accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Similiter et calicem eis dans dixit: *hic est sanguis meus.* Non dixit: hoc est figura corporis et sanguinis mei. Et aliis pluribus locis Christus aperte dixit: *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Quare cum ipse Christus testetur, vere esse suum corpus et sanguinem, quod fideles accedentes sumimus, agedum affer nobis aliquid ex communione vestrae ecclesiae tamquam supra omnem aliam ecclesiam, scil. orthodoxae: et cum omni reverentia sanctum hoc corpus et sanguinem Christi in vase honorifice reponemus. Et si inter paucos dies non corrumpatur aut immutetur aut alteretur, planum erit, vos recte asserere, corpus Christi ab ipso incarnationis exordio penitus incorruptibile esse; si vero corrumpatur aut immutetur, necesse erit, ut unum ex his fateamini: aut id, quod sumitis, non esse verum corpus Christi, sed figuram aut nudum (panem), aut propter perversam fidem vestram Spiritum Sanctum in illud non descendisse, aut corpus Christi

ante resurrectionem corruptibile fuisse, utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, divisum et manducatum; nam incorruptibilis natura (pure spiritualis) neque scinditur neque in latere et manibus vulneratur, neque dividitur, neque morti traditur, neque manducatur, neque omnino teneri potest nec tangi, cuiusmodi est incorruptibilis angelorum et animarum natura" (Hodegus c. 23.). Haec quidem argumentatio, qua ex specierum corruptibilitate ad passibilitatem corporis Christi ante resurrectionem concluditur, parum efficax apparet, cum corruptibilitas specierum nullo pacto ipsum Christi corpus afficiat: verum hinc ipsius de reali praesentia testimonii vis nequaquam minus evidens est. Ceterum et ipsa argumentatio forte aliqua ratione inde defendi potest, quod status sacramentalis status victimae est passionem Christi et mortem repraesentans (cf. opus ‚Perpetuité de la foi' t. 1. l. 7. c. 2.).

57. 8) *S. Ioannes Damascenus* pro more suo ceterorum Patrum doctrinam etiam in praesenti quaestione resumit atque ad haec fidei capita reducit: *Primo* Christus in Eucharistia praesens sistitur panis et vini in corpus et sanguinem conversione: „Est revera corpus unitum divinitati, natum ex s. Virgine corpus, non quod in coelum assumptum corpus e coelo descendat, sed quod panis ipse et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei. Si autem quaeras modum, quo fiat, sat tibi sit audire, id fieri per Spiritum Sanctum sicut etiam ex s. Dei genitrice per Spiritum Sanctum sibi ipsi et in seipso carnem subsistentem fecit; nec amplius quicquam cognoscimus, nisi quod sermo Dei verax est et efficax et omnipotens, modus autem est incomprehensibilis" (De fide orthod. l. 4. c. 13.). — *Secundo* vero haec conversio terminum habet corpus Christi praeexistens, quare idem numero corpus et in coelo et in eucharistia existit: „Non male etiam hoc dici potest: sicut naturaliter per comestionem atque vinum et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur et non fiunt aliud corpus praeter corpus eius prius existens, ita panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Sancti Spiritus supernaturaliter transmutantur in

corpus et sanguinem Christi et non sunt duo (corpora) sed unum idemque" (Ibid.). — *Tertio* quemadmodum sermo Dei omnipotens omnia ex nihilo condidit et sicut superna Spiritus Sancti virtute Verbum caro factum est, ita verbo Christi et Spiritus Sancti virtute de pane corpus Christi fieri potest: „Si sermo Dei vivus est et efficax et omnia quaecunque voluit Dominus fecit, si dixit: *fiat* et facta est lux . . ., si ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factum est . . .: cur non potest panem corpus suum, atque vinum et aquam sanguinem suum efficere? In principio dixit: *Producat terra herbam virentem* . . ., dixit perinde Deus: *hoc est corpus meum*, et: *hic est sanguis meus*, et: *hoc facite, in meam commemorationem*, idque omnipotente eius praecepto fit, donec veniat . . . Ut enim omnia, quae fecit Deus, fecit virtute Spiritus Sancti, ita etiam nunc virtus Spiritus Sancti operatur, quae supra naturam sunt, et quae capere non potest, nisi sola fides. *Quomodo fiet istud*, aiebat sancta Virgo, *quoniam virum non cognosco?* Respondet Gabriel Archangelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Et tu nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi atque vinum et aqua sanguis Christi. Dico tibi et ego: Spiritus Sanctus supervenit et efficit haec, quae sermonem et conceptum mentis superant." (Ibid.) — *Quarto* SS. Eucharistia minime figura tantum corporis Christi est, sed ipsum hoc verum et substantiale corpus: „Non est figura panis et vinum corporis et sanguinis Christi — absit —, sed ipsum corpus Domini divinitate dotatum, cum ipse Dominus dixerit, non: hoc est figura corporis mei, sed: *hoc est corpus meum*, et non: figura sanguinis mei, sed *sanguis meus* . . . Si vero aliqui panem et vinum vocaverunt antitypa corporis et sanguinis Domini, ut deifer *Basilius*, hoc non post consecrationem, sed ante consecrationem dixerunt, ipsam oblationem (i. e. oblata) ita vocantes . . . Antitypa autem futurorum dicuntur (post consecrationem), non quod vere corpus et sanguis Christi non sint, sed quod nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero (in altera vita) intellectualiter per solam visionem." (Ibid.)

9) Denique praeclarum exstat testimonium Patrum in concilio VII. (Nicaeno II.) congregatorum. Cum scilicet in hoc concilio referretur Iconoclastarum sententia, qui „eucharistiae panem, inquiunt, ut sinceram imaginem naturalis carnis per adventum Spiritus Sancti consecratum (Christus) voluit divinum corpus fieri mediante sacerdote“, hic loquendi modus a Patribus congregatis aperte reprobatus est, quamvis ipsi Iconoclastae in eucharistia esse vere et realiter corpus et sanguinem Christi non negarent: „Nullus aliquando, ita concilium, tubarum Spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis efficitur, dixit imaginem corporis eius. Nec enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiant evangelice dicentem eum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc., qui manducat meam carnem etc.* (Ioan. 6. 54. 55.) et non dixit: *Accipite et comedite*, hoc est imago corporis mei . . . Ergo liquide demonstratum est, quod nusquam Dominus vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt sacrificium incruentum per sacerdotem oblatum, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem consummationem quibusdam SS. Patrum pie visum est, haec antitypa nominare . . .: post sanctificationem vero corpus et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur. Isti vero viri fortes volentes venerabilium imaginum abolere conspectum aliam imaginem introduxerunt, quae non est imago, sed corpus et sanguis. Improbitate autem et astutia detenti falso sophismate seipsos decipientes dixerunt, hanc divinam oblationem fieri adoptione. Et sicut hoc dicere est manifestae insaniae, ita et imaginem dicere corpus et sanguinem Domini aequalis est dementiae et praeter inscitiam habet impietatem. Deinde demisso mendacio tangunt parum quid veritatis, divinum corpus fieri dicentes, at si est imago corporis, non potest esse ipsum divinum corpus“. (Harduin. Coll. concil. 4. 367. 370.) 58.

3. Patrum Syrorum testimonia. — Cum Patribus graecis atque latinis circa realem praesentiam concinunt etiam Patres Syri, ut plura documenta ostendunt. 59.

1) *Et primo quidem Ephraem Syrus clarissime suam fidem prodit.* Sic v. g. varias caeremonias in esu agni paschalis observatas ad ss. eucharistiae celebrationem accommodans declarat: „Quod in occasu solis (agnus paschalis) iugulabatur, significat: In fine temporum velut in vespertina hora consummabitur mysterium agni nostri, qui est Christus, . . . neque ex eo sedens comedat; nam si Seraphim cum tremore ei adstant, quis audebit sedens manducare eum? . . . Nemini fas sedendo accipere vivum corpus. (apud *Assemanni*, Bibl. orient. I. 67.) „Corpus eius nova ratione nostris corporibus immistum est, ipsius quoque sanguis purissimus in venas nostras diffusus . . . Totus ipse nos totos pervasit, et quia ecclesiam suam dilexit nimis, non illi dedit manna aemulae suae (i. e. synagogae), sed ipse panis vitae factus est illi, ut ipsum comederet" (ibid p. 97). „Te Domine comedimus, te bibimus, non ut consummamus te, sed ut per te vivamus." — *Similiter* agens de obsidione urbis Nisibis ait: „Illic (sc. in Samaria obsessa) edebatur infans et vitam eis sustinuit, in te autem (i. e. Nisibi) edebatur corpus vivum et vivificans omnia, repente salvavit manducatus manducatores." (*Bickell.* Carmina Nisibena 9, 7.) — *Denique* de institutione eucharistiae agens dicit: „Accepit Iesus in manibus suis merum ab initio panem et benedixit, signavit ac sanctificavit . extendens autem manum dedit eis panem, quem dextra sua sanctificaverat: Accipite et manducate ex hoc, quod sanctificavit verbum meum. Quod nunc vobis dedi, ne panem existimetis: accipite et manducate illud nec conteratis micas eius: quod vocavi corpus meum, hoc revera est. Minima eius mica millia millium sanctificare valet et sufficit, ut vitam praebeat omnibus, qui manducant eam. Accipite et manducate in fide nihil haesitantes, quia hoc est corpus meum, et qui manducat illud in fide, ignem et Spiritum in illo manducat . . . Qui autem illum (panem) despicit aut spernit vel contumelia afficit, pro certo habeat, quod contumelia afficit Filium, qui panem vocavit et realiter efficit corpus suum Sumite ex eo, comedite omnes, et in eo

comedite Spiritum Sanctum, est enim vere corpus meum. (Hymn. et sermon., ed. *Lamy* t. 1. p. 416.)

2) *Deinde S. Marutha episcopus tangritensis in Meso-* 60.
potamia (versus finem saec. 4.) *pariter testis egregius est fidei in realem praesentiam:* „Hoc, inquit Christus, facite semper in meam commemorationem. Si perpetua sacramentorum participatio tradita non fuisset . . . subsequentium temporum fideles a communione corporis et sanguinis extorres fuissent. Verum nunc quoties ad corpus et sanguinem accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et esse nos de carne eius sicut scriptum est. Etenim Christus non appellavit ea typum et figuram, sed (dixit): vere *hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus.*" (Apud *Assemani* l. c. p. 179. 180.)

3) *Similiter S. Isaac Magnus, presbyter Antiochenus* 61.
(medio saec. 5.) *de eadem fide testatur:* „Vidi mixtum craterem eius (fidei) et pro vino repletum sanguine et pro pane positum ab eo corpus in media mensa. Vidi sanguinem et expavi; vidi corpus et obstupui. Innuit illa (fides): comede et sile, bibe et ne scruteris puer . . . ostendit mihi corpus mactatum, ex quo in labiis meis ponens placide mihi dixit: vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus et postulavit a me, ut manum apponerem. Accepi, scripsi et confessus sum: hoc est Dei corpus: ita deinde calicem accepi et bibi in conviviis eius (fidei) et perculit me ex calice odor eiusdem corporis, quod comederam. Et quod de corpore dixeram, ipsum esse Dei corpus, id etiam dixi de calice, hunc esse sanguinem Salvatoris nostri" (Serm. de fide, apud *Assemani* l. c. p. 220.).

4) *Denique non minus praeclarus testis exstat S. Ia-* 62.
cobus episcopus sarugensis: „In quonam festo praeter hoc datum fuit convivium, in quo convivis panis loco fuerit distributum sponsi corpus ? . . . Mortuus est (sponsus) in cruce et gloriosae (sponsae) donavit suum corpus. Ecce ipsa illud accipit et in eius mensa comedit illud cotidie. Ex latere lancea transfosso miscuit ipse calicem sacro sanguine et porrexit illum, ut ipsa eum potaret et decorum suorum obliviscee-

retur" (Homil. in velamen supra faciem Moysis. ap. *Bickell.* Ausgewahlte Gedichte syrischer Kirchenväter p. 264.).

Scholion.

63. ***De ambiguis quibusdam et obscurioribus SS. Patrum sententiis.*** — Cum adeo splendidus et plenus sit SS. Patrum omni aetate consensus de dogmate realis praesentiae, evidenter consequitur, quaedam eorundem effata ab haereticis collecta et opposita difficultatem nullam dogmaticam, sed ad summum exegeticam facere: atque evidens pariter est, ea quae apud eosdem inveniuntur obscure vel ambigue dicta, rationabiliter interpretanda esse secundam ea, quae clarissima sunt atque omni ambiguitate vacant. Quae cum ita sint, ut eiusmodi obscure vel ambigue dicta facilius intelligantur atque explicentur, aliqua in genere notare iuvat atque uno conspectu exhibere, quibus accurate consideratis nullum fere SS. Patrum testimonium catholico sensu intelligi non queat nec debeat:

1) Triplex exstat ratio, ob quam SS. Patres nonnunquam minus accurate vel clare locuti sunt. — Et *prima* quidem ratio in eo est, quod consuetum et familiare erat Patribus praesertim quibusdam, supposito sensu litterali scripturae, sectari in eadem sensum mysticum et allegoricum. Ad rem *S. Augustinus:* „Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, praeter id, quod mira sunt, aliquid profecto significant; quorum factorum significationem invenire aliquando sit operosius, quam ea legere vel audire" (In Ioan. tract. 49, 2.). Atque *Eusebius:* „Per totam sacram et a Deo inspiratam scripturam praecipuus intelligentiae scopus eo spectat, ut tradat mystica atque divina, servata vicissim obvia quoque intelligentia historiae" (Dem. evang. 9.).

64. *Altera ratio* continetur in disciplina arcani, quam in re tam sancta atque sublimi SS. Patres studiose servabant. De qua re v. g. *Theodoretus:* „Obscure de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos" (In num 15.). Atque *Origenes:* „Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et san-

guinem Verbi Dei: non ergo immoremur in his, quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt" (Hom. 9. in Levit. n. 10.). Ex hac scilicet disciplina factum est, ut SS. Patres in sermonibus et libris, qui etiam non initiatis patebant, mysteria christiana non aperte explicarent, sed iis locutionibus insinuarent, quae nonnisi a fidelibus iam perfecte in fide christiana instructis rite intelligi poterant. De qua disciplina arcani utiliter conferri potest *Hurter*, compendium t. 3. De eucharistia, introductio, nota.

Denique etiam *tertia ratio* in eo invenitur, quod haere- **65.**
ticis nondum hoc dogma impugnantibus non erat, cur SS. Patres tam studiose singula verba ponderarent, atque ideo aliquando minus caute, sed securius locuti sunt atque scripserunt. Apposite *Gulielmus abbas:* „Quia ab initio s. ecclesiae usque ad nostra paene tempora haec ab omnibus quaestio intacta relicta est, ss. Patres quod non impugnabatur non defendebant, nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc inde proferebant, quod res postulabat, quae in manibus habebatur. Quod quia quaestionibus non respondebat, quae nondum erant, parum modo sufficere videtur ad eas cum exsurgunt compescendas. Contra quas, quia tunc non vigilabat intentio eorum, plurima de sacramentis sanctis (corporis et sanguinis Domini) in scriptis suis reliquerunt, quae suo loco, suo sensu bene dicta, ab eis, qui contendere vel errare amant, eruta de locis suis aliud per se videntur sonare, quam ibi sonent, unde sumpta sunt, et quam senserit, qui scripsit. Sed et multa de eadem re ab eis relicta sunt, quae bene dicta, sed obscurius, utpote ab eis, qui ut homines venturas omnes errorum calumnias non poterant praevidere, male intellecta materiam errandi vel contendendi perditis videntur praestare.. Quod b. Augustino in multis accidisse non ignorat, qui librorum eius lectionem familiarem habet" (De corp. et sangu. Domini c. 11.). Atque haec quidem consideratio etiam de aliis fidei quaestionibus valet ad Patres rite intelligendos, utpote qui ante excitatas ab haereticis controversias citra periculum erroris in fidelibus oriundi secure locutionibus us sunt, quae quidem sensu ab ipsis intento verae erant et a

fidelibus rite intelligebantur, sed ab haereticis subsequentis aetatis facile in falsum sensum detorqueri potuerunt et reipsa detorsae sunt. Qua ratione iam S. Augustinus S. Chrysostomum a Iuliani accusatione vindicat. Nimirum Iuliano opponenti Chrysostomi dictum: „Infantes baptizamus quamvis peccata non habentes" *S. Augustinus* reponit: „Non habere peccata, intellige propria, et nulla contentio est. At, inquies, cur ipse non addidit propria? Cur putamus, nisi quia, disputans in ecclesia catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur? Tali quaestione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur" (Cont. Julian. l. 1, 6. n. 22.).

66. 2) *Quibus suppositis multiplex hac in re SS. Patrum modus considerandi atque loquendi sedulo notandus est.* — Et *primo* quidem a) distinguatur oportet duplex loquendi modus, quorum alter phaenomena sequitur vel externam rerum apparentiam, alter autem obiectivam rerum veritatem ex scientia vel fide cognitam attendit atque priorem non raro corrigit. Ita v. g. stellae secundum speciem parvae, secundum rei veritatem magnae dicuntur. Iam vero SS. Patres ut in aliis ita etiam hac in re modo priorem modum secundum apparentiam loquendi sequentes Eucharistiam panem, modo alterum adhibentes atque ex fide loquentes corpus et sanguinem Christi appellant. Atque ille modus loquendi secundum externam apparentiam hac in re eo magis a SS. Patribus adhiberi potuit, quia ex illorum sententia et rei veritati externa illa apparentia in ss. eucharistia non mere subiectiva est, sed obiectiva, quatenus in accidentibus obiective realibus panis et vini post consecrationem remanentibus innititur. Quare aliquando SS. Patres vel dicunt, etiam post consecrationem atque praesente corpore Christi remanere naturam et sensibilem essentiam panis; quod quidem non de substantia panis, sed de sensibilibus proprietatibus obiectivis intelligendum esse tum ex contentu tum ex scopo disputationis instituto satis patet: cf. *Franzelin*, th. X. n. I. 10.

67. b) *Deinde*, cum eucharistia duplici constet elemento; visibili i. e. speciebus, et invisibili i. e. corpore Christi, triplici ratione de ss. eucharistia licet loqui: nam res composita

modo ab uno tantum elemento, modo ab altero, modo ab utroque denominari potest. Quare ab elemento visibili non tantum panis dicitur ut iam modo dictum est, sed etiam sacramentum, signum, figura, typus corporis Christi; a re contenta autem vel ab elemento invisibili vocatur ipsum corpus et ipse sanguis Christi; ab utroque denique elemento panis coelestis, panis angelicus etc. dicitur. Quando igitur SS. Patres eucharistiam dicunt figuram, typum, symbolum corporis Christi, falsissime inde inferatur, eosdem realem praesentiam negare voluisse. Qua ratione catholico omnino sensu *Cyrillus H.* ait: „In figura panis dari corpus Christi" (catech. 4. n. 3.) et ex adverso: „gustare iubemur non panem et vinum, sed antitypum corpus et sanguinem" (catech. 5 n. 19.).

Vel nunc quoque non raro ss. eucharistiam sacramentum **68.** (i. e. signum) corporis et sanguinis Christi dicimus. Atque haec iam a veteribus scriptoribus notata sunt, ut v. g. a *Gerberto Romensi* (postea *Sylvestro II.*): „Nos . . . simpliciter fatemur, quia (eucharistia) figura est, dum panis et vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur" (De corp. et sanguin. Domini n. 4). Similiter *Petrus Vener.*: „Manet tecta veritas et carnis et sanguinis honesta panis et vini specie, ut et usui humano condescendatur et fides exerceatur, et meritum augeatur. Inde est, quod sacramentum mysterium, species et figura vocatur, quia intra hoc, quod exterior forma nuntiat, virtus divina verum corpus et sanguinem Redemptoris occultat." (Adv. Petrobrussianos.). Necnon pariter *Hugo a S. Victore*: „Cum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur: species videlicet visibilis, et veritas corporis et virtus gratiae spiritualis. Aliud est enim visibilis species, quae visibiliter cernitur; aliud est veritas corporis et sanguinis, quae sub visibili specie invisibiliter creditur, atque aliud gratia spiritualis, quae cum corpore et sanguine invisibiliter et spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, species est panis et vini; quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est, et verus sanguis Iesu Christi, quod pependit in cruce et

fluxit de latere. Nec per panem et vinum corpus et sanguinem tantum significari credimus; sed sub specie panis et vini verum corpus et verum sanguinem consecrari, et speciem quidem visibilem sacramentum (i. e. signum) esse veri corporis et veri sanguinis; corpus autem et sanguinem sacramentum esse gratiae spiritualis" etc. (De sacram. l. 2. p. 8. c. 7. et 8.).

69. c) *Praeterea* triplex existendi modus vel status corporis Christi distinguendus est et a Patribus distinguitur: connaturalis. sacramentalis, gloriosus. Quam distinctionem prae oculis habentes alium statum nonnunquam spiritualem et verum, alium typicum et symbolicum appellant. atque pro diverso statu etiam sub aliis respectibus aliter et aliter de corpore Christi loquuntur. Atque quod maxime considerandum est. corpus Christi in statu sacramentali positum quadruplici relatione referunt:

Et *primo* quidem idem referunt ad figuras Veteris Testamenti atque sic relatum antitypum vel figuram vocant i. e. figuram adimpletam. Qua ratione v. g. S. Epiphanius eucharistiam veteris paschatis antitypa mysteria appellat, quatenus veteri paschati tamquam typo respondet tamquam adimpletio vel res significata. In hunc sensum etiam textus quidam difficiliores Tertulliani a multis exponuntur, ut contr. Marcion. (l. 3. c. 19.; l. 4. c. 40.; Adv. Ind. c. 10.). Sed de hac re supra dictum est (Th. 3. n. 23. ss.).

70. *Secundo* corpus Christi in statu sacramentali positum referunt ad idem corpus in statu connaturali eiusque repraesentationem, figuram, typum seu antitypum dicunt. Qua ratione iam *Lanfrancus* plura SS. Patrum testimonia aliquantum obscura declarat: „caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis: carne et sanguine utroque invisibili, intellegibili, spirituali significatur redemptoris corpus visibile, palpabile, manifeste plenum omnium virtutum et divina maiestate" (De corpore et sanguine Domini c. 14.). Et merito quidem; hoc enim sensu *Origenes* eucharistiam vocat „typicum et symbolicum corpus" (In Matth. 1, 11. 14.). Et *S. Gregorius Naz.* de Gorgonia sorore dicit: „Si quid uspiam anti-

typorum pretiosi corporis et sanguinis manus acceperat. id lacrimis admiscuit" (orat. 8. n. 18.). Necnon *Theodoretus:* „Si realiter existentis corporis antitypa sunt divina sacramenta, ergo etiam nunc corpus Domini est (vere) corpus" (Dial. 2. Inconf.). Quare, cum in hac relatione non una res signum sit alterius rei, sed idem secundum unum modum existendi sit repraesentatio sui ipsius secundum alium existendi modum considerati ἀντίτυπον idem est ac ἰσότυπον. quod recte monuit *Andreas Cretensis:* „ἀντίτυπον cogita esse ἰσότυπον, si eo intelligis magna mysteria, sacratissimum corpus et pretiosum sanguinem Christi; ita enim magnus Basilius appellavit. Nam haec praepositio (ἀντί) aliquando idem valet ac ἴσον. Si vero ad futura mysteria relationem habent, sunt enim qui vocabulum etiam ita accipiant, antitypa dicuntur non quasi non vere corpus et sanguis Christi essent. sed quod nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, ut qui nostris corporibus suscipitur, tunc vero intelligibiliter per solam visionem" (Scholia ad orat. 1. Gregor. Naz.). Eadem relatio vel differentia inter corpus Christi in statu sacramentali et idem corpus in statu connaturali spectatum etiam S. Augustino prae oculis versabatur, in sententiis quibusdam, quae illa relatione vel differentia non attenta obscurae atque difficiles videantur, eadem vero attenta facile intelliguntur atque cum dogmate catholico harmonice conspirant. Sic v. g. carnalem manducationis carnis Christi intelligentiam vituperans Iudaeorum putantium. „quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis" Christum ipsum inducit loquentem: „Spirituaiiter intelligite, quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis (i. e. in hoc visibili modo existendi) manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; sacramentum aliquod vobis commendavi" (In. p. 98. n. 9.). Similiter alibi mirans Domini patientiam, qui Iudam traditorem, „adhibuit, inquit, ad convivium. in quo corporis suis et sanguinis figuram discipulis commendavit et tradidit" (In ps. 3. n. 1.). Quo eodem sensu idem *Augustinus* ss. eucharistiam aliquando appellat corpus Christi se-

cundum quendam modum vel quodam modo: sic v. g. ad Bonifacium scribens: „sicut ergo, inquit, secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita sacramentum fidei fides est.“ (Ep. 98. n. 9.). Similiter alibi, postquam aperte dixit: „ferebatur in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum*: ferebat enim illud corpus in manibus suis“ (In ps. 33. enarrat. 1. n. 10.) paulo inferius dicit: „Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, et ipse se portabat quodam modo, cum diceret: *hoc est corpus meum*“ (Ibid. enarrat. 2. n. 2.).

71. *Tertio* corpus Christi in statu sacramentali positum refertur ad Christum gloriosum in coelis, obiectum visionis et fruitionis beatae atque ita consideratum appellatur „typus nostrae salutis“, ut v. g. a Gregorio Naz. (orat. 7. n. 12.), atque antitypa futurorum, ut a *I. Damasceno:* „Ἀντίτυπα porro, hoc est exemplaria futurorum dicuntur, non quod vere Christi corpus et sangus non i sint: sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intelligentia per solum aspectum“ (De fide l. 4. c. 13. n. 48.).

72. *Quarto* denique corpus Christi in statu sacramentali positum refertur ad corpus Christi mysticum, quod est ecclesia: atque illud tamquam huius symbolum significans atque efficiens consideratur, quatenus scilicet ss. eucharistia significat atque efficit unionem fidelium inter se et cum Christo capite secundum illud Apostoli: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (1. Cor. 10. 17.). Quae consideratio eucharistiae occurrit apud Nyssenum, Chrysostomum, Cyrillum utrumque, Marutham aliosque, apud Augustinum vero frequentissima est, utpote qui hoc dogma unionis fidelium in corpore Christi mystico contra Donatistas aliosque haereticos validissime defendit. Verum, quod ad difficultates vel obscuritates dispellendas notandum est, *S. Augustinus* propter disciplinam arcani vel similes rationes de hac ss. eucharistiae relatione ad corpus

Christi mysticum agens fundamentale dogma de reali praesentia, utpote ex prioribus institutionibus fidelibus iam notum subobscure indicat vel breviter refert atque explicatius et fusius in illa relatione explicanda versatur: cuius rei exemplum praebet v. g. sermo 272: „Quod ergo videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. Breviter hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat. Sed fides instructionem desiderat: dicit enim propheta: nisi credideritis, non intelligetis. Potestis enim modo dicere mihi: praecepisti ut credamus, expone ut intelligamus . . . Corpus ergo Christi si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus: *vos autem estis corpus Christi et membra*. Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa positum est, mysterium vestrum accipitis. Ad id quod estis, amen respondetis et respondendo subscribitis. Audis enim: corpus Christi: et respondes: amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit amen.“ Similia habet serm. 227. 229.: de civit. Dei l. 20. c. 25. n. 2. cf. etiam thes. 3. n. 27. ss.

73. d) SS. Patres et maxime quidem Augustinus triplicem vel quadruplicem manducationem corporis Christi distinguere solent. Et *prima* quidem est mere sacramentalis fructu gratiae carens, atque ea ratione etiam mali corpus Christi manducant: „Hoc totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus“ (*S Augustinus* in Ioan. tract. 27. n. 11.).

74. *Altera* est sacramentalis simul et spiritualis i. e. gratiae fructum participans; atque haec sicuti in testimonio *Augustini* modo allato ita etiam in his eiusdem doctoris verbis exhibetur: „Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur“ (Serm. 131. n. 3.). Quae cum ita sint, recte dici potest, non primam

illam sed hanc alteram sui corporis manducationem Christum praecepisse. Apposite iterum *Augustinus:* „Illud, quod ait: *qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo, quomodo intellecturi sumus?* Numquid etiam illos hic poterimus intelligere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducent et bibant, cum ipsam carnem manducent et ipsum sanguinem bibant? Non ergo quocunque modo quisquam manducaverit carnem Christi et biberit sanguinem Christi, manet in Christo et in illo Christus, sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat" (Serm. 71. n. 17.). Atque hac altera manducatione spectata etiam sane dici potest salva fide, peccatores corpus Christi non manducare, etsi sacramentaliter sumant. Ita alibi idem *Augustinus* loquitur: „Qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat carnem eius nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Chrisi, sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat" (In Ioan. tr. 26. n. 18.).

75. *Tertia* deinde manducatio est mere spiritualis; scilicet ipsa unio cum Christo per gratiam a S. Augustino aliisque Patribus aliquando dicitur manducatio corporis Christi et potio sanguinis eiusdem; utpote quae unio est res per ss. eucharistiam significata et effecta. Atque hoc sensu iam baptismo quoque corpus Christi manducari dici potest atque a SS. Patribus reipsa dicitur atque eodem sensu manducatio corporis Christi absolute necessaria ad salutem esse facile intelligitur. Revera hanc necessitatem Augustinum sequens ita explicat *Fulgentius:* „Arbitror non cuiquam esse aliquatenus ambiguum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illam comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat" (Ep. 12. ad Ferrand. diacon.). Denique hoc sensu spectato effectu et fine sacramenti Augustinus dicit, Israelitas in deserto eandem ac nos escam manducasse et

eundem potum bibisse; etenim eadem gratia illis ac nobis necessaria erat et a Deo oblata est: „In signis diversa sunt, in re, quae significatur, paria sunt“ (In Ioan. tract. 26. n. 12.). Etenim: „idem in mysterio cibus et potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus“ (In ps. 77. n. 2; coll. serm. 352. n. 3.).

Denique *quarta* manducatio capharnaitica dicitur atque 76.
intelligitur communis illa, quas cum omnibus functionibus animalibus ut scissionis, in frusta divisionis, gustus sensualis, digestionis coniuncta est: qualem manducationem corporis Christi Iudaei Ioan. 6. intellexerunt: unde theologi eandem praecise nomine capharnaiticae denotarunt. Atque hoc sensu SS. Patres saepe negant carnem Christi manducandam esse vel manducari posse. Hoc sensu v. g. intelligendus est *Tertullianus*, quando dicit, sermonem Christi (Ioan. 6.) durum visum esse Iudaeis „quasi vere carnem suam illis edendam determinasset“ (De resurrect. carnis c. 37.): utpote qui in eodem libro superius clare professus est, carnem Christi sacramentaliter vere manducari: „caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur“ (Ibid. c. 8.). Eodem sensu Cyrillus H., qui non semel realem et sacramentalem corporis Christi manducationem profitetur, aliquando ita loquitur: „Illi, cum quae dicta erant, non spiritualiter acciperent, offensi abierunt retro, putantes, quod eos ad manducandas carnes (ἐπὶ σαρκοφαγίαν) hortaretur“ (Catech. mystag. l. 4. n. 4.). Denique *Augustinus* manducationi capharnaiticae sacramentalem opponit atque hanc in comparatione cum illa figuratam appellat: quare dicit verba Christi manducari suam carnem praecipientia accipienda esse tamquam figuratam locutionem, quia secus Christus „facinus vel flagitium videretur iubere“ scilicet praecise manducationem capharnaiticam (De doctr. christ. l. 3. c. 16. n. 24.): qualis autem sit manducatio capharnaitica accurate describit: „Non crediderunt (Capharnaitae) aliquid magnum dicentem et verbis illis aliquam gratiam cooperientem; sed prout valuerunt, ita intellexerunt, et more hominum, quia poterat Iesus aut hoc disponebat Iesus.

carnem qua indutum erat Verbum, velut concisam distribuere credentibus in se . . . Quid est ergo? *caro non prodest quidquam?* Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur" (In Ioan. tract. 27. n. 2. 5.).

Thesis 4. Etiam ex aliis documentis de universali et perpetua antiquitatis fide in dogma realis praesentiae evidenter constat, nominatim vero ex diversis liturgiis necnon ex sectarum orientalium professione concordi.

Declaratio.

1. ***1. De liturgiarum ratione atque momento dogmatico.*** — Cum vocabulum liturgiae ethymologice spectatum primitiva significatione quodlibet munus publicum (λεῖτον ἔργον) designet, usu loquendi sacro ad munus sacerdotale atque imprimis ad munus sacrificandi significandum iam pridem restrictum est. Qua ratione Apostolus Christum redemptorem λειτουργόν appellat, quoniam εἰς τὸ προσφέρειν δῶρά τε καὶ θυσίας constitutus est. Insuper vero et imprimis regula seu formula in sacrificio offerendo servanda, i. e. ὁ τῆς λειτουργίας κανών (Clemens R. 1 Cor. 41.) liturgia vocatur. Quare *Renaudot* hanc liturgiae definitionem tradit: „Liturgiarum nomine intelligi debent officia seu rituales libri auctoritate publica ecclesiarum scripti earumque usu comprobati, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam eucharistiam continentur" (Liturg. orient. 1, 152).

2. Porro cum liturgiae diversae magno numero exstantes in varias classes dividi possint atque ad unum prototypum reducendae esse videantur, viri docti in historia liturgiarum versati omnium antiquissimam habent eam, quae in constitutionibus Apostolorum l. 8. c. 5. legitur atque eandem radicem esse et fontem ceterarum omnium statuunt: ita v. g. Renaudot, op. cit.; Daniel, codex liturgicus 4. 42; Probst,

Liturgie der drei ersten christl. Jahrh.: idem. die ältesten romischen Sakramentarien: Bickell, Messe und Pascha. Revera librum illum octavum Constitutionum apostolicarum ad saeculum primum aerae christianae omnino referendum esse, ex perfecta harmonia atque consonantia constat liturgiae in illo libro exhibitae. cum omnibus illis, quae a Clemente Romano (ep. ad Cor.) aliisque Patribus de iturgia christianorum referuntur. Quod diligenti comparatione a Probst (l. c.) ostensum est. Imo vero Bickell hanc constitutionum apostolicarum liturgiam ex eis quae acta sunt in ultima coena. originem ducere non inepte asseverat (Zeitschrift für kath. Theologie 1880, S. 90. ss.).

Quae cum ita sint, facile patet. quantum sit liturgiarum 3
in rebus fidei momentum. Etenim fidem exhibent earum ecclesiarum, in quibus celebratae sunt; quare auctoritas earum in quaestionibus fidei mensurari debet ex amplitudine atque dignitate earundem ecclesiarum. non vero solum ex titulo vel nomine. quo inscriptae sunt (v. g. S. Basilii): scilicet non solum auctoris eam componentis, sed totius ecclesiae eam adhibentis fidem exprimit atque testimonium sistit. Si igitur dogma aliquod in omnibus liturgiis expressum inveniatur. in iisdem totius ecclesiae vocem audimus atque certissimum apostolicae traditionis documentum habemus: quare *Innocentius* I. monet: „Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus. quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur. *ut legem credendi lex statuat supplicandi*" Ep. 21. *Apostolici verba praecepti* ad episcopos Galliarum 431.).

2. De concordi sectarum orientalium fide 4
eiusque momento. — Magnum pondus etiam concors sectarum orientalium suffragium habet. ut consideranti facile patet. Etenim consensio illarum sectarum cum ecclesia in aliquod praesertim fundamentale dogma certissimum argumentum est. idem dogma ex apostolica traditione derivari: scilicet coetus illos omnes post suam defectionem cum ecclesia catholica in eandem fidem conspirasse spectato eorun-

dem animo tum contra Latinos semper infensissimo tum suarum opinionum et consuetudinum tenacissimo incredibile imo prorsus impossibile est. Quod genus argumentationis accuratius expositum et vindicatum conferri potest in tractatu: De sacramentis in genere th. 27. n. 14. ss.

Demonstratio.

I. p.: Omnes liturgiae fidem in realem praesentiam clare exprimunt.

5 Haec fides imprimis ex epiclesi apparet i. e. ex illa oratione, qua Spiritus Sanctus rogatur, ut panem et vinum convertere velit in corpus et sanguinem Christi, de qua epiclesi interius sub alio respectu agendum erit: verum etiam ex aliis orationibus et rubricis eadem fides manifesta est.

1. Liturgia Constitutionum apostolicarum verbis consecrationis allatis ita pergit: „Poscimus te, ut super haec dona in conspectu tuo proposita placate respicias . . . atque super hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum . . . ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui et calicem hunc sanguinem Christi tui, quo participes illius ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur . . .“ Postea „episcopus tribuat oblatam dicens: ‚Corpus Christi‘ et qui recipit, respondeat: ‚Amen‘. Diaconus vero teneat calicem ac tradendo dicat: ‚Sanguis Christi, calix vitae‘, et qui bibit ‚Amen‘ respondeat . . . Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, inferant in pastophoria. Et diaconus, quando qui psallit, fecerit finem, pronuntiat: „Percepto pretioso corpore et pretioso sanguine Christi agamus gratias“ (L. 8. c. 5.).

6. ***2. In sacramentario Serapionis*** formula consecrationis sic exhibetur: „Tibi obtulimus hunc panem, similitudinem corporis unigeniti. Hic panis sancti corporis est similitudo, quoniam *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur accepit panem ac fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum* Propterea et nos si-

militudinem mortis celebrantes panem obtulimus et deprecamur: per hoc sacrificium reconciliare nobis omnibus et propitiare. Deus veritatis; et sicut hic panis dispersus erat supra montes et collectus factus est in unum, ita et ecclesiam tuam sanctam collige ex omni gente et omni terra et omni urbe et vico et domo et redde unam vivam catholicam ecclesiam. Obtulimus etiam calicem, similitudinem sanguinis, quoniam *Dominus Iesus Christus accepit calicem, postquam cenavit et dixit discipulis suis: Accipite, bibite, hoc est novum testamentum, quod est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Propterea obtulimus etiam nos calicem similitudinem sanguinis adhibentes. Adveniat, Deus veritatis, sanctum tuum verbum super hunc panem, ut panis fiat corpus verbi et super hunc calicem, ut calix fiat sanguis veritatis" (*Funk*, didascalia 2, 175.). Atque ibidem oratio in fractione ita habet: „Dignare nos et huius communionis, Deus veritatis, et fac, ut corpora nostra capiant castitatem et animae intelligentiam et cognitionem et sapientes nos redde. Deus misericordiarum perceptione corporis et sanguinis, quoniam per unigenitum tibi gloria et imperium in sancto spiritu et nunc et in omnia saecula saeculorum, amen" (Ibid. p. 177.). Denique oratio post communionem populi: „Gratias tibi agimus, quod dedisti nobis communionem corporis et sanguinis. Benedic nos, benedic hunc populum, fac nos partem habere cum corpore et sanguine per unigenitum tuum filium . . ." (Ibid. p. 179.).

3. Liturgia S. Iacobi: „Offerimus tibi hoc sacri- 7
ficium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum Domine Miserere nobis, Deus Pater omnipotens et mitte Spiritum Sanctum tuum . . . ut adveniens efficiat panem istum corpus vivificum, corpus salutare, corpus coeleste, corpus animabus et corporibus salutem praestans, corpus Dei et salvatoris nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam aeternam accipientibus illud . . . Et mistum, quod est in calice, efficiat sanguinem testamenti novi, sanguinem vivificum . . . sanguinem Domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi . . ." (*Renaudot* 2, 32. ss.).

8. ***4. Liturgia S. Basilii:*** „Panem hunc fac pretiosum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Hunc vero calicem sanquinem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui pro mundi vita effusus est . . . immutans Spiritu Sancto tuo . . . Sileat omnis caro humana et nihil terrenum in se cogitet. Rex enim regnantium et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur et detur in cibum fidelibus" (Goar, Euchol. 169. ss.). *In liturgia coptica S. Basilii* sacerdos hostiam consecratam elevans profitetur: „Corpus sanctum et sanguis pretiosus, purus, verus Iesu Christi Filii Dei nostri, amen. Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in rei veritate, amen. Credo, credo, credo et confiteor usque ad extremum vitae spiritum, hoc esse corpus vivificum Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi: accepit illud ex omnium nostrum Domina, Deipara, diva et sancta Maria . . " (Renaudot I. 23. 35.) Quae eadem inveniuntur *in liturgicis copticis S. Cyrilli et S. Gregorii Naz.* (Ibid.).

9. ***5. In liturgia S. Chrysostomi*** ecclesiae constantinopolitanae, qua Graeci utuntur et quam in linguam slavicam versam etiam Russi usurparunt, sacerdos erat: „Emitte Spiritum Sanctum tuum in nos et in haec dona proposita . . . et fac hunc quidem panem corpus pretiosum Christi tui: diaconus: Amen. Sacerdos: et quod est in hoc calice pretiosum sanguinem Christi tui: diaconus: Amen. Sacerdos: transmutans Spiritu Sancto tuo: diaconus: amen, amen, amen. Inferius in fractione hostiae sacerdos dicit: „Frangitur et dividitur agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur et non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur, sed participantes sanctificat" (Goar. euchol. 77. ss.).

10. ***6. Liturgia ecclesiae alexandrinae:*** „Emitte super nos et super panes et calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut ea sanctificet et consecret tamquam Deus omnipotens et faciat panem quidem corpus, calicem autem sanguinem novi testamenti ipsius Domini et Dei et salvatoris et summi regis nostri Iesu Christi, ut fiant omnibus nobis qui ex eis participamus in fidem, in sobrietatem . . . in remissionem peccatorum" (*Assemanni*. Cod. lit. I. 4. p. 4. p. 34.)

7. In liturgia Armenorum eadem invocatio Spiritus Sancti, quae modo ex liturgia Basilii et Chrysostomi notata est, ter repetita occurrit, atque additur: „Consecra hunc panem et vinum in verum corpus et verum sanguinem Domini et redemptoris nostri Iesu Christi permutans Spiritu Sancto tuo" (Daniel, Cod lit. 4. 465.).

8. In liturgia chaldaeorum sacerdos hostiam 11.
frangens dicit: „Frangimus cum confessione et signamus per misericordiam tuam corpus et sanguinem vivificatoris nostri Iesu Christi:" dum autem particula hostiae signat calicem, ait: „Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Iesu Christi;" ac denique particulam in calicem intingens: „Signatur corpus sanctum sanguine propitiatoris Domini nostri Iesu Christi" (Renaudot 2. 588.)

9. In liturgia aethiopica inter alia populus ad verba consecrationis respondet: „Amen, amen, amen. Credimus et certi sumus, laudamus te, Domine Deus noster: hoc est vere et ita credimus, corpus tuum . . . . amen vere est sanguis tuus, et ita credimus" (*Renaudot*, l. c p. 490.)

10. In missali mozarabico sacerdos ante com- 12.
munionem dicit: „Domine Deus meus da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Iesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere . . Ave in aevum sanctissima caro Christi . . . Ave in aevum coelestis potus" (*Migne*, P. L. 85, 116 ss.). In missa vero de nativitate Domini haec oratio exstat: „Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremendae maiestati tuae spirituales victimas immolantes offerrimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, integritas fudit. Hostiaque immolata vivit, et vivens iugiter immolatur: hostia, quae sola Deo placere praevalet, quia Dominus est" (l. c p. 187.)

11. In missali gothico-gallicano haec oratio ex- 13.
stat: „Post communionem: Corpus tuum Domine quod accepimus, et calicem tuum quem potavimus haereat in visceribus nostris . . . (*Migne*, P. L. 72 314 ss.). *In missali*

francorum idem ordo consecrationis exhibetur, qui in missali romano exstat, necnon haec oratio praescribitur: „Remotis obumbrationibus carnalium victimarum spiritualem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quae miro ineffabilique mysterio et immolatur semper et eadem semper offertur pariterque et devotorum munus et remunerantis est praemium“ (L. c. 72, 338.). — Similia in missali gallico exstant (Ibid. 342.). — Tandem *in missis gallicanis a Mone editis* hae orationes exstant: „Deprecamur, Pater omnipotens, ut his creaturis altari tuo superpositis spiritum sanctificationis infundas, ut per transfusionem coelestis atque invisibilis sacramenti panis hic mutetur in carnem, et calix translatus in sanguinem, sit totius gratia sit sumentibus medicina“ (*Mone*, lateinische und griechische Messen aus dem 2—6. Jhrhdt p. 21.). „Descendat, Domine, plenitudo maiestatis . . . super hunc panem et super hunc calicem et fiat nobis legitima eucharistia in transformatione corporis et sanguinis Domini“ (L. c. p. 24.).

14. ***12.*** Denique sicuti gallicani ita etiam ***ceteri libri liturgici occidentales*** cum romanis apertissime de fide ecclesiae in realem praesentiam testantur. Sic v. g. in praefatione *sacramentarii Ambrosiani* haec leguntur: „Quae (hostia) offertur a plurimis et unum corpus Christi Sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis. Propterea ipsi, qui sumimus communionem huius sancti panis et calicis, unum corpus Christi efficimur “ — Secundum *Sacramentarium Gelasianum* in ordinatione presbyterorum Deus rogatur: „ut corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformet.“ — In *missa Ambrosiana* sacerdos orat: „ut sicut veritatem coelestis sacrificii exsequimur, sic veritatem dominici corporis et sanguinis hauriamus.“ — In *sacramentario gothico* Deus suppliciter rogatur: „ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat“, „ut translata fruge in corpore, calice in cruore proficiat meritis, quod obtulimus pro de-

lictis", „ut operante virtute panem mutatum in carne, poculum versum in sanguine, illum sumamus in calice, qui de te fluxit in cruce ex latere . . " (*Muratori*, Liturgia rom. vetus 1. 123. 126. 134. 141. 142.).

Atque haec ex diversis liturgiis deprompsisse abunde satis est. De *liturgiis aegyptiacis* conferri potest: *Th. Schermann*, Ägyptische Abendmahlsliturgie des 1. Jahrtausends.

2. p.: Etiam sectae orientales concordi professione de reali praesentia testantur.

15. ***1. Xenajas Mabugensis monophysita*** saeculi 6. haeresi Nestoriana duplicem Christi personam asserente reiecta ita pergit: „Propterea etiam corpus vivum Dei vivi nos accipere profitemur et non merum modo corpus hominis mortalis; similiter vivum vivi sanguinem in omnibus sacris haustibus accipimus, et non est nudus sanguis hominis corruptibilis, nostri similis, ut haeretici opinantur. Nam non panem sanctificatum (solum) appellavit corpus suum, et non tantummodo vinum benedictionibus cumulatum appellavit suum sanguinem sed dixit super unumquodque eorum esse in veritate corpus et sanguinem suum" (Assemanni, Bibl. orient. 2. 39.).

16. ***2. Ioannes Darensis*** pariter monophysita (saec. 8.) verba consecrationis declarans scribit: „Incipit, qui sacerdotio fungitur, et repetit preces deificas, nempe efficientes corpus et sanguinem Dei. Sunt autem preces deificae illae ab hierarchis laudatae et in mysticis ministeriis positae iuxta evangelium et Apostolum; illud enim dicit: ‚accepit Iesus panem et benedixit', cum iis quae sequuntur; hic autem: Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et dixit: *Hoc est corpus meum*" (Ap. Franzelin p. 119.). Eandem fidem aeque clare proponit Barsalibi pariter monophysita (Assemanni l. c. 2. 178.),

17. ***3.*** Pariter ***Nestoriani***, quamvis carnem Christi carnem Dei Verbi esse inficerentur, dogma tamen realis praesentiae apertis verbis professi sunt. Ita v. g. *Ebed-Iesu* Nestorianus, postquam ss. eucharistiae institutionem retulit, ita pergit: „Hoc praecepto Dominico mutatur panis in sanctum eius

corpus et vinum in pretiosum eius sanguinem . . .: quotiescunque enim ad haec mysteria accedimus, in ipsum Christum incurrimus ipsumque in manibus nostris gestamus et osculamur et eorundem perceptione cum ipso nuimur. Miscetur enim sanctum eius corpus cum nostris corporibus eiusque pretiosus sanguis nostro cum sanguine contemperatur. Unum namque corpus atque idem per fidem novimus illud, quod in coelo, et hoc, quod est in ecclesia" Imo vero Elias Damascenus, alius monophysita, declarat, omnes Christianos orientales secum convenire „in oblatione eucharistiae, quam Christi corpus et sanguinem esse profitentur" (*Assemani* l. c. t. 3. p. 2. p. 209. 290. ss.).

18. ***4. Graecos schismaticos*** inde a digressu suo ex ecclesia catholica toto tempore sine intermissione fidem in realem praesentiam retinuisse, nemo ignorat. Verum splendide praesertim manifestatum est, quando Protestantes ad suam haeresin eos allicere conati sunt (cf. hac de re tract. de sacram. in gen. th. 27. n. 10. ss.) Qua occasione *Ieremias patriarcha* v. g. haec scripsit: „Panis et vinum atque aqua invocato atque superveniente Sancto Spiritu super omnem naturae rationem transmutantur in corpus et sanguinem Christi, nec duo iam sunt, sed unum idemque. Non est porro panis et vinum typus corporis et sanguinis Christi (absit) sed ipsum corpus Domim deificatum, cum ipse Dominus dicat: Hoc est meum — quid? — non typus corporis sed corpus, non typus sanguinis sed sanguis" (*Schelstrate*, acta eccl. orient. I 200.) Similia enuntiarunt *Gabriel Philadelphensis* (ibid. p. 300.) et *Gregorius Hieromonuchus*, cuius opusculum a Synodo Hierosolym 1672. approbatum est (Ibid. p. 379.). Aliae orientalium professiones collectae sunt in opere *Perpétuité de la foi*, in quo v. g. haec protestatio alicuius patriarchae armeni refertur: „Audivimus aliquos dixisse, quod orientales omnes exceptis Romanis non credant, ss sacramentum euchristiae esse verum corpus Christi, et miramur multum stultitiam eorum et audaciam, qui ea, quae ignorant, proferunt. Nam orientales omnes istius temporis in sacrificio missae credunt fide indubitabili et inhaesi-

tabili panem vere transmutari in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi, imo nunquam de hac re dubitarunt nec unquam habuerunt infidelitatem hanc, quam audivimus nunc a quibusdam nomine tantum christianis" (Tom. 1². l. 12. p. 78.).

De praesente Russorum hac in re fide etiam testantur opera a Maltzew Russo de re sacramentaria et liturgica Russorum edita.

Scholion.

1. Summa traditionis de reali praesentia. — 19. Testimonia traditionis iam ordine quodam atque uno conspectu exhibere praestat. Itaque constans fuit et universalis usque ad saeculum 16 christianorum fides:

„*1)* Aliud apparere sensibus nostris, credere tamen oportere verbis Christi firmissime et simpliciter, quamvis modum non comprehendamus, *esse in eucharistia vere, proprie, ipsum corpus et sanguinem, proprium corpus et sanguinem, pretiosum corpus et sanguinem Iesu Christi*, corpus illud, quod natum ex Maria Virgine, quod cruci affixum fuit, sanguinem illum, qui venditus erat a Iuda, qui e latere Christi manavit, quia ipse dixit: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.* Hilarius Ambrosius, Gaudentius Cyrillus H., Caesarius, Epiphanius Chrysostomus Cyrillus A., Isaac Magnus, Iacobus Sarugensis, Isidorus Damascenus. Huc pertinent etiam liturgiae omnes in quibus fidei professiones ab universo populo christiano verbis efficacissimis exprimi solent.

2) Esse in eucharistia corpus Christi vivum, corpus cum 20. *sanguine sub utravis specie, corpus unitum divinitati, totum Christum.* Presbyteri Achajae de mart S. Andreae, Macarius Magnes, Ephrem Syrus, Hilarius Nyssenus, Ambrosius, Cyrillus A., Isaac Magnus, Concilium 7., Damascenus. In liturgiis passim dicitur agnus vivus immolari, ut in praefatione Missae Gothicae: „qui nunquam moritur immolatus, semper vivit occisus." Quamvis alibi (ut apud Chrysostomum et alios) dicatur in altari iacere agnus occisus ad rationem sacrificii et mortem mysticam exprimendam ..

21. *3) Esse corpus idem, quod sedet ad dextram Dei Patris, non esse cum illo duo sed unum corpus.* corpus quod manducatur et non consumitur, quod in toto orbe distributum multis manet in se integrum. Presbyteri Achaie, Ephrem, Nyssenus, Caesarius, Chrysostomus, Cyrillus A., Iacobus Sarugensis, Isidorus, Damascenus. Eutychius (apud Nicetam Choniatem l. c.), liturgiae tum orientales tum occidentales.

22. *4)* Uniri proinde corpus Christi fidelibus non sola fide, nec sola caritate et relatione affectuali, spiritualiter: sed *uniri, immisceri corporibus, visceribus fidelium vere, reipso, physice, corporaliter.* Macarius Magnes, Nyssenus, Hilarius, Cyrillus H. et A., Ephrem, Maruthas, Chrysostomus, Isidorus. Summo studio scilicet Patres exhibent physicum Christi corpus in eucharistia unum in omnibus percipientibus tamquam principium unitatis corporis Christi mystici. Hunc effectum in corpore Christi mystico praesertim Augustinus commendare solet, supponit autem effectus ipsam causam corpus scilicet Christi physicum, quod in eucharistia suscipitur a singulis. Ne igitur testimonia Augustini, ubi vel solum vel maxime spectat effectum, in alienum sensum detorqueantur, conferri debent cum testimoniis, in quibus Patres modo citati causam prae oculis habent et ex ea effectum declarant.

23 *5) Eucharistiam non esse realis corporis et sanguinis Christi figuram ac typum, sed esse ipsum corpus ac sanguinem, secundum veritatem corpus et sanguinem Christi,* quia verba Christi hoc enuntiant. Macarius Magnes, Chrysostomus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuestenus, Maruthas, Patres anachoretae (in monum. gr. Cotelerii), Anastasius Sinaita, Theodorus Studita, Nicephorus patriarcha, Concilium VII., Damascenus, Theophylactus.

24. *6) Eucharistiam non esse panem communem, non esse panem, licet sensibus ita videatur,* non esse id, quod natura formavit, non esse substantiam panis, non panem et vinum consecratum et benedictionibus cumulatum solummodo dici corpus et sanguinem Christi, *sed eucharistiam esse veraciter*

ipsum corpus et sanguinem Christi. Iustinus, Cyrillus H., Ambrosius, vulgatus Ambrosius, Isaac Magnus, Iacobus Sarugensis, Xenajas, Isidorus, alii plerique.

7) *Panem fieri corpus Christi, de pane fieri corpus* 25.
Christi. Ephrem, Gaudentius, vulgatus Ambrosius, Cyrillus H. et A., Damascenus, Liturgiae omnes.

8) *Panem transire, transferri, transformari, converti, everti, transmutari, transelementari* (μεταποιεῖσθαί, μεταβάλλεσθαί, μεταῤῥυθμίζεσθαί, μεταστοιχειοῦσθαι) in corpus Christi, idque fieri uno momento virtute omnipotenti Spiritus Sancti, vi verborum Christi: *hoc est corpus meum;* unde haec dicuntur verba efficientia corpus et sanguinem Dei. Porro intelligentiam huius mysterii aliquatenus invari posse consideratione mutationis naturalis panis et vini in carnem et sanguinem hominis per alimoniam; consideratione omnipotentiae in verbo creante: *fiat et factum est, crescite et multiplicamini;* consideratione mysterii incarnationis et formationis corporis Iesu Christi per virtutem Spiritus Sancti ex sancta Virgine; consideratione mutationum in legibus naturae per miracula, nominatim conversionis aquae in vinum, aquae in sanguinem, virgae in serpentem. Iustinus, Macarius Magnes, Nyssenus, Cyrillus H., Ambrosius, vulgatus Ambrosius, Gaudentius, Chrysostomus, Isidorus (l. c. et de offic. l. 1. c. 18.), Ioannes Darensis, Damascenus, Liturgiae omnes orientales, et occidentales mozarabica, gothica" (Franzelin, thesis 8, in fine).

9) Addi potest, SS. Patrum omniumque christianorum 26.
tam firmam fuisse atque universalem fidem in realem praesentiam, ut iidem SS. Patres *eandem veritatem tamquam principium certissimum atque omnibus compertum adhiberent, quo alia dogmata vel declararent vel contra haereticos vindicarent et quodammodo demonstrarent.* Qua ratione v. g. S. Ignatius M. et S. Irenaeus argumentati sunt contra Docetas et sectas gnosticas, S. Hilarius contra Arianos, S. Cyrillus et Xenajas Monophysita contra Nestorianos, Anastasius Sinaita, Theodoretus (dial. 1. Incommutabilis) contra Monophysitas, Isidorus Pelusiota contra Pneumatomachos, cf. *Franzelin*, thes. 9.

27. ***2. Conclusio totius argumentationis.*** — Merito igitur concludere possumus verbis *Lanfranci* saeculo 11. contra Berengarum scribentis: „Si verum est, quod de corpore et sanguine Christi tu credis et adstruis, falsum est, quod ab ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur. Omnes enim, qui christianos se esse et dici laetantur, veram Christi carnem verumque eius sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui latinae linguae nostrarumque litterarum notitiam perceperunt, interroga Graecos, Armenos seu cuiuslibet nationis christianos quoscunque homines: uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro, si universalis ecclesiae fides falsa exstitit, aut nunquam fuit catholica ecclesia aut periit. Nihil enim efficacius ad interitum animarum, quam perniciosus error. Sed non fuisse aut periisse ecclesiam catholicus nemo consenserit" (De corpore et sanguine Domini c. 22.).

28. ***3. De controversia quadam eucharistica saeculo 9. agitata.*** — Ex controversia aliqua saeculo 9. inter Paschasium Radbertum praesertim ex una parte et Rhabanum Maurum, Ratramnum aliosque ex altera agitatam Calviniani demonstrare conati sunt, fidem in realem praesentiam saeculo 9. demum invaluisse per innovationem a Paschasio inductam; atvero quam falso et absone Calviniani ita argumententur, tum ex doctrina traditionis supra proposita tum ex ipsa illa controversia paulo penitius inspecta manifesto elucet: quod alterum paucis ostendere reliquum est atque expedit. Itaque *S. Paschasius Radbertus* monachus Corbejensis anno 831. librum edidit *De corpore et sanguine Domini* atque in eodem expressis verbis declaravit, ss. eucharistiam esse vere et realiter corpus et sanguinem Domini atque idem quidem realiter corpus, quod ex B. Virgine natum est. Quae altera assertio identitatis scilicet inter corpus eucharisticum atque corpus ex B. Virgine natum, quamvis testimonio Ambrosii a Paschasio confirmaretur nihilominus nonnullis doctoribus nominatim Rhabano Mauro, Ratranmo, duobus anonymis gemblacensibus et postea etiam *Herigero* (anonymo Cellotiano) valde displicuit. Sic v. g alter ex his *anonymis*, quem Mabillonius

censet esse ipsum Rhabanum (*Migne*, P. L. 112. 1509 nota). eam doctrinam notat: „Illud in hoc libro (Paschasii) mihi prius penitus fateor inauditum reperiri sub nomine S. Ambrosii. quod non sit haec alia caro Christi, quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit de sepulcro . . . Istud plane fateor nunquam me prius audisse. vidisse. legisse" (Ep. ad Egilem n. 2.). — Verumtamen dissidium magis apparens vel verbale, quam reale est: certum enim est. adversarius Paschasii nequaquam mentem fuisse negandi vel in dubium vocandi realem corporis Christi in eucharistia praesentiam. *Rhabanus* v. g. ita scribit: „Quod corpus et sanguis Domini vera sit caro verusque sit sanguis, unusquisque debet credere. nosse, tenere, confiteri pariter et incunctanter asserere fidelis. Prorsus quisquis hoc negat, esse cognoscitur et convincitur infidelis. quippe quod non credit ipsi Domino dicenti: nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. . . . Hoc ergo profecto fidelissime confirmo et addo: quod sicut veritas est Christus et verus agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi mystice immolatur, ita procul dubio ex pane vera caro et ex vino verus sanguis eius consecratione Spiritus Sancti potentialiter (i. e. potentia divina) creatur" (Ep. ad Egilem n. 1.). Similiter *Ratramnus*, quamvis obscurius et ambigue aliquando loquatur. alibi tamen realem praesentiam aperte profitetur: „Ille panis. qui per sacerdotis ministerium Christi corpus conficitur. aliud exterius humanis sensibus ostendit et aliud interius fidelium mentipus clamat. Exterius quidem panis. quod ante fuerat. forma praetenditur. color ostenditur. sapor accipitur: ast interius longe aliud multo pretiosius multoque excellentius intimatur. quia coeleste. quia divinum. i. e. Christi corpus. ostenditur. quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur vel accipitur vel comeditur. Vinum quoque. quod sacerdotali consecratione Christi sanguis efficitur sacramentum, aliud superficie tenus ostendit. aliud interius continet . . . interius si consideres. iam non liquor vini. sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus sapit" (De corpore et sanguine Domini n. 9.). Et paulo inferius iterum: „Corpus etenim sanguinemque Christi fideliter con-

fitentur". et „negare (eucharistiam) corpus esse sanguinemque Christi, nefas est non solum dicere verum etiam cogitare" (Ibid. n. 15.). Similiter Herigerus cum ceteris consentit, quod dogma realis praesentiae attinet (cf. *Zaccariae*, thesaurus t. 10. p. 882. 926. v. opuscul. 13. et 14.). Itaque de reali praesentia ipsa in illa controversia nec quaestio fuit nec esse potuit.

29. *De qua igitur quaestione inter illos auctores controversum est? Ratramnus* declarat, primam quaestionem discutiendam esse hanc: „Utrum eucharistia aliquid secretum contineat, quod oculis solummodo fidei pateat, an sine cuiuscunque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus aspiciat interius, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat" (De corpore et sanguine Domini n. 5.). Nimirum cum adversariis sibi rem esse opinatur vel fingit, qui in ss. eucharistia corpus Christi sine ullo mysterio, sine ulla figura et obvelatione contineri autument. Qua opinatione ipsum Ratramnum erasse dubitari vix potest. Verum simul hinc iam satis patet, hos theologos a Paschasio non dogmate, imo non re ipsa, sed modo loquendi potius dissensisse. Scilicet prae oculis habentes doctrinam S. Hieronymi, secundum quem corpus Christi dupliciter et S. Augustini, secundum quem idem corpus tripliciter dicatur (corpus in statu connaturali, corpus in statu sacramentali, corpus Christi mysticum), corpus Christi eucharisticum simpliciter idem esse ac corpus Christi ex B. Virgine natum dici non posse vehementer contenderunt; verumtamen non re sed statu tantum diversum esse intellexerunt. Quare Paschasium impugnantes corpus Christi eucharisticum naturaliter quidem, sed non specialiter idem esse ac corpus Christi ex Virgine natum constanter inculcarunt; quod nihil aliud est, nisi differentiam non esse ex parte substantiae vel realiter, sed tantum quantum ad modum existendi vel externam apparentiam. Quo sensu ipse *Rhabanus*, postquam S. Augustini tripartitam appellationem corporis Christi adtulit, suam mentem declarat: „Haec post apostolos omnium ecclesiarum magistri (Augustini) dicta, si fideliter legeritis . . .. manifestisime

cognoscetis, non quidem, quod absit, naturaliter, sed specialiter aliud esse corpus Domini quod ex substantia panis et vini pro mundi vita quotidie pro Spiritum Sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur, et aliud specialiter corpus Christi, quod natum est de Maria Virgine, in quod illud transfertur" (Epist. ad Egilem n. 3). Quare non sunt duo corpora, sed unum idemque in alio et alio statu: Licet aliud specialiter corpus Christi, quod sedet ad dextram Dei, et aliud specialiter istud, quod divinitus creatur et consecratur quotidie novum, simul tamen non duo sunt (quod absit) corpora, sed unum" (Ibid. n. 7.). Neque aliter alter *anonymus gemblacensis:* „Aliud specialiter corpus Domini, quod glorificatum sedet ad dextram Dei, et tamen naturaliter unum est, ipso Domino dicente: *hoc est corpus meum*" (*Thesaurus Zachariae* l. c. p. 882.). De qua distinctione *Lanfrancus* clarius loquens animadvertit: „vere dici posse, et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, et tamen non ipsum; ipsum quidem quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem" (De corpore et sanguine Domini c. 18.). Quae cum ita sint, controversiam illam non dogma, imo non rem, sed modum loquendi potius spectare satis evidens est; quare ex eadem non difficultas contra dogma catholicum, sed eiusdem potius confirmatio exstat.

Articulus secundus.

De modo praesentiae sacramentalis.

Thesis 5. **Ea in ss. eucharistiae sacramente Christi praesentia profitenda est, qua totus sub utravis specie et totus sub singulis utriusque speciei partibus praesens sit.**

Declaratio.

1. Quaestio tractanda in praesenti articulo. 1. — Postquam in 1. articulo demonstrata est ipsa veritas realis

praesentiae, in praesenti articulo explicetur iam oportet. quantum fieri potest. modus huius praesentiae vel interna eiusdem ratio. Ad quinque vero capita tota doctrina ad hunc scopum conducens revocari potest: *Primo* totus Christus sub utravis specie praesens est; *secundo* totus Christus praesens est sub singulis partibus singularum specierum; quare *tertio* modus existendi Christi in eucharistia est modus existendi supra leges corporum et modo existendi spirituum assimilatur: *quarto* unus idemque Christus secundum humanitatem quoque eandem sacramentaliter praesens est in multis locis inter se dissitis: *quinto* species panis et vini tamquam realia accidentia vel obiectivae qualitates considerandae sunt. Iam in praesenti thesi duo priora capita explanantur et ita quidem, ut in 1. p. ostendatur, Christum totum esse sub utravis specie. in altera Christum totum esse sub qualibet utriusque speciei parte separatione facta, in tertia item Christum totum esse sub qualibet utriusque speciei parte separatione nondum facta.

2. **2. *Doctrina catholica.*** — *Prima thesis pars* de fide est. *Concilium enim Constantiense* in decreto de communione sub utraque specie declaravit: „Firmisse credendum est et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri“: et *Concilium Florentinum* in decreto pro Armenis: „Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini“; necnon *Concilium Tridentinum* sess. 13. c. 3: „Semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere“ etc. (cf. can. 1. 3.; sess. 21. cap. 1. 3. can. 3.).

Etiam *altera pars* de fide est, ut patet ex *Concilio Tridentino* sess. 13. can. 3.: „Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri anathema sit.“ Cf. *Concilium Florent.*, decret. pro Armenis.

Denique *tertia pars* a quibusdam theologis, ut Dominico Soto, pariter de fide esse statuitur; alii autem verius dicunt, eandem esse fidei proximam (cf. *Suarez*, disp. 52. s. 2 n. 9.) et *Cardin. de Lugo* (disp. 8. s. 3 n. 41.)

Demonstratio.

I. p.: Christus totus et integer praesens est sub utravis specie sacramentali.

1. Probatur ex s. scriptura. — Triplex ex scrip- 3.
tura argumentum facile derivatur:

1) Ex verbis promissionis. — Nimirum ex ipsius Christi verbis ad idem redit manducare carnem et bibere sanguinem eius ex una parte atque manducare ipsum Christum ex altera parte: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (Ioan. 6. 57.) . . . *Et qui manducat me et ipse vivet propter me* (Ibid. 58.). Atqui eatenus tantum haec ad idem redeunt et eatenus solum de manducatione ipsius Christi sermo esse potest, quatenus sub utravis specie Christus totus et integer praesens est. Ergo.

2) Ex verbis institutionis. — Per verba: *hoc est corpus* 4
meum sub specie panis praesens sistitur illud ipsum corpus, quod iam inseparabiliter unitum est cum sanguine, anima, divinitate Christi; atqui eorum, quae inseparabiliter coniuncta sunt unum sine ceteris praesens fieri nequit; ergo praesente corpore Christi in ss eucharistia, Christus totus atque integer praesens esse credendus est. Idem sane de sanguine quoque Christi valet.

3) Ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. 27. — Ex declara- 5.
tione scilicet Apostoli quicunque sub alterutra specie ss. eucharistiam indigne sumit, tum corporis tum sanguinis Christi reus est; dicit enim: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Iamvero id eatenus tantum esse potest, quatenus sub utravis specie tum corpus tum sanguis Christi continentur.

2. Ex SS. Patrum doctrina. — Valde manifestum 6.
est SS. Patrum hac in re suffragium et facile ex testimoniis

supra iam allatis colligitur. Videlicet ex eorum sententia s. communione christiferi evadimus (*Cyrillus H.* cat. 4.); participatione sanctae carnis Christi ipse Christus corporaliter habitat in nobis (comment. in l. c. ex Joan. 5.); in eucharistia Filium Dei unigenitum recipimus, eum manducamus, qui in supernis sedet cum incorrupta virtute et ab angelis adoratur. Christus semetipsum nobis dat non modo videndum verum etiam tangendum et comedendum et intus sumendum (*Chrysostomus* in 1. Cor. hom. 24. n. Eph. hom. 3., in Matth. hom. 82.): carne atque sanguine Christi sumptis ipse Christus in nobis est et nos in Christo sumus (*Hilarius*, de trinit. l. 8.): in ss. eucharistia, cum sit Christi corpus, etiam ipse Christus est (*Ambrosius*, de myst. c. 9.); si Seraphim cum tremore ei assistant, nemo audere potest in sella sedens eum manducare vivumque corpus accipere; Dominus panis vitae factus est ecclesiae, ut eadem ipsum comederet: „comedimus te Domine, et bibimus te, non ut te consumamus, sed ut per te vivamus.“ (*Ephraem* in biblioth. orient. Assemanni t. 1. p. 67. 97. 101.): Christus semetipsum in manibus gestavit, quando dicebat: *Hoc est corpus meum* (*Augustinus* enarr. 1. in ps. 83.); in eodem sacramento Dominus Iesus ipse convivium est et conviva, ipse comedens et qui comeditur (*Hieronymus* ep. ad Hedibiam q. 2.); cibus est ipse panis vitae. Dominus noster Iesus Christus, qui de coelo descendit necnon est corpus divinitate donatum (*Damascenus*, de fide l. 4. c. 13.). Atque haec ex multis, quae afferri possunt, hoc loco adnotasse satis est.

7. *3. Ex Liturgiis.* — Ex hoc quoque fonte manifestum exstat argumentum: etenim in *Liturgiis S. Basilii, S. Chrysostomi* aliisque haec et similia leguntur: „Rex regnantium et dominus dominantium progreditur, ut mactetur“; „frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui semper comeditur et non consumitur.“ In *liturgia Romana* canitur: „Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie.“ In *omnibus autem liturgiis* ss. eucharistiae cultus latriae exhibetur; iamvero eiusmodi cultus corpori et sanguini a divinitate separatis deferri nequit; ergo.

4. Ex consensu unanimi theologorum. — 8. Unanimiter in hanc veritatem consenserunt theologi; porro eiusdem veritatis etiam rationem internam assignarunt ex concomitantiae quam dicunt lege, quae supra (n. 4.) iam indigitata est. De qua re pro omnibus audiatur *S. Thomas*: „Omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus est in hoc sacramento. Sciendum tamen, quod aliquid Christi in hoc sacramento est dupliciter: uno modo quasi ex vi sacramenti; alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus huius sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis et vini praeexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in ceteris mutationibus, puta, cum dicitur: *hoc est corpus meum*, vel: *hic est sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est coniunctum ei, in quod praedicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo realiter sunt coniuncta, ubicunque est unum realiter, oportet et aliud esse. Sola enim operatione animae discernuntur, quae realiter sunt coniuncta" (S. th. 3 p. q. 76. a. 1.). — *Hinc autem quaedam consequuntur et intelliguntur:* „Quia conversio panis et vini non terminatur ad divinitatem vel animam Christi, consequens est, quod divinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim divinitas corpus assumptum nunquam deposuit, ubicunque est corpus Christi, necesse est et eius divinitatem esse; et ideo in hoc sacramento necesse est esse divinitatem Christi concomitantem eius corpus. Unde in symbolo Ephesino (?) . . . legitur: „Participes efficimur corporis et sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec ut viri sanctificati, et Verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam!" Anima vero realiter separata fuit a corpore . . . Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi nec ex vi sacramenti nec ex reali concomitantia. Sed quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, ut dicitur Rom. 6. 9., anima eius

semper est realiter corpori eius unita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti; anima autem Christi ex reali concomitantia" (Ibid. ad 1).

9 *Animadvertendum autem est,* „quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur, quantum ad species panis, non solum caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa, nervi, et alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua non dicitur: Haec est caro mea, sed: *Hoc est corpus meum.* Et ideo cum Dominus dixit Ioan. 6. 56.: *Caro mea vere est cibus,* caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata, prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus vel aliis huiusmodi." (Ibid. ad 2.)

10. Quae cum ita sint, *iam intelligitur, qua ratione Christus totus et integer praesens sit sub utravis specie huius sacramenti:* „Respondeo dicendum certissime tenendum esse, quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus; aliter tamen et aliter. Nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, sicut supra dictum est (art. praec. ad 1.) de anima et divinitate Christi; sub speciebus vero vini est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima et divinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis et mortis: unde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, et sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate" (art. 2. ibid.).

11. *Denique hanc communem theologorum explicationem Concilium Tridentinum sua auctoritate sancivit:* „Semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi

naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam *ex mortuis resurrexit non amplius moriturus* (Rom. 6, 9.) inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem (can. 1. et 3.). Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit" (Sess. 13. c. 3.).

2. p.: Christus etiam sub qualibet specierum parte separatione facta praesens est.

12. ***1. Probatur ex s. scriptura.*** — Ex ipsa historia evangelica de hac veritate certo constat. Ea enim referente Christus Dominus, eucharistiae sacramentum instituens, panem et calicem consecratum inter Apostolos divisit ita ut, quod de calice consecrato saltem ambigi nequit, omnes partem solum acciperent. Atqui singulos Apostolos sub utravis specie totum Christum suscepisse, certum sane est. Ergo certum pariter est, sub singulis utriusque speciei partibus totum atque integrum Christum esse praesentem.

13. ***2. Ex Liturgiis.*** — In omnibus liturgiis huius fidei clarissima testimonia exstant. Exemplo sit *liturgia S. Chrysostomi* verbis supra iam relatis: „Frangitur agnus Dei, qui frangitur, at non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur." Et *Sacramentarium S. Ambrosii* in praefatione Dominicae quintae post epiphaniam: „Singuli accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis." Cum quibus consonat praxis longiore tempore servata: secundum quam tum hostia consecrata frangi solebat in partes fidelibus distribuendas tum calix consecratus consuetudine communionis sub utraque specie recipiendae vigente omnibus fidelibus ad bibendum porrigebatur (cf. *Denzinger*, ritus orientales 1, 71.).

14. ***3. Ex SS. Patrum doctrina.*** — Huc spectant plura testimonia iam superius allata: pauca igitur addere satis erit: *Caesarius Arelatensis:* „Tantum est in exiguo,

quantum in toto: nihil minus habent singuli, quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi" (Hom. 5.). Similiter atque iisdem fere verbis loquitur *Isidorus hisp.* in hom. de corpore et sanguine Domini n. 5. Necnon *Haymo Halberstad.*: „Hoc quoque fides sumentium hoc sacramentum firmiter tenere debet, quantulumcunque sumere videatur de hoc sacramento, corpus Christi non per partes divisum et separatum, sed omnino integrum accipere" (De corpore et sanguine Domini). Denique huc spectant etiam pleraque *illa SS. Patrum testimonia*, quibus saeculo 12. in controversia Constantinopoli excitata dogma de corporis Christi in eucharistia incorruptibilitate confirmatum est, utpote quae etiam ad doctrinam praesentem demonstrandam valent. Exemplo sit sequens relatio: „Aiebant (defensores dogmatis) incorruptibile esse (corpus Christi in eucharistia) iuxta magnum in theologia Cyrillum, quod quamcunque partem quis accipiat, suscipit illum totum, quem Thomas palpavit; et vero manducari Christum iam resurrectione glorificatum, ut aureus lingua Ioannes testatur sequentibus: o rem miram, qui ad dextram Patris sedet, in nostrum peccatorum manibus inventur. Rursum: floruit in lege, crevit in prophetis, maturuit in cruce, comeditur post resurrectionem. Ad haec . . . immortale Dei corpus nostris corporibus susceptum, totum in se transmutat et transfert. Item alii proferebant luminaris ecclesiae Eutychis verba: integrum igitur ac totum corpus et pretiosum sanguinem Domini accipit homo, etiamsi horum partem quis acceperit; distribuitur enim impartibiliter per immixtionem (i. e. intimam unionem) in omnibus, sicut et sigillum unum omnes suas expressiones et formationes communicat rebus recipientibus eas, et unum manet etiam post communicationem, neque minutum neque mutatum in iis, in quibus expressum est, etiamsi plura sint. Vel etiam sicut vox una a quopiam emissa atque in aërem fusa, tota manet et in eo, qui illam profert, et tota per aërem auribus omnium incidit, nemine audientium plus vel minus altero percipiente; sed tota est indivisa et integra in

omnibus, etiamsi decem millia vel plures sint audientium. Nemo igitur dubitationem admittat, ne forte post mysticam sacrificationem et sanctam resurrectionem incorruptibilis et immortalis et sacer et vivificus sanguis Domini, per consecrationes antitypis impositus, minus quam praedicta exempla suas exserat virtutes; sed totus in omnibus et singulis (antitypis) reperitur" (Ap. *Nicetam Choniat.* in Alexio Comn. l. 3. p. 333.). Simili comparatione utitur *Guitmundus*, de corpore et sanguine Domini l. 1.

Quibus omnibus accedit unanimis theologorum consensus.

3. p.: Christus totus et integer praesens est sub qualibet specierum parte etiam separatione non facta.

1. Probatur ex documentis quibusdam magisterii ecclesiastici. — In *decreto Gratiani:* dist. 2. c. 78. statuitur regula generalis: *Ubi pars est corporis ibi est et totum.* Iamvero sub partibus specierum etiam ante separationem saltem pars corporis Christi est; ergo etiam totum corpus sub unaquaque parte latet. — *Concilium vero Tridentinum*, cum sess. 13. can. 3. decernat: „Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, a. s.": in ipso tamen capite tertio, ubi haec doctrina explicatur, particulam „separatione facta" omittens simpliciter et sine restrictione ulla declarat: „totus et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus sub vini specie et sub eius partibus existit." 15.

2. Ex SS. Patrum doctrina. — Etenim hanc veritatem prae oculis habent SS. Patres, quando asseverant, modum essendi corporis et sanguinis Christi in ss. eucharistia esse invisibilem, intelligibilem, spiritualem; ita vero saepe loquuntur, ut v. g. *Ambrosius*, de myst. c. 9.; *Hieronymus* in Ephes. 1. 7.; *Hesychius* in Levitic. t. 2. in 8. 22—29.; *Clemens Alex.* paedag. l. 2. c. 2.; *Chrysostomus* in Matth., hom. 83. n. 4.; *Ephraem* serm. 10. de fide; *Macarius Aegyptiac.* hom. 27. n. 17.; *Cyrillus Hierosolym.* catech. 5. 16.

n. 6.: *Lanfrancus*, de corpore et sanguine D. c. 14.; *Algerus*. l. c. l. 1 c. 18; *Hildebertus*, archiepiscopus Turonensis. tract. de sacram. altaris. atque alii.

17. **3. *Ex ratione theologica.*** — In 2. parte ostensum est. Christum totum et integrum facta specierum separatione sub singulis earundem partibus esse praesentem: atqui sola separatione specierum, utpote quae virtute naturali fiat. Christus praesens non constituitur: sed verbis consecrationis eius praesentia efficitur; quare iam ante separationem partium Christus sub qualibet earundem praesens est. — *Praeterea* idem ex dignitate huius sacramenti vel illius. qui in eodem continetur. necessario consequi facile intelligitur. Etenim modus existendi. in quo partes corporis Christi cum partibus specierum commensurarentur, corpori Christi parum conveniret atque indignus esset; etenim sic corpus Christi pro diversitate figurae particulae ad diversam formam redigeretur atque manifesto deforme evaderet. Ergo.

18. **4. *Ex unanimi theologorum consensu.*** — Audiatur imprimis *S. Thomas*, qui rei etiam rationem internam reddit: „In hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti. quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiae: ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae. id est, per modum quo substantia est sub dimensionibus. non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum quo quantitas dimensiva alienius corporis est sub quantitate dimensiva loci. Manifestum est autem. quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum. sub quibus continetur. sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris. et sub qualibet parte panis est tota natura panis: et hoc indifferenter sive sint dimensiones actu divisae (sicut cum aër dividitur vel panis secatur), vel etiam sicut actu indivisae, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis. etiam hostia integra manente. et non solum cum frangitur“ (S. th. 3. p. q. 76. a. 3.). *Contra quod argumentum excipi tamen posse videtur*. sub qualibet parte specierum panis ante consecrationem esse quidem totam sub-

stantiam panis secundum partes constitutivas sive essentiales, non vero secundum partes integrales, quae aliquem panem concretum componunt: quare sequi solummodo, sub quahbet specierum parte post consecrationem pariter fore totum Christum quidem essentialiter, non vero integraliter. *Verum argumentum in rectum sensum explicari vel compleri posse videtur hac identica vel simili ratione, quam urget S. Bonaventura:* „Christus continetur ibi ut signatum in signo, et quia ratio signandi uniformiter est in partibus et in toto, ad veritatem sacramenti spectat, quod uniformiter sit in partibus et in toto" (In 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 5.): necnon his, quae notat *Suarez:* „Verba enim aeque cadunt in totam hanc materiam et in quamlibet partem eius et vi sua convertunt illam in corpus Christi. Ergo aeque convertunt illam totam et quamlibet partem eius in totum corpus Christi . . . Non est maior ratio, cur una pars substantiae panis convertatur in hanc partem corporis Christi, quam in aliam, v. g. in caput potius, quam in pedes" (Disp. 52. s. 2. n. 5.).

Quem modum essendi corporis Christi egregie ita de- 19.
scribit *Lessius:* „Quartum miraculum est modus existendi spiritualis ipsius corporis cum omnibus suis corporalibus qualitatibus sub speciebus panis et vini. Corpus enim cum tota sua mole (excepta sane extensione actuali locali) suisque qualitatibus divina virtute supra conditionem corporalem elevatur et accipit modum existendi spiritualem, quo veluti in punctum contrahitur et simul continue per speciem ita diffunditur, ut instar substantiae spiritalis sit totum sub tota specie panis et totum sub singulis eius partibus, sicut anima rationalis est tota in toto corpore et tota simul in singulis eius partibus et natura angelica est tota in totius spatii (sibi competentis) complexu et tota in singulis spatii partibus. Duo enim ad modum essendi spiritalem, quem substantiae incorporeae habent, requiruntur. Alterum est, ut res tota sit veluti collecta in punctum indivisibile, ita ut nihil illius sit, quod in illo indivisibili non reperiatur. Si enim aliquid esset extra illud indivisibile, quod etiam intra illud non sit haberet potius modum existendi rerum corporearum quarum

est habere partem extra partem, quam rerum spiritualium, quae totam entitatem suam in punctum indivisibile collectam obtinent. Alterum est, ut illud indivisibile continue sit extensum vel diffusum, non per partes, hoc enim est rerum corporalium, sed per suas, ut ita dixerim totalitates, alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum et continuo modo occupare, quod etiam est contra modum existendi rerum spiritualium. Requiritur itaque, ut totum sit intra punctum indivisibile et totum extra absque tamen discontinuatione. Utrumque hoc reperitur in modo existendi, quo corpus Christi existit in hoc sacramento: nam totum est sub quovis puncto indivisibili et totum est continue atque sine intercisione diffusum per totam specierum quantitatem, sicut substantiae spiritales sunt diffusae per totum spatium, quod occupant. Valde stupendum et insolens est hoc miraculum, nunquam alias factum, nunquam faciendum extra hoc mysterium, ut res extensa per partes accipiat modum rerum spiritualium existendi inextense: et cum substantia et existentia sit corporalis, modus tamen essendi sit spiritalis" (De perfectionib. divinis l. 12. c. 16. n 124.).

Corollaria quaedam.

20. ***1. Per concomitantiam omnia etiam accidentia ss. humanitatis Christi in eucharistia praesentia sunt, exceptis sola extensione actuali locali et ceteris, quae hanc supponunt.*** — Itaque habitus animae Christi, tum ipsius animae tum intellectus tum voluntatis, impassibilitas corporis et cetera omnia eiusmodi cum corpore et sanguine praesentiam sacramentalem participant. Ratio manifesta est ex dictis; etenim haec omnia cum Christo sive corpore sive anima inseparabiliter coniuncta sunt: non autem vi sacramenti, ut loquitur S. Thomas sive vi verborum, ut dicit Concilium Tridentinum, praesentiam habent. Non autem adesse extensionem actualem localem pariter ex dictis patet, quia corpus Christi cum speciebus vel cum spatio non commensuratur.

2. Christus etiam praesens est sub singulis speciei partibus minimis sive ita parvis, ut ab invicem sensibiliter discerni nequeat. — Et hoc quidem certe de eiusmodi minimis partibus dicendum est, quamdiu cum invicem unitae unam totam sensibilem speciem componunt vel cum specie aliqua sensibili coniunctae manent. Ratio manifesta esse videtur, quia secundum Concilium Tridentinum sub qualibet cuiusvis speciei parte totus Christus est; rationem autem partis etiam istae minimae particulae habent. *Praeterea* si Christus sub illis minimis particulis non esset, omnino praesens non esset, quia tandem aliquando tota sensibilis species ex eiusmodi minimis particulis, quae ab invicem discerni nequeunt, certe componitur. Neque contra dici potest, eiusmodi minimas particulas sensibiles non esse, quatenus ab invicem sensibiliter discerni nequeant. Etenim, etsi ita consideratae sensibiles non sint, attamen quatenus coniunctae cum aliis sunt, vim suam exerunt atque sensus afficiunt ideoque eorum obiectum constituunt. 21.

Si vero a specie consecrata minimae particulae avellantur, quae nullo iam sensu percipi queant, consecrationem amittere videntur. — Ratio est, quia utpote iam non sensibiles a ratione symboli sacramentalis deficiunt; neque ullum finem iam haberet consecratio in eiusmodi particula insensibili perseverans, quia usui humano subtracta esset, cum tamen sacramenta propter homines instituta sint. *Confirmatur*, quia propter easdem rationes gravissimi theologi, ut Suarez, Vasquez aliique docent, particulam panis, quae sensibus percipi nequeat, neque consecrari posse; deficit scilicet a ratione signi sacramentalis atque pronomine *hoc* demonstrari nequit.

3. Praesentia sacramentalis pluribus essentialiter differt a praesentia corporis naturali. — Etenim *primo* praesentia naturali corpus a spatio, quod occupat, aliam omnem quantitatem naturali modo extensam et in loco existentem excludit. Sacramentali autem praesentia Christus ita praesens est, ubi substantia erat panis et vini, ut ab eo loco horum extensionem minime excludat, sed 22.

penitus relinquat. — *Secundo* praesentia naturali corpus extenditur in ordine ad determinatum spatium, ita ut totum corpus cum toto spatio et pars cum parte commensuretur. Sacramentali vero praesentia corpus Domini ita praesens est, ut nullam habeat commensurationem ad quantitatem panis aut cuiusvis alterius corporis, loci, vel spatii, cui praesens est. Quare partes corporis ita praesentis non se excludunt ab eodem spatio, sed ubi earum una est, ibi sunt et reliquae omnes. Est scilicet corpus Christi totum in toto et totum in singulis symboli partibus. — *Tertio* naturalis praesentia duplicem habet extensionem: unam ex parte subiecti secundum quam v. g. caput non est collum; alteram in ordine ad spatium, secundum quam partes extra partes positae sunt. Sacramentalis autem praesentia, quamvis aliquam extensionem ex parte subiecti habeat, attamen in ordine ad spatium nullam habet, quia scilicet corporis a naturalibus relationibus ad locum et spatium exempti praesentia est.

23. ***4. Falsa est sententia, in ss. eucharistia cum minimis physicis specierum minima corporis Christi compenetrata existere.*** — Nimirum sequentes sententiam Cartesii essentiam corporum in extensione ponentes aliqui theologi docuerunt, totum corpus Christi cum tota specie (vel substantia) panis, minima autem corporis Christi cum minimis physicis speciei (vel substantiae) panis compenetrata existere, alii autem opinati esse videntur, in minimis particulis hostiae corpus Christi praesens esse per modum corpusculi ad brevissimum spatium redacti cum ordine et proportione partium et situ locali. — *Verum falsae sunt hae sententiae atque merae imaginationes.* Etenim praeterquam quod in falsa theoria de essentia corporum innituntur, dogma non declarant, sed pervertunt. Nam cum minima specierum supponantur esse extensa, ipsa quoque partes habent; ergo in istis declarationibus dici nequit, Christum sub omnibus et singulis specierum partibus totum et integrum existere. *Praeterea* per eiusmodi imaginationes corpus Christi eucharisticum deforme monstrum redditur: quod absit.

5. Praesentia sacramentalis ad praesentiam animae in corpore relata in aliquibus analoga, in aliis vero diversa est. — *Analoga est primo* quatenus sicut anima est tota in toto corpore et tota in qualibet eius parte, ita et Christus totus sub tota specie et totus sub qualibet eius parte est. Quare *secundo* sicut anima unam habet adaequatam praesentiam in toto corpore, quia totum hoc corpus una adaequata informatione informat atque corpus essentialiter unum est, quamvis corpus partes habeat ideoque plures informationes et praesentiae inadaequatae dici possint: ita etiam corpus Christi sub una specie unam tantum adaequatam praesentiam habet, quia toti huic speciei subest atque ipsa naturaliter una est, quamvis pariter species partes habeat et ideo etiam plures praesentiae inadaequatae dici queant. Apposite *S. Thomas:* „Numerus sequitur divisionem; et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus proprius, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes dividitur" (S. th. 3. p. q. 76. a. 3. ad 1.). Itaque Christus in una specie semel totaliter, pluries autem partialiter praesens est, partialitate autem non corporis, sed praesentiae. In singulis enim partibus Christus integer et completus, non autem integre et complete ratione praesentiae existit. 24.

Verum etiam diversa est praesentia corporis Christi in eucharistia a praesentia animae in corpore. Etenim *primo* corpus Christi, quamvis non habeat extensionem actualem localem, eiusdem tamen exigentiam habet, quia scilicet habet extensionem ex parte subiecti, ideoque ille modus existendi corporis Christi in eucharistia est supernaturalis; praesentia autem animae in corpore naturalis est, cum anima, utpote quae simplex est, ex parte subiecti nullam extensionem habeat. — *Secundo* accedit, quod unio corporis et animae est physica et naturalis et essentialis; unio vero corporis Christi cum speciebus multo minor et alterius omnino generis est. — *Tertio* cum anima humana tantum uno loco praesens sit simul cum corpore quod informat, corpus Christi in ss. eucha- 25.

ristia simul in diversis locis est cum diversis speciebus, quibus subest. Quare iterum sub alio quoque respectu praesentia sacramentalis supernaturalis, praesentia autem animae in corpore sub omni respectu naturalis est.

26. ***6. Secundum alium et alium respectum Christus in ss. eucharistia vel in loco esse vel non in loco esse dici potest.*** — Quae assertio ex praecedentibus facile colligitur. Nimirum *primo* si in loco esse nihil aliud intelligitur, nisi quaelibet realis et substantialis praesentia in aliqua spatii parte, Christus in ss. eucharistia certissime localiter praesens est. — *Secundo* autem haec praesentia minime circumscriptiva est, cum corpus Christi cum partibus spatii sive speciei non commensuretur; si quis igitur per localem corporis praesentiam nolit intelligere nisi eam praesentiam circumscriptivam, Christum in ss. eucharistia in loco esse sane negabit. Quo sensu *S. Thomas* negat corpus Christi eucharisticum in loco esse, quia scilicet „non est in hoc sacramento circumscriptive, quia non est ibi secundum commensurationem propriae quantitatis" (S. th. 3. p. p. 76. a. 5. ad 1.). — *Tertio* neque est in hoc sacramento tamquam in loco definitive, si per praesentiam definitivam intelligatur praesentia in aliquo spatio determinato, secundum quam locatum est totum in eo spatio et totum in qualibet parte ita quidem, ut extra idem spatium non sit, sed intra limites eiusdem concludatur; etenim corpus eucharisticum inter limites unius determinati spatii non concluditur, sed ubicunque est, ubi species consecratae exstant; atque praeterea in coelo in propria specie humana existit. Quo sensu iterum *S. Thomas*: „Corpus Christi non est in hoc sacramento definitive, quia sic non esset alibi quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum, cum tamen sit et in coelo in propria specie et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti" (Ibid.). Si vero praesentia definitiva solum opponatur circumscriptivae neque excludat praesentiam eiusdem rei in alio loco, quo sensu multi loquuntur, certe praesentia Christi in ss. eucharistia definitiva dicenda est.

Scholion.

Difficultates quaedam solvuntur. — Cum ob- 27
iectiones contra doctrinam propositam pleraeque in ipsa thesi praeoccupatae sint, una solum vel altera specialem considerationem meretur:

1) Aliquod caput doctrinae in hac thesi propositum pugnare videtur cum altera illa doctrina, secundum quam anima humana est forma corporis; ergo alterutra relinquenda est. Nimirum corpus Christi sub specie panis praesens est vi verborum: quare quidquid internum constitutivum corporis humani est, pariter vi verborum praesens efficitur. Atqui anima, quae rationem formae corporis habet, internum corporis constitutivum est. Ergo anima Christi vi verborum, non autem per concomitantiam solum sub speciebus panis adest. Neque ad solvendum hoc argumentum virtualis distinctio sufficit inter animam ut est principium vitae et animam ut est forma corporis: nam concomitantia eorum est, quae quidem realiter coniuncta, sed simul realiter distincta sunt. Itaque illa duo doctrinae capita cum invicem conciliari posse non videntur.

R. Verumtamen re accuratius inspecta harmoniam esse 28.
inter utramque doctrinam satis commode perspicitur. Itaque

a) Pugnam inter utramque doctrinam esse iam ex ea sola ratione improbabile apparet, quia Concilium Tridentinum explicationem formularum *vi verborum* et *per concomitantiam* ex S. Thoma fere deprompsit, qui praecipuus patronus alterius doctrinae est. Expositiones autem tum ea S. Thomae tum ea Concilii Tridentini iam supra (n. 8 ss.) allatae sunt ideoque facile comparari possunt.

b) Considerandum est, Concilium Tridentinum, quando docet, animam Christi in ss. eucharistia praesentem esse non vi verborum, sed per concomitantiam, eandem animam spectare secundum propriam et formalem animae rationem, ut scilicet corpori est vitae principium: quod certo patet ex verbis: „Semper haec fides etc." (cf. supra n. 11.)

c) Quibus notatis solutio difficultatis vel argumenti supra propositi plana est. Nimirum vi verborum: *hoc est corpus*

meum praesens sistitur id omne et solum, quod directe per haec verba significatur: corpus igitur Christi vel quidquid constitutivum est corporis, quatenus constitutivum est. Iamvero corpus in ratione corporis per animam non constituitur, quatenus haec principium vitae et multo minus quatenus intellectiva est. Sane quidem corpus humanum manet corpus etiam quando anima ab eo separata est atque munus formae, quod prius anima praestabat, iam praestatur a forma inferiore mere corporea. Atque ita etiam corpus Christi mansit idem supposito corpus in triduo mortis, quando anima humana non informabatur, atque eo tempore vere per verba consecrationis designari potuit. Ergo per verba *hoc est corpus meum* non significatur determinate haec forma prae illa, sed indeterminate vel disiunctive aliqua significatur. Quare, etiam vi verborum nulla determinata forma neque igitur ipsa anima adest; sed sicut in alio statu corporis alia forma v. g. in triduo mortis forma cadaverica praesens adesset, ita nunc anima Christi adest propter realem eiusdem animae cum materia unionem praesentem, quae unio tamen ad essentiam corporis non requiritur; nunc igitur anima adest non vi verborum, sed per concomitantiam. Anima enim, ut ex dictis patet, a corpore non solum virtualiter, sed actu realiter inadaequate et potentialiter realiter adaequate distinguitur. Itaque illa duo doctrinae capita cum invicem non pugnant sed amice componuntur.

29. d) Quae cum ita sint, in forma ad argumentum propositum ita responderi potest: *D.* mai.: corpus Christi sub specie panis praesens est vi verborum prout directe significatur a verbis cum praecisione ab hac vel illa forma vel cum praecisione a gradu vitae, quem ab anima habet *c.* prout realiter nunc existit ab anima informatum et Verbo hypostatice unitum *n.* Pariter *d.* min.: Anima est pars corporis essentialis vel constitutiva i. e. corporis, prout nunc existit physice et realiter *c.*, prout significatur a verbis *sbd.* indeterminate anima vel alia forma secundum generalem rationem formae dantis esse corporeum *c.* anima, prout vitae principium est *n.* Apposite *S. Thomas*: „Dicendum, quod anima est

forma corporis dans ei totum esse perfecti, scilicet et esse corporeum et esse animatum et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima" (S. th. 3. p. q. 75. a. 6. ad 2.).

2) *Videri posset ex notione praesentiae vi verborum supra tradita sequi, ipsum Verbum divinum in ss. eucharistia praesens esse vi verborum, non autem, ut Concilium Tridentinum docet, per concomitantiam.* Etenim vi verborum praesens est, quod per verba consecrationis significatur: atqui per verba consecrationis (i. e. vocabulum *meum*) tum panis tum calicis ipsum Verbum divinum significatur tamquam persona possidens illud corpus vel illum sanguinem; ergo. R. *d.* mai. vi verborum praesens est, quod per verba consecrationis significatur directe vel in recto *c.* quod significatur indirecte vel in obliquo *n.* Pariter *d.* min: Per verba consecrationis significatur Verbum divinum directe vel in recto *n.* indirecte vel in obliquo *c.*; et *n.* consequens et consequentiam. Nimirum vocabulum *meum* in verbis consecrationis significat corpus et sanguinem ut hypostatice assumptos a Verbo divino, non autem ipsum Verbum divinum hypostatice assumens significant. Quare Verbum divinum non vi verborum sed per concomitantiam adest, utpote quia realiter coniunctum est cum iis, quae vi verborum adsunt. 30.

Thesis 6. Corpus Christi in ss. eucharistia existit igitur sine extensione actuali locali, in quo modo existendi nulla repugnantia invenitur.

Declaratio.

Scopus huius thesis. — Modus existendi, quem corpus Christi in ss. eucharistia habere in praecedenti thesi ex fontibus revelationis ostensum est, supra omnes leges naturales corporum evehitur, atque non ex uno capite penitus supernaturalis est. Quae cum ita sint, increduli omne supernaturale et rationi naturali impervium negantes illum modum existendi tamquam cuivis corpori intrinsecus et essentialiter 1.

repugnantem traduxerunt atque expugnare conati sunt. Verum frustra; etenim ille modus existendi corporis Christi in ss. eucharistia certa veritas fidei est; fides autem cum ratione pugnare nequit, cum utraque, fides et ratio eundem fontem, primam scilicet veritatem, habeant eiusque vera etsi limitata participatio sint. Apposite *S. Thomas:* „Illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte, quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis huiusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali rationi esse contraria" (contr. gent. l. 1. c. 7.). Et alibi: „Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta" (S. th. 1. p. q. 1. a. 8.). Atque haec generalis animadversio per se sufficit ad omnia adversariorum argumenta philosophica repellenda eorumque inanitatem ostendendam.

2. Verumtamen cum fides quaerat intellectum, veritates fidei praesertim in theologia scholastica etiam, quantum fieri potest, philosophice explicandae sunt atque argumenta adversariorum accuratius inspici et solvi vel aliquo defectu laborare ostendi debent. Atque hunc scopum tum praesens tum subsequens thesis prosequitur. Et in praesenti quidem thesi inquirendum atque ostendendum est, qua ratione corpus Christi totum sub tota specie et totum sub qualibet eiusdem parte esse ideoque extensione actuali locali carere posse non repugnet, verum aliquatenus explicari atque intelligi queat. In sequenti vero thesi explicandum erit alterum factum supernaturale cum mysterio eucharistico connexum, scilicet corpus Christi replicari sive eodem tempore multis simul locis existere.

Demonstratio.

Adversarii doctrinae catholicae inde praesertim dogma catholicum, de quo agitur, impugnare solent, quod corpus sine ea extensione, quae experientiae nostrae sensitivae obiectum est, absolute existere nequeat; hanc enim assertionem tamquam certum principium sumunt. Iamvero haec sententia neque immediate evidens est, neque probatur nec probari potest. Et *primo* quidem eandem evidentem non esse facile intelligitur. Etenim verum quidem est, istam extensionem esse velut formam quandam, sub qua corpora sensibus nostris apparent eandemque esse conditionem necessariam, ut corpora sensus nostros afficere possint: verum pariter est, nos imaginatione nostra corpus illa extensione carens nobis repraesentare non posse. At vero hinc ad summum demonstratur, extensionem, de qua agimus, connaturalem esse corporum proprietatem: nequaquam autem inde evincitur, extensionem eandem ipsam corporum essentiam constituere vel neque omnipotentia divina a substantia corporis separari non posse. Profecto nihil ponderis illa ratio habet, quod extra ss. eucharistiam nullum corpus unquam est vel fuit sine illa; etenim a non esse ad non posse non valet illatio. *Ceterum* argumenta, quibus adversarii pugnant, paulo interius accuratius consideranda sunt. Nunc iam positiva aliqua rei explicatio exhibenda est, quae aliquibus assertionibus evolvitur ac comprehenditur.

Assertio prima: *Omne corpus per seipsum habet quantitatem substantialem sive partes substantiales integrales realiter distinctas; quare connaturaliter exigit habere extensionem actualem localem.* — Ratio huius assertionis satis aperta est: etenim: 4.

1) Substantia corporea dividi potest in partes substantiales eiusdem rationis sive integrales: etenim ens compositum est, cui trina dimensio debetur. Iamvero, quod in partes dividi potest, iam ante divisionem partes habet realiter distinctas etsi unitas; divisio enim quaevis supponit sane distinctionem. Ergo omnis substantia corporea partes habet substantiales realiter distinctas.

2) *Porro* hasce partes substantiales integrales earumque distinctionem ab invicem substantia corporea formalitar habet per seipsam, non vero per accidens quoddam superadditum. Etenim *primo* omne accidens posterius et inferius est natura, quam ipsa substantia, atque hanc supponit; ergo nullum accidens formaliter vel seipsum communicando substantiae dare potest quidquam substantiale ideoque neque partes substantiales. *Praeterea* quaecunque entia positiva ipsa sua realitate positiva ab invicem realiter distinguuntur, non vero per aliquod tertium ens positivum et superadditum; ergo etiam partes integrales substantiae seipsis ab invicem realiter distinguuntur.

3) *Denique* per hanc ipsam quantitatem substantialem corpus habet aptitudinem remotam saltem, ut intelligitur, ad extrapositionem partium in spatio vel ad extensionem actualem localem; nam quod partes non habet, neque extrapositionem partium habere potest. Sed eiusdem extensionis corpus etiam exigentiam habet: nam ut ipsa experientia nos edocet, corpora naturaliter extensa sunt.

5. ***Assertio secunda:*** *Partes substantiales integrales corporis saltem organici ad invicem ordinem dicunt atque certam dispositionem atque coniunctionem internam habent.* — Etenim corpus organicum ex partibus homogeneis ad unum totum ens vivens constituendum compositum est. Ad hoc autem requiritur, ut partes ad invicem ordinentur et certa ratione coniunctae sint; atque ita caput v. g. immediate cum collo mediate cum pectore nectitur; necnon manus immediate cum brachio, mediate cum aliis partibus coniuncta est.

Eiusmodi dispositio ac coniunctio partium sive organizatio probabiliter modus substantialis est; nam eadem illae partes non substantialiter vel essentialiter sed modaliter diversae sive modificatae sunt, quare est modus tantum; perficit autem idem modus partes illas in esse substantiali, quare est substantialis. Haec partium integralium dispositio a multis auctoribus *figura interna* vocatur.

6. ***Assertio tertia:*** *Sola ratione naturali duce probabile saltem apparet, extensionem actualem localem a substantia*

sua realiter distinctam esse. — Quod pluribus rationibus facile probatur:

1) Extensio actualis localis nihil aliud est, nisi extrapositio partium in spatio illius entis, quod extensum dicitur: atqui extrapositio partium supponit ipsas partes atque tamquam modificatio earundem concipitur; iamvero eiusmodi modificationi generatim convenit distinctio realis a re modificata. Eadem vero modificatio accidentalis esse videtur, quia substantiam in esse substantiali iam completam perficit.

2) Corpora quaedam specifice ab invicem differunt, cum tamen eandem habeant extensionem actualem localem; et vicissim alia corpora specifice conveniunt, cum habeant diversam extensionem actualem localem. Atqui haec incommode vel nulla ratione intelliguntur, nisi realis distinctio intercedat inter substantiam corporis eiusque extensionem.

3) Extensioni actuali locali convenit esse sensibilem per se; idem autem substantiae corporeae non convenit, utpote quae sensibilis est tantum per accidens; atqui ea, quorum uni aliquid realiter convenit, quod alteri realiter non convenit, ea inter se realiter distinguuntur; ergo realis distinctio est inter substantiam corpoream eiusque extensionem.

4) Extensio actualis localis identica esse videtur cum corporis ubicatione interna circumscriptiva. Etenim per ubicationem circumscriptivam corpus formaliter est hic vel ibi sive in certa et determinata spatii parte atque cum ea commensuratur independenter a nostra consideratione et a corporibus circumstantibus: per extensionem actualem localem corpus pariter habet formaliter, ut partes ipsius iuxta se positae certam et determinatam spatii partem occupent atque cum eadem commensurentur; inter haec autem nulla realis differentia detegitur: quare ex solida ratione ubicatio circumscriptiva necnon extensio actualis localis realiter identicae esse ponuntur. Iamvero ubicatio illa a corpore realiter distinguitur: nam primo eadem manente substantia corporea mutatur ubicatio; existente iam corpore ubicatio nova reali actione producitur. Ergo etiam extensio actualis localis a

corpore realiter distinguitur. utpote quae cùm ubicatione circumscriptiva realiter identica est.

Neque contra dici potest, manente eadem extensione mutari ubicationem: nam haec est apparentia potius, cum extensio specifice quidem, sed non numerice eadem manere dici possit; hac enim ratione phaenomenon sensibile satis explicatur.

8. ***Assertio quarta:*** *Ex assertionibus positis status vel modus existendi corporis Christi in ss. eucharistia quadantenus intelligi potest.* — Omnia scilicet, quae ad hunc statum explicandum spectant iam facile aliquibus propositionibus comprehenduntur:

1) *Corpus Christi in ss. eucharistia habet quantitatem substantialem sive partes integrales realiter ab invicem distinctas.* — Etenim haec quantitas vel partium distinctio omni corpori essentialis est.

2) *Idem corpus Christi in ss. sacramento non habet extensionem actualem localem sive extrapositionem partium in spatio.* — Nam haec extensio corporibus connaturalis quidem, non vero essentialis est: quare omnipotentia divina a corpore separari potest. Consequenter vero corpus Christi in ss. eucharistia neque ceteras illas proprietates habet, quae extensionem actualem localem supponunt atque ex ea resultant. Si igitur ordo, dispositio partium, figura, pulchritudo sumantur secundum situm localem atque extensionem in spatio, ea omnia in corpore Christi eucharistico non inveniuntur. Neque tamen ideo resultat deformitas aliqua vel confusio ulla in corpore Chisti, ut videri posset; etenim:

9. 3) *Corpus Christi in ss. eucharistia internum habet partium ordinem, internam partium dispositionem et coniunctionem necnon pulchritudinem inde resultantem.* — Apposite *S. Thomas:* „Dicendum, quod confusio opponitur ordini partium, qui pertinet ad rationem situs; et quia corpus Christi non est situaliter in hoc sacramento, ideo non sequitur ibi aliqua confusio partium ex hoc, quod in quolibet signato hostiae est totum corpus Christi et quaelibet pars eius. Quamvis enim non sit accipere ordinem partium corpori

Christi secundum comparationem ad partes hostiae, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam internam quantitatem" (In 4. d. 10. q. 1. a. 3 sol. 3. ad 2.).

Similiter *Lessius:* „Excludit quidem hic modus existendi **10.** figuram extrinsecam et modum extensivum, quem Christi corpus habet in coelo secundum naturalem conditionem: haec enim dicunt ordinem et commensionem ad locum vel spatium. Non tamen excludit aliquid molis (i. e. substantiam et quantitatem substantialem), nec figuram, ut ita dicam intrinsecam, quae in temperamento et dispositione et continuatione partium intrinseca, ex qua naturaliter resultat figura externa, sita est. Figura enim extrinseca est ab intrinseca rei partiumque dispositione maxime in viventibus, non ab extrinseca tantum formatione ut in statuis signisque sculptis vel fusis. Est igitur ibi corpus Christi sine partium commixtione aut confusione. Etsi enim omnes simul et in eodem puncto sint, quaelibet tamen retinet suum temperamentum, suam unionem, suam connexionem, suum ordinem, et omnem internam dispositionem, quae a respectu et commensione loci non pendet" (L. c.).

Item secundum *Cardinalem de Lugo* corpus Christi in **11.** eucharistia habet „eandem figuram organicam, quam habet in coelo: non tamen eandem figuram situalem. Nam figura organica est talis unio partium inter se, ratione cuius exigit talem positionem in ordine ad locum: ex eo enim, quod partes pupillae v. g. taliter inter se uniuntur, exigunt talem positionem in spatio rotundo cum tali distantia partium a centro etc., quam exigentiam et rotunditatem organicam habet pupilla in eucharistia; non tamen habet ibi rotunditatem et figuram situalem, quia non occupat ibi spatium rotundum, sed omnes partes pupillae penetrantur inter se. Sic etiam non habet ibi extensionem actualem localem partium, nec situm, quem habet in coelo, quia extensio actualis localis et situs includit tales ubicationes partium, quae ubicationes coelestes non replicantur in eucharistia." Si autem obiiciatur, ad figuram organicam etiam pertinere, ut v. g.

sanguis in venis contineatur, hoc ipsam autem in eucharistia non inveniri ideoque in ipsa etiam figuram organicam deficere, Cardinalis respondet, sanguinem Christi in eucharistia habere saltêm „exigentiam, qua ex se exigat poni intra venas et non in capillis, et venas habere exigentiam continendi sanguinem, ita ut petant praesentiam localem fundantem talem propinquitatem ad sanguinem, quae exigentia fundata in ipsa natura sanguinis et venarum dici possit figura organica sanguinis et venarum" (D. 5. s. 3. n. 10.).

Scholion.

12. ***Argumenta obiecta examinantur.*** — Postquam veritas catholica positive quadam ratione explicata est, iam facilius argumenta adversariorum solvuntur vel saltem inefficacia esse ostenduntur. In antecessum autem haec *S. Augustini* notare iuvat, quae de omnibus mysteriis atque miraculis divinis valent: „Demus. Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis" (Ep. ad Volusian. n. 8.). Apposite etiam *S. Thomas:* „Dupliciter potest dici aliqua propositio non intelligibilis. Uno modo ex parte intelligentis, qui deficit intellectu, sicut haec propositio: ‚In tribus personis divinis est una essentia', et huiusmodi propositio non oportet, quod implicet contradictionem. Alio modo ex parte ipsius propositionis, et hoc dupliciter: Uno modo, quia implicat contradictionem absolute, sicut: ‚rationale est irrationale': et huiusmodi nullo miraculo verificari possunt. Alio modo, quia implicat contradictionem aliquo modo, sicut ista: ‚Mortuus redit ad vitam', virtute scilicet propria; cum ponatur hoc, quod dicitur mortuum, omni principio vitae destitutum; et haec possunt verificari miraculo superiori virtute operata" (Super Boëthium, de Trinitate q. 4. a. 3. ad 1.). Atque haec sane etiam et quidem maxime in praesenti quaestione, prae oculis habenda et adversariorum argumentis opponenda sunt; quorum praecipua quaedam ad speciminis instar iam proponenda et solvenda sunt:

13. 1) *Fieri nequit, ut corpus sine extensione et quantitate concipiatur; atqui sine eo, sine quo aliqua res concipi ne-*

quit, eadem esse non potest; ergo corpus sine extensione esse nequit. — *R. D.* mai. Fieri nequit, ut corpus concipiatur sine quantitate substantiali et figura interna *c.* mai.: fieri nequit, ut concipiatur sine extensione actuali locali *sbd.* fieri nequit, ut concipiatur sensibus vel imaginatione *c.* intellectu vel ratione *n.* *Cd.* min. Res sine eo, cum quo necessario concipitur intellectu vel ratione, non potest esse c. sine eo, cum quo necessario concipitur sensibus vel imaginatione. esse non potest: *sbd.* non potest esse sine eo naturaliter *c.* non potest sine eo esse per potentiam Dei absolutam vel miraculose *n.*

2) *Corpus ex natura sua essentialiter divisibile est; quare non minus repugnat corpori indivisibiliter poni in rerum natura, ac spiritui repugnat divisibiliter in loco constitui.* — *R. D* anteced.: Corpus essentialiter divisibile est ex parte subiecti *c.*: habet enim partes substantiales integrales realiter distinctas: divisibile est physice in ordine ad spatium *sbd.* connaturaliter *c.* metaphysice necessario *sbd.* relate ad causam primam *c.* relate ad causas secundas *n.* Analogia autem cum Spiritu hac in re nulla est. Cum enim spiritus simplex sit ideoque partes nullas habeat. neque per omnipotentiam divinam in partes dividi potest. 14.

3) *Figura a quantitate separari nequit, utpote cuius est internus terminus. Figura autem pariter ab extensione actuali locali separari non potest, quippe ex qua oritur. Atqui corpus Christi quantitatem habet, utpote quae corpori essentialis est. Ergo corpus Christi neque sine extensione actuali locali esse potest.* — *R. D.* mai.: A quantitate substantiali non potest separari figura interna *tr.* figura externa *n.* *Cd.* min.: figura externa non potest separari ab extensione actuali locali *c.* figura interna *n.* *Cd.* alteram minorem: Corpus Christi quantitatem habet substantialem *c.* externam vel extensionem actualem localem *sbd.* ubi connaturaliter existit *c.* in ss. eucharistia *n.* 15.

Notandum est, corpori Christi sicuti aliis corporibus a multis auctoribus etiam tribui quantitatem internam i. e. accidens aliquod absolutum distinctum realiter tum a quanti- 16.

tate substantiali, tum ab extensione actuali locali tum a figura interna; sed de hac re, utpote quae hoc loco in quaestionem non venit, inferius agetur.

17. 4) *Si corpus Christi indivisibiliter in Eucharistia est, non magis distaret pes a capite ac collum a capite; hoc autem naturali compositioni humani corporis eiusque organismo repugnat; ergo.* — *R.* Sicut supra distincta est figura interna et externa, ita pariter distantia interna et externa distingui potest; distantia externa igitur vel localis inter caput et pedem non est, quia revera omnes partes simul in eodem spatio sunt; est autem distantia interna inter caput et pedem, quia intrinsecus et immediate spectata organizatione caput cum collo quidem, non autem cum pede coniunctum est.

Corollaria quaedam.

18. ***1. Corpus Christi in ss. Eucharistia nihil pati potest ab externis agentibus physicis.*** — Haec est communis theologorum sententia. „Ita sentit divus Thomas, Scotus, Richardus, Paludanus, Capreolus, Carthusianus, Marsilius, Aegidius et omnes moderni, qui non afferunt aliud fundamentum, nisi quia modus existendi in loco quantitativus et connaturalis corporibus est necessaria conditio ad huiusmodi actiones et passiones" (*Suarez*, disp. 53: s. 2. n. 2.). Esse vero necessariam conditionem, hac ratione patet: Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; iamvero nullum agens physicum (i. e. extensum) quidquam producere potest ad modum spiritus existens, nihil vero formaliter extensum in corpere Christi recipi potest. Ergo nihil physicum extensum quidquam producere valet, quod in corpore Christi recipiatur. Quare corpus Christi in ss. eucharistia nequit minui, augeri, corrumpi, interfici etc.

19. ***2. Corpus Christi in ss. sacramento nequit naturaliter exercere actiones transeuntes.*** — Etiam haec est communis theologorum sententia. Et ratio eiusdem manifesta esse videtur: Etenim omnis actio transiens corporis naturaliter per motum localem corporis exercetur vel cum eiusmodi motu saltem coniuncta est; atqui corpus Christi, prout est

in ss. eucharistia motum localem proprie dictum non habet, quippe qui supponit extensionem actualem localem et impenetrabilitatem: quibus corpus Christi eucharisticum caret; ergo.

3. Corpus Christi sub speciebus eucharisticis oculo videri vel alio sensu percipi naturaliter saltem non potest. — Ratio est, quia ad perceptionem sensibilem requiritur, ut obiectum sensationis ad sensum speciem naturalem et extensam transmittat, quod ut dictum est in corollario primo, corpus Christi sub speciebus eucharisticis naturaliter praestare nequit. Dissentiunt theologi, num corpus Christi eucharisticum oculo corporeo videri queat supernaturaliter. Affirmant *Vasquez* (disp. 9. s. 2. n. 20.), *Lugo* (disp. 9. s. 2. n. 20.) aliique. Negant probabilius, ut videtur *Suarez* (disp. 53. s. 4.) aliique, quia corpus Christi, utpote ad modum Spiritus inextense existens videtur esse extra obiectum adaequatum visus corporei. 20.

4. Corpus Christi in ss. sacramento naturaliter non habet exercitium sensuum suorum. — Ratio est, quia sensationes sive supponunt sive involvunt passiones et actiones materiales et extensas; has autem corpus Christi in modo existendi spirituali connaturaliter habere nequit. — *Nihil autem repugnare videtur, quominus idem corpus supernaturaliter exercitium sensuum habeat.* Etenim cum ipsum corpus existat modo inextenso vel spiritali, neque impossibile apparet, quominus passiones et actiones habeat modo inextenso: agere enim sequitur esse. Si autem non repugnet, etiam reipsa hoc sensuum exercitium Christo in ss. eucharistia asserendum esse videtur. Magna contentione hanc sententiam defendit *Cardin. Cienfuegos* atque magnum opus in hunc solum finem conscripsit: *Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata.* Moderate autem et sapienter *Cardinalis Franzelin* de hac quaestione animadvertit: „Mihi certe haec sententia non propter diserta testimonia Scripturae et Patrum, quae proferuntur parum efficacia, sed propter eius connexionem cum dignitate sacratissimae humanitatis et cum scopo ac fine sacramenti, quo Christus cum suis fidelibus non solum spirituale sed etiam corporale commercium inire voluit . . . vi- 21.

detur probabilissima et pia; dummodo tamen non ita defendatur, ac si ea non admissa Christus in sacramento non vivens sed instar mortui concipi deberet, quod quam falsum sit, ex sequentibus apparebit." (Scilicet ex sequenti assertione.) Thesis 11. coroll. 2.

22. ***5. Sine ullo dubio Christus in ss. eucharistia omnes habet actus immanentes, qui a sensibus non dependent.*** — Ratio est manifesta: etenim etiam in ss. eucharistia idem ille est, in quo etiam secundum humanam naturam vel animam sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae abscondit;* et modus corporis existendi spiritaliter cognitionem spiritualem animae profecto non impedit. Itaque etiam in ss. eucharistia, quia idem ibi est in coelo, secundum animam suam humanam Christus habet visionem beatificam, scientiam infusam, scientiam etiam intellectualem experimentalem, quae alibi, ubi in propria specie existit, ab exercitio sensuum pendet, amorem beatificium, amorem hominum a se redemptorum etc. Imo vero in ss. eucharistia haec omnia ex speciali ratione habet, ut merito *Cardinalis Franzelin* notat: „At praeter has rationes speciali titulo, formaliter ut existens in eucharistia, ex ipso fine instituti mysterii, videt omnia corda hominum, omnes cogitationes et affectus, omnes virtutes et peccata, omnes tum totius ecclesiae, tum singulorum membrorum eius indigentias, labores et angores, persecutiones et triumphos, totam denique vitam externam et internam sponsae suae Ecclesiae, quam carne sua et sanguine suo pretioso nutrit ac fovet; titulo autem triplicato (si fas est ita loqui) in eodem statu sacramentali videt et divino quodam modo sentit cogitationes omnes et affectus, cultum et obsequia, sed etiam iniurias et peccata omnium hominum et velut propinquius suorum fidelium ac proxime ministrorum et sacerdotum suorum, quae immediate ad ipsum hoc ineffabile mysterium amoris referuntur" (Ibid.).

23. ***6. Denique corpus Christi sub speciebus eucharisticis non quidem per se, sed per accidens moveri potest.*** — *Et per se quidem corpus Christi sub speciebus moveri non posse* inde facile patet, quia non est

circumscriptive in loco atque ideo nullo contactu ad motum impelli potest. *Per accidens autem moveri potest ac movetur;* scilicet ratione specierum vel cum ipsis movetur, utpote cum quibus, quamdiu non corrumpuntur, indissolubili nexu unitum est. Corpus igitur Christi cum speciebus elevatur, circumfertur etc. Apposite *Suarez:* „Haec sacramentalis praesentia est finita et potest esse terminus alicuius mutationis et ratione illius potest res magis vel minus ab aliis realiter distare" (Disp. 48. s. 1.). Cf. S. th. l. c. a. 6.

Thesis 7, Neque in eo repugnantia aliqua invenitur, quod corpus admittatur in pluribus locis simul existens.

Declaratio.

1. De compenetratione. — In hac thesi examinandum venit alterum fundamentum, ex quo increduli sua argumenta contra mysterium eucharisticum derivare solent; scilicet ad principii instar habent repugnare, quominus idem corpus simul pluribus locis praesens sit. At vero prius hoc loco iuvat expedire alteram quaestionem, num scilicet in hoc mysterio etiam compenetratio aliqua habeatur sive partium corporis Christi cum aliis eiusdem partibus sive accidentium panis et vini cum corpore et sanguine Christi. Aliqui theologi id quidem affirmarunt: verumtamen verius negatur, in ss. sacramento inveniri ullam compenetrationem proprie dictam; quod patet ex eiusdem compenetrationis propria ratione et definitione. Itaque triplici ratione unum corpus aliud penetrare dicitur: *primo* divisione, ut v. g. gladius corpus humanum penetrat; *secundo* latiore sensu sine divisione, cum scilicet unum corpus in alterius poros ingreditur; *tertio denique proprio sensu compenetratio est, cum duo corpora servata sua extensione actuali locali in eodem prorsus individuo spatio inveniuntur.* Prima et secunda compenetratio naturalis est; tertia vero est supernaturalis atque tantum omnipotentia divina fieri potest. Hanc quoque tertiam intrinsecus possibilem esse, catholici omnes tenent: etenim facta esse 1.

necessario creditur, cum Christus e virginali utero B. V. atque e sepulcro prodiit necnon cum ianuis clausis ad Apostolos in cubibulo versantes intravit.

2. *Quae cum ita sint, ea tamen compenetratio proprie dicta in ss. eucharistia adesse verius negatur.* Etenim *primo* eadem est diversorum corporum idem spatium occupantium: in eucharistia vero non aliud et aliud corpus in eodem loco inveniuntur, sed corpus Christi et species i. e. accidentia panis et vini. Vel *secundo* eadem compenetratio saltem est duorum actualiter extensorum in spatio, etsi accidentia sint solum diversorum corporum; in ss. sacramento autem duo extensa non exstant, cum accidentia quidem habeant extensionem actualem localem, corpus Christi autem eadem careat. Itaque sicuti substantia cum suis accidentibus naturalibus compenetrari non dicitur, quamvis eodem cum illis loco sit: ita neque inter corpus Christi et accidentia neque inter diversas partes corporis Christi compenetratio proprie dicta exstat. Quare simultanea in uno loco existentia accidentium panis et vini et corporis Christi necnon diversarum partium eiusdem corporis supernaturalis quidem est, sed non addit novum miraculum supra carentiam extensionis actualis localis in corpore Christi. Cum igitur compenetratio proprie dicta in eucharistia non habeatur, de possibilitate eiusdem compenetrationis nobis hoc loco laborandum non est.

3. *Ceterum etiam compenetrationis proprie dictae possibilitas satis ostendi atque intelligi potest.* Quod ita exponit *Schiffini:* „Si qua eluceret contradictio in compenetratione, quam asserimus, ea ex duplici capite enasceretur, nimirum vel ex naturali resistentia, qua videmus corpus *effective* aliud expellere, ne simul in eodem loco permaneant, vel ex ipsa *formali* distinctione locorum et situs quae in ipsa ratione diversarum quantitatum involvitur . . . Atqui ex utroque capite naturalis quidem impossibilitas demonstratur, non tamen absoluta. Nam restitiva illa efficientia quam unum corpus alteri opponit, ne in eundem locum subintret, vel per denegationem divini concursus necessario requisiti ad quamlibet actionem causarum secundarum vel per ipsum infinitum ex-

cessum divinae virtutis supra efficaciam omnem causarum finitarum impediri vel superari potest. Distinctio autem secundum situm, quae in ipsa formali ratione dimensivae quantitatis intelligitur, eatenus absolute prohiberet, bina corpora esse simul in eodem loco, quatenus remota distinctione situs eo ipso removeretur distinctio ipsorum subiectorum sive corporum. Atqui neque hoc demonstratur. Distinctio siquidem entitativa substantiarum corporalium est in signo priori ad eorundem distinctionem situalem. Remoto autem posteriori non propterea removetur quod est prius. Nec sequitur inde, quod ipsae dimensiones utriusque corporis confundantur aut aliquid contrarium geometriae principiis" (Disp. metaph. spec. th. 18.). Nimirum istae dimensiones non quidem situ vel loco externo, sed ipsa sua entitate distinctae manent.

2. *De replicatione corporis.* — Cum in ss. sacramento nulla exstet compenetratio proprie dicta, ut ostensum est, idem tamen certo includit corporis Christi replicationem. Intelligitur autem *replicatio esse simultanea eiusdem corporis in pluribus locis adaequatis existentia.* Locus vero adaequatus dicitur ille, in quo ut ab alio distincto totum corpus totaliter continetur. Porro si idem corpus in diversis locis singulis circumscriptive est, replicatio quoque circumscriptiva dicitur; si vero in diversis locis singulis definitive praesens est, pariter replicatio definitiva appellatur; si denique in alio est circumscriptive in alio definitive, replicatio mixta dicitur. Huiusmodi autem, i. e. mixta est, quam corpori Christi propter mysterium eucharisticum tribuamus necesse est. Sicut enim in coelo existit circumscriptive in propria specie et forma, ita in terra sub forma aliena i. e. specie panis et vini existit definitive in pluribus locis per universum terrarum orbem. Quare theologi catholici, replicationem mixtam et definitivam pariter possibilem esse communiter fatentur; sed plures iique graves theologi replicationem circumscriptivam inter ea, quae fieri nequeunt etiam potentia Dei absoluta spectata, amandandam esse opinantur. Concedunt scilicet, unum corpus in pluribus locis sacramentaliter esse posse, localiter vero in iisdem esse posse praefracte negant. Haec 4.

autem quaestio, cum ad dogma eucharisticum defendendum non spectet, sollicitos nos habeat necesse non est. Ceterum, quid hac in re probabilius sentiatur, in corollario adiecto breviter notabitur. Nunc iam ipsa thesis demonstratio instituenda est.

Demonstratio.

5. ***1. Probatio positiva.*** — Integram demonstrationem in duplicem partem dividere iuvat: alteram, qua veritas statuta in forma argumentationis positivae explicatur et confirmatur, alteram, qua argumenta opposita solvuntur vel tamquam inefficacia reiiciuntur. Porro ad primam partem conficiendam non una solum ratio praesto est:

1) Neque unitas individualis corporis neque praesentia eiusdem circumscriptiva replicationem eiusdem mixtam absoluta vel interna necessitate excludit. — Eatenus replicatio (sive multilocatio) mixta alicuius corporis repugnaret, quatenus per eandem corpus aut amitteret suam unitatem individualem, vi cuius nullum ens a semetipso separari potest, aut quatenus corpus per suam in aliquo loco praesentiam circumscriptivam formaliter ab omni alio loco excluderetur. Atqui neutrum dici potest: non primum: scilicet corpus per replicationem non amittit unitatem suam individualem; nam aliud est praesentia localis corporis, et aliud eiusdem unitas interna, quod manifeste patet, quia mutata praesentia locali, unitas corporis nequaquam mutatur. Ergo etiam replicata vel multiplicata praesentia locali, unitas interna non multiplicatur. Neque alterum dici potest: nimirum per circumscriptivam praesentiam in uno loco corpus ab omni alio loco formaliter excludi nequaquam intelligitur. Hac ratione quidem novam atque simultaneam praesentiam circumscriptivam in alio loco excludi, plures theologi opinantur; etenim, ita inquiunt, per circumscriptivam praesentiam corporis dimensiones cum dimensionibus spatii commensurantur, ex quo fit, ut dimensiones corporis ab uno loco comprehendantur et circumscribantur; nihil igitur earundem dimensionum iam cum alio loco commensurari potest, quia secus seipsis maiores evade-

rent. Quidquid dicendum est de hac demonstratione repugnantiae replicationis circumscriptivae, profecto ex eadem ratione minime probatur, non posse unum idemque corpus, quod alicubi est circumscriptive, alibi esse definitive vel ad modum spiritus: eiusmodi enim praesentia cum loco non commensuratur. Quare adversariis probandum restat, hanc ipsam praesentiam definitivam corporibus absolute repugnare; quod ipsum nunquam demonstrabunt. Ergo.

6. 2. *Possibilitas replicationis mixtae consequi videtur ex possibilitate praesentiae definitivae supra explicatae.* — Etenim per definitivam corporis praesentiam fit, ut totum corpus praesens sit in certo spatio continuo et totum in qualibet eius parte: atqui si totum corpus praesens esse potest in diversis eiusdem spatii partibus continuis, nulla ratione apparet, cur idem corpus praesens esse non possit in diversis partibus spatii disiunctis. Etenim Deus secundum suam immensitatem ubique est neque distat ab ulla spatii parte: ergo effectum, quem in continuis spatii partibus producit, scilicet praesentiam corporis definitivam etiam in dissitis partibus spatii producere valet. Neque intelligitur, cur praeter definitivas praesentias diversas una saltem circumscriptiva exstare non queat: ergo.

7. 3) *Explicatur replicato quodammodo per analogiam ex praesentia animae in diversis corporis partibus.* — Praeclare hanc analogiam exponit *Guitmundus* adversus Berengarium scribens: „Ipsam certo animam nostram corpore quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri, beatus Augustinus validissime probat. Qui ergo hanc nostrae animae potentiam praebuit, ut una eademque indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat, quare suae propriae carni id dignitatis, si vult dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est ecclesia, partibus tota simul indivisa possit haberi; cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit ecclesiae imo multo melius per Dei gratiam vita caro salvatoris . . . Cum vero sapientissimus Salomon

cunctas res esse difficiles dixerit, ita ut explicare eas homo non possit, nonne insanienti quam simillimus est, qui haec divina arcana discutere ad oculum violenter quaerit? Omnes enim creaturae Dei miracula nobis inexplicabilia sunt: Christus vero inter omnia aut prae omnibus miraculum singulare. Si igitur potest Christus efficere, sicut diximus, ut unaquaeque separata particula sit totum Christi corpus, et tamen omnes separatae non plura sint corpora sed unum corpus, quemadmodum vox mille hominum percutit aures, et apud unumquemque una est, nec tamen plures dicuntur sed una sola, et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam praebeat singulis, non plures tamen, sed una est anima, ita iam nulla ratio propter huiusmodi quasi partitiones obstare videtur, ut non possit, aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut ipse docuit et ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum" (De verit. Euchar. l. 1.).

8. **2. *Probatio negativa.*** — Per solutionem argumentorum, quae adversarii dogmatis congesserunt, demonstratio instituta magis confirmatur.

1) *Admitti nequit, quo admisso falsum redditur principium certissimum, quo mens humana regitur; admissa autem possibilitate replicationis corporum falsum est hoc certissimum cognitionis principium: Quae sunt in locis adaequate distinctis, ea realiter distinguuntur.* — *R.* Principium adductum non metaphysicum, sed physicum est, quare pariter non absolutum, sed conditionatum est i. e. conditionem subaudit, nisi per omnipotentiam divinam exceptio a lege physica fiat.

9. 2) *Non potest idem corpus esse in uno loco circumscriptive, in aliis definitive. Nam esse circumscriptive in loco aliquo dicit, ita in ipso esse, ut nihil eius, quod in ipso est, sit extra ipsum; ergo.* — *R.* Haec ratio mera petitio principii est et falsum sumit. Etenim corpus circumscriptive in loco esse nihil aliud dicit nisi ipsum ita in loco esse, ut partes corporis locati respondeant partibus loci locantis, minime vero includit, corpus ita esse in hoc loco, ut

in alio esse non possit. Aliis verbis: corpus esse circumscriptive in loco tamquam in spatio adaequato, non dicit ita esse in isto, ut nihil ipsius sit extra illud, sed dicit, ita in isto esse, ut nihil ipsius non sit intra illud.

3) *Idem a semetipso distare repugnat; per replicationem autem idem a semetipso distaret; ergo.* — *R.* Falsa est minor argumenti, cum loca quidem, in quibus corpus est, ab invicem distent, corpus autem neque a singulis his locis neque a semetipso distet.

4) *Idem nequit simul esse unum et plura; hoc autem* 10.
de corpore replicato affirmandum foret; nam corpus ut est in uno loco non continuatur cum corpore, ut est in alio loco, ideoque divisum est ab eo; quae autem divisa sunt, plura sunt; ergo. — *R.* Ne unitas rei confundatur cum unitate loci, utpote quae diversa sunt. Praeterea perperam sermo instituitur de continuatione, ubi non sunt plura tota vel plures eiusdem totius partes. Neque dici potest, inter corpus, ut in uno loco est et idem, ut est in alio loco, plura intercedere corpora ideoque ipsum a se ipso divisum cogitandum esse. Etenim non inter corpus, quod est in uno loco, et corpus quod est in alio, sed potius inter loca diversa eiusdem corporis plura alia corpora intercedunt. Verbo: Non idem corpus a semetipso distat, sed ab invicem distant diversa eiusdem corporis loca.

5) *Si idem corpus in pluribus locis esse ponatur, plures* 11.
repugnantiae inducuntur: poterit v. g. idem corpus esse sursum et deorsum, remotum et non remotum ab eodem loco; poterit insuper simul moveri et quiescere, accedere ad eundem locum necnon ab eodem recedere, simul calefieri et frigescere; poterit una lucerna illuminari universus orbis, poterit idem homo simul eidem assentiri et repugnare, simul dormire ac vigilare, simul vivere et mori; iamvero haec omnia absurda sunt; ergo. — *R.* Plura ex eis, quae ponuntur, sane absurda sunt, sed nequaquam ex replicatione corporis consequuntur; alia quidem ex replicatione consequuntur, sed minime absurda sunt. Scilicet inter diversa corporis attributa accurate distinguendum est: alia corpori ratione loci,

alia vera ratione essentiae et substantiae vel internarum proprietatum conveniunt. Iamvero illa cum locis multiplicatis et ipsa multiplicantur et pro diversitate locorum variantur: haec autem multiplicato loco non multiplicantur, utpote quae à loco non pendent neque cum ipso connectuntur; quare neque fieri potest, ut replicato corpore contraria sibi fiant. — *Praeterea* aliquid aliud insuper notandum est: scilicet limites efficientiae cuivis rei plus minusve angusti praefixi vel directe ex ipsa virium circumscriptione proveniunt vel inde directe oriuntur, quod applicari simul pluribus obiectis nequit. Iamvero illi replicatione non removentur nec mutantur, hi autem replicatione toties removentur, quoties per eandem ambitus obiectorum crescit, quibus corporis efficientia per se applicari potest. Quae cum ita sint, iam ad singulos casus obiectos aliosve facile respondetur. Itaque nihil repugnat v. g., quominus homo replicatus in uno loco quiescat, in alio autem moveatur; repugnat vero certissime, quominus in uno loco eidem rei assentiatur, in alio dissentiatur, necnon quominus in uno loco vivat, in alio autem moriatur. Non imaginatione scilicet, sed ratione res iudicandae sunt.

12. *6) Posita possibilitate replicationis, homo evadere posset omnipraesens vel immensus; quod absurdum est; ergo.* — *R.* Forte spectata potentia divina absoluta homo omnipraesens evadere posset; sed talis miraculi nulla ratio exstare posse videtur; quare repugnare videtur spectata potentia Dei ordinata. Immensus autem homo fieri in nullo casu potest; nam immensitas est proprietas infinita soli Deo propria. Ergo neque ex hac ratione absurditas ulla in conceptu replicationis demonstratur.

Cum haec sint potissima argumenta, quae contra possibilitatem replicationis produci queant, satis patet, dogmati catholico nihil ab argumentis philosophicis timendum esse.

Corollarium.

13. ***Etiam replicatio circumscriptiva possibilis esse videtur.*** — Quae assertio iam facile patet ex praecedenti expositione tota, sed aliquibus rationibus expresse productis confirmari potest.

1) *Ratio prima.* — Replicatio mixta vel definitiva, si propius inspicitur, facile cognoscitur ad circumscriptivam novum quoddam miraculum addere ideoque esse magis miraculosam quam hanc; circumscriptiva enim corporis praesentia naturalis, definitiva autem miraculosa est. Ergo si replicatio mixta vel definitiva possibilis esse asseritur, a fortiori possibilis dicenda est circumscriptiva. Profecto enim, cur Deus non possit circumscriptive ponere aliquod corpus ibi, ubi iam est definitive.

2) *Ratio altera.* — Eadem argumenta, quae contra cir 14.
cumscriptivam replicationem proponuntur, etiam contra definitivam et mixtam urgeri possunt. Etenim circumscriptive alicubi esse non dicit alibi non esse item circumscriptive; secus etiam diceret, alicubi non esse definitive; et definitive esse in aliquo loco pariter diceret, alibi non esse definitive; utrimque enim par est ratio; ergo.

3) *Ratio tertia.* — Addi potest argumentum ex factis quibusdam, quae veram replicationem circumscriptivam involvere videntur: nimirum Christus apparuit S. Paulo et simul sane in coelo sedebat ad dextram Patris; S. Alphonsus L. simul Neapoli visus est et simul Romae Clementi XIV. morienti astitisse refertur.

Nescio tamen, an hoc argumentum certum sit, cum illa similiave facta forte alia ratione explicari possint.

Thesis 8. Species eucharisticae tamquam vera et realia accidentia considerandae sunt.

Declaratio.

1. *De quanam re hic quaeratur.* — In prae- 1.
senti thesi et subsequenti adhuc aliud factum mirabile considerandum venit, quod cum modo existendi Christi in ss. eucharistia connexum est, scilicet permanentia accidentium panis et vini sine subiecto suo connaturali, imo vero sine ullo, cui inhaereant, subiecto. Nimirum transsubstantiatio panis in corpus et vini in sanguinem Christi sensibi-

liter non apparet. sed consecratione peracta eadem prorsus phaenomena sensibilia, quae antea aderant, etiam nunc manent: figura, sapor, color, extensio, resistentia etc. panis et vini; quae quidem phaenomena omnia simul uno nomine specierum comprehendi solent. Quare iam quaeritur, quomodo haec phaenomena explicentur: num scilicet sint species mere subiectivae vel intentionales, quibus a parte rei nihil respondeat de pane et vino relictum, an vero potius tamquam obiectivae et reales qualitates accidentales panis et vini relictae considerandae sint: et si quidem realia accidentia panis et vini sint, ulterius quaeritur, num hoc novum miraculum vel prodigium quadantenus explicari vel intelligi queat.

2. *2. Diversae sententiae.* — Postquam philosophia Cartesiana in scholis mvaluit, aliqui theologi novam quandam atque a communi priorum theologorum doctrina essentialiter diversam opinionem invexerunt statuentes accidentia panis et vini facta consecratione non manere secundum ipsam suam entitatem, sed secundum effectum solum ideoque ante et post consecrationem exstare specierum identitatem relativam quidem et sensibilem, non vero numericam et absolutam. Nimirum ex eorum sententia in phaenomenis, quibus corpora sensibus nostris se manifestant, nihil entitatis exstat, quae substantia ablata conservari queat; quare accidentia corporea eo solum sensu conservari possunt, quod Deus operatione sua tum extra sensus tum in sensibus ea efficiat omnia, quae antea substantia suis viribus intra extensionis suae fines naturaliter operabatur ac patiebatur. Itaque secundum hanc sententiam species panis et vini non sunt aliquid reale et physicum de pane et vino remanens, sed sunt operatio quaedam immediata Dei in sensus nostros atque in corpora circumstantia: quare perceptiones nostrae sensiles horum phaenomenorum spectato obiecto mere subiectivae et intentionales sunt atque reales dici possunt ad summum spectata causa sua efficiente Deo. Quae sententia proposita atque defensa est ab *Emmanuele Meignan* (philos. sacr tom. 1. c. 22.): atque eandem non quidem propugnarunt sed aliquatenus probabilem habuerunt

quidam theologi saeculi 18., ut v. g. *Drouin* atque *Witasse;* hac nostra quoque aetate aliqui eidem opinioni adhaeserunt accidentaliter modificatae; quod enim dicunt. Deum eodem loco, quo antea panis. eandemque resistentiam exerere adeoque eosdem motus vel easdem undulationes aëris vel aetheris ciere idcoque eadem phaenomena sensibilia producere. quae antea a pane producebantur, essentiale discrimen vix inferre videtur. Ad eandem etiam accedit quadantenus sententia a *Palmieri* proposita.

Ex adverso theologi antiqui usque ad saeculum 18. unanimiter docuerunt. species eucharisticas esse obiectiva vera realia accidentia vel formas accidentales obiectivas panis et vini realiter et numerice ante et post consecrationem identicas. quae accurate sensationibus nostris respondeant.

3. Argumentum thesis circumscribitur. — 3. Iam in praesenti thesi haec antiquorum theologorum doctrina. quatenus asserit obiectivam specierum eucharisticarum realitatem, tamquam theologice saltem certa argumentis probatur et defenditur; de sententia a *Palmieri* proposita in corollario adiecto iudicium fertur: quomodo vero illa accidentium sine subiecto permanentia aliquatenus explicari atque intelligi queat. in subsequenti thesi ostendetur.

Demonstratio.

1. Probatur ex doctrina SS. Patrum. — Et 4. quidem duplex hinc argumentum derivatur:

1) *Ex SS. Patrum de nova illa sententia silentio argui potest.* — Ne unus quidem illorum afferri valet. qui declaraverit, id quod de eucharistia sensibus percipimus. non esse aliquid physicum et reale: atqui hanc declarationem si quidem rei consentanea esset, necessario dedissent ad arcenda praeiudicia secus necessario oritura; homo enim connaturaliter et irresistibiliter inclinatur et rapitur ad iudicium ferendum, species eucharisticas esse aliquid reale et physicum: ergo.

2) *Ex diversis eorundem testimoniis.* — Et *primo quidem* 5 *polemice* contra haereticos realitatem specierum supponunt vel inculcant. Ita v. g. *Irenaeus* contra Gnosticos sacramenta vi-

sibilia, passionem Christi veram, resurrectionem carnis aliave similia negantes ita ex physica specierum realitate argumentatur: „Quemadmodum enim, qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti, sic et corpora eucharistiam percipientia, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia“ (adv. haeres. l. 4. c. 18.). Similiter contra Monophysitas disputantes maxime urgent specierum eucharisticarum realitatem atque hinc per analogiam ad esse physicum et reale humanae Christi naturae concludunt; ita v. g. *Theodoretus* non dubitat dicere, mystica symbola post sanctificationem a sua natura non recedere, sed manere in prioris essentiae et figura et forma adspectabili (Dialog. 2. Inconf.); *auctor epistolae ad Caesarium* dicit naturam panis permanere (inter oper. S. Chrysostomi M. 52, 758); *S. Gelasius* vel auctor libri de duabus naturis declarat, substantiam vel naturam panis non desinere, in suae proprietate naturae permanere (n. 14.); denique *S. Ephrem* dicit eadem a sensibili essentia non exidere: „Si enim etiam utrumque (utraque in Christo natura) est unius personae, nemo tamen mentis compos dicere potest, eandem esse naturam illius, quod est palpabile et non palpabile, visibile et invisibile. Sic etiam corpus Christi, quod a fidelibus sumitur (totum scilic. sacramentum eucharistiae) et a sensibili essentia non excidit et ab intelligibili gratia (i. e. a corpore Christi sacramentali) indivisum manet“ (apud Photium cod. 229.). Atqui ista analogia inter corpus Christi eucharisticum et Christum Deum-hominem aperte non subsisteret, imo vero comparatio potius Monophysitis utpote humanam Christi naturam phantasticam esse asserentibus favisset, si de realitate physica specierum eucharisticarum omne dubium exclusum non fuisset. Ergo:

6. *Secundo* autem SS. Patres etiam *thetice* claris verbis asseverant physicam specierum earundem realitatem. Sic v. g. agunt de eo, quod sensibile est in eucharistia atque exponunt, quaenam ipsius, ut a corpore et sanguine Christi distinctum est sit vis atque ratio; claris verbis docent, sicuti

cetera sacramenta. ita ss. eucharistiam ex duabus rebus visibili altera altera invisibili constare atque illam huius signum sensibile vel figuram esse. Aliisque loquendi modis physicam specierum realitatem significant. *Augustinus* exempli causa significat partem sensibilem eandem esse ante et post conversionem (de Trinit. l. 3. c. 10.): *Chrysostomus* species vocat res sensibiles (hom. 82. in Matth.): *Origenes* rem materialem (In Matth. t. 11. n. 14.): pariter *Cyrillus H.* (catech. myst. n. 4.); denique *Eutychius* dicit corpus et sanguinem Christi impositum esse atque quasi insertum antitypis et manere integrum in minimis etiam antitypi partibus (Apud Nicetam Choniat. in Alexio Comm. l. 3.). Profecto autem his omnibus clarissime obiectiva et physica specierum realitas significatur.

Excipiunt, etiam in sententia recentiorum speciebus 7.
manere realitatem physicam et obiectivam, utpote quae nihil aliud sint, nisi motus vel undulationes particularum aetheris, quae cum antea a substantia panis et vini dependerent, nunc miraculose a Deo cieantur. — *R.* Concedendum quidem est, in hac hypothesi speciebus competere obiectivam et physicam realitatem, verumtamen non esset ea, quam SS. Patres iisdem adscribunt. Et *primo* quidem non essent ante et post consecrationem eadem numero accidentia, quod tamen SS. Patres asserunt. *Secundo* non essent quidquam de substantia panis et vini relictum nec ullam connexionem ad eandem vel relationem cum ea haberent, utpote quae continuo a Deo cierentur, neque ullo rationabili sensu species relictae panis et vini dici possent. *Tertio* si substantia panis et vini sensibilis erat, quia illos aetheris motus ciebat atque sic in sensus nostros agebat, num igitur Deus nunc idem praestans sensibilis forte dici potest? Aliis verbis in illa hypothesi species quidem essent reales spectata causa efficiente earundem, sed a ratione obiecti et signi sensibilis deficerent. *Quarto* hoc maxime apparet considerata resistentia, utpote quae nihil aliud esset nisi operatio divina in subiecto sentiente vel corporibus recepta: nullo igitur pacto resistentia esset res quaedam permanens de pane et vino relicta et realiter distincta

a corpore Christi. Quibus breviter notatis iam manifestum est, illam hypothesin cum doctrina Patrum vix ac ne vix quidem conciliari posse. Verumtamen magis etiam aliis argumentis excluditur:

8. ***2. Ex doctrina theologorum saeculi 9. et 11.*** — In controversia eucharistica supra relata (th. 4. n. 28.) doctores ex utraque parte omnes certum ratumque habuerunt, ss. eucharistiam ex duabus rebus constitui, corpore scilicet et sanguine Christi atque ex speciebus panis et vini, cum sacramentum non sit, ubi signum rei sacrae reale et sensibile non exstet. Aliud vero signum reale et sensibile praeter species panis et vini profecto in ss. eucharistia non invenitur. — Deinceps vero doctores catholici contra Berengarium dogma transsubstantiationis defendentes idem principium profitebantur et urgebant. Ita v. g. *Hildebertus:* „Numquid ei (scilicet rationi humanae) capabile est, qualiter substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini conversa, non tamen conversa sunt pariter, sed manent, immutata, sine panis et vini substantia, tam panis quam vini accidentia? Quomodo accidentia sine subiecto, vel haec accidentia, in quo nata sint, sine subiecto? Via in istis est ignota rationi, sed non penitus ignota fidei. Ratio hic totum ignorat, sed fides praesumit, quod ratio non capit. Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam?“ (Tractat. de sacram. altaris). Similiter *Guitmundus* docens corruptis speciebus corpus Christi nequaquam corrumpi: „Quodsi forte cuivis curioso videantur comburi (sacra mysteria), certissime noverit, quod dominici sacramenti substantia quidem nullatenus crematur . . . qualitates vero sensuales, quas ibidem post immutationem substantiae Dei (Deus) remanere altissimo consilio voluit, ostendunt, quod suum est . . . Salva omnino dominici corporis substantia, corruptioni exterius ipsa accidentia aliquatenus videntur obnoxia, quatenus coelestis altitudo mysterii retentis velata accidentibus nec passim reveletur incredulis et probatae fidei merito uberius et gratius commendetur iustis“ (De corporis et sanguinis Domini veritate. l. 2.). Et *Lanfrancus* contra Berengarium

scribit: „Hoc modis omnibus contra te et sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiae duobus confici, duobus constare: visibili elementorum specie et invisibili Domini Iesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti (De corpore et sanguine Domini c. 10.). Denique *Algerus* specierum realitatem sic demonstrat: „Cum in sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentiatur, vel verum hoc esse vel phantasticum dicitur. Sed absit, ut perfecta veritas phantasiae fallacia astruatur . . . Alioquin si ex phantasia et veritate sacramentum Christi confici creditur, iam confectio non erit, cum ex aliqua re et nulla confectio constare non possit. Conficitur ergo sacramentum ex vero corpore Christi et sanguine et ex veris speciebus panis et vini" (De sacram. corporis et sanguinis Domini l. 1. c. 7.). Quae Algeri verba profecto talia sunt et adeo ad rem nostram spectant, acsi recentiorum illorum opinionem prae oculis habuisset eamque refutare voluisset (Cf. etiam Guilelmus abbas S. Theodorici, epist. de corpore et sanguine Domini, de sacram. alt. c. 3., disput. advers. Abaelard. c. 9.).

9. ***3. Ex theologorum scholasticorum consensu unanimi.*** — Cum hac in quaestione consentientes invenerimus inde ab antiquitate doctores catholicos, etiam theologi scholastici alioquin in rebus fidem non spectantibus saepenumero multum discrepantes in praesente tamen disputatione ad unum omnes conveniunt. Quare praecipuos tantum adducere satis erit. Itaque *B. Albertus* statuit „dicendum quod accidentia ibi manent sine subiecto"; atque se velle ait respondere ad obiectiones „tenendo quidem fidem, sed philosophiam non sequentes, nisi quantum possumus salva fide" (In 4. d. 12. a. 16.). Similitér *S. Thomas:* „Respondeo dicendum quod sensu apparet, facta consecratione omnia accidentia panis et vini remanere" (S. th. 3. p. q. 75. a. 5.): „Virtute Dei, qui est causa omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora (accidentia) prioribus (substantiis) sublatis" (Ibid. ad 1.). „In hoc sacramento nulla est deceptio: sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quae sensibus diiudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum

substantia . . . per fidem a deceptione praeservatur" (Ibid. ad 2.; cf. q. 77. a. 1.: in 4. d. 12. q. 1. a. 1. sol. 1.) Neque aliter *Scotus:* „Accidentia panis et vini relinquuntur in hoc sacramento sine subiecto. Hanc conclusionem, quippe cum catholica sit, nefaria esset haeresis negare" (In 4. d. 10. q. 2. ad 1.). Et *S. Bonaventura:* „Congruit ibi accidentia remanere, sicut dicit Hugo, in solatium sensus, et in fidei meritum" (In 4. d. 12. p. 1. a. 1. q. 2.). „In sacramento eucharistiae vere sunt accidentia sine subiecto" (Ibid. q. 3.). „Communiter tenent magistri, quod accidentia sunt ibi sine subiecto" (Ibid.). „Quia Christus sub illis speciebus esse debebat non secundum mutationem factam in ipso, sed potius in eis, ideo ad prolationem duplicis verbi praedicti, in quo insinuatur existentia Christi sub speciebus illis, fit conversio substantiae utriusque in corpus et sanguinem, remanentibus solis accidentibus tamquam signis ipsius corporis contentivis et etiam expressivis" (Breviloquium p. 6 c. 9.). Neque aliter Nominales, ut *Occam* (In 4. d. 11. c. 6.) et *G. Biel* (In 4. d. 12. q. 1.) aliique.

10. *Post concilium Tridentinum* theologi eadem ratione loquuntur. Ita v. g. *Dominicus Soto:* „Accidentia panis et vini relinquuntur in hoc sacramento sine subiecto . . . Praesentem conclusionem, quippe cum catholica sit, nefariae esset haeresis negare" (In 4. d. 11. q. 2. a. 1.). Similiter *Toletus:* „In hoc sacramento remanent species panis et vini, i. e. accidentia ipsa . . . dicta conclusio est de fide" (In S. th. 3. p. q. 75. a. 5.). Atque *Suarez:* „Manere aliqua accidentia panis et vini consecratione peracta, quod non solum fide certum est, sed etiam sensibus est manifestum . . . praesertim cum illud fingere (sc. accidentia tantum apparentia) contra fidem sit et contra veritatem sensibilis sacramenti . . . Haec accidentia, quae in hoc sacramento videntur, esse eadem numero, quae in pane et vino praefuerunt . . . est res certa in doctrina fidei" (D. 56. s. 1. n. 1. coll. ipso commentario in q. 77. a. 1.). Eadem ratione ceteri theologi hanc quaestionem determinant. Quorum sententias hac in re diligentissime collegit *Theophilus Raynaudus* in opusculo: „Exuviae

panis et vini . . . lucubratio, qua ostenditur, esse veras qualitates tum a spectris sensuum ludificantibus tum a substantiis inter poros panis existentibus realiter distinctas" (op. ed. lugd. 1665. t. 6. p. 407.). Adducit autem supra triginta theologos, qui opinionem ab ipso impugnatam haereticam declarant. Itaque perfectus prosus consensus theologorum hac in re exstat.

Notandum vero est, veteres hos theologos ad hunc explicandi modum non ideo forte adductos esse, quia modus explicandi phaenomena sensibilia per impressiones mere subiectivas ipsis plane ignotus fuerit; quippe quem explicandi modum etiam in ipso hoc sacramento eucharistico admittere non dubitant, cum ex principiis theologicis, quominus admittatur, nihil repugnat. Ita ipse *S. Thomas* de miraculosa apparitione carnis vel pueri in hoc sacramento agens aliquando hunc modum explicandi admittendum esse declarat: „Dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro aut sanguis aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, acsi expresse viderent exterius carnem vel sanguinem vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti . . ." (S. th. 3. p. q. 76. a. 8.). 11.

Praeterea, quod pariter considerandum est, nonnunquam ad sensuum quidem testimonium provocant; attamen imprimis propter fidei principia istam accidentium a substantia separatam existentiam declarant esse tenendam atque eandem ex naturali ratione demonstrari non posse ultro concedunt. Ita v. g. *Suarez:* „Prima sententia est, essentialem rationem omnis accidentis consistere in actuali inhaerentia ad subiectum. Ita videntur sensisse philosophi gentiles, qui putarunt, nulla ratione fieri posse, ut accidens extra subiectum conservetur . . . Hanc vero sententiam ut dixi damnat catholica fides, saltem ut non possit universaliter vera esse . . . An vero possit ratione naturali sufficienter probari contra philosophos, non repugnare, ut accidens conservetur separatum a subiecto, attigi in commentariis ad 3. p. q. 77. 12.

a. 1., et sane opinor, simpliciter non posse probari ab homine, maxime cum nec distinctio realis quantitatis a substantia ex sola ratione sufficienter demonstretur, et separatio qualitatum ab omni subiecto (scilicet etiam a quantitate) nonnullis etiam catholicis impossibilis videatur. Possunt igitur sufficienter solvi argumenta, quae apparenter ostendere possunt, hoc esse impossibile" (Metaphys. d. 37. s. 2. n. 2.—4.: coll. d. 40. s. 2. n. 8.).

13. Ad unum solum theologum antiquiorem adversarii provocare solent et cum aliqua apparentia saltem provocare possunt, scilicet ad Cardin. Petrum de Alliaco. Verum reipsa immerito ad eundem appellant: etenim exponit quidem Cardinalis opinionem de speciebus panis intentionalibus, verum ut eam, quam imaginari quis posset, quin ideo haereticus habendus esset. Suam autem hanc opinionem minime fecit, sed communem doctrinam sectatur: „Quarta et communior opinio et cui favet magis doctrina ecclesiae, est, quod in sacramento accidentia, quae fuerant panis, remanent sine subiecto et in illis fit fractio, et hanc teneo" (In 4. sent. q. 6. c. 3.).

14. ***4. Ex conciliis, nominatim Constantiensi et Tridentino.*** — Doctrinae in hac thesi vindicatae maxima auctoritas accedit ex variis conciliis:

1) *Ex concilio constantiensi.* — Hoc scilicet concilium damnavit binos istos Wicleffi articulis: 1. „Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris." 2. „Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento." Ergo, cum contradictoria propositionis damnatae vera sit oporteat, ex doctrina concilii dicendum est, accidentia manere sine subiecto.

15. *Verum hanc claram illationem adversarii eludere conantur primo excipiendo hac ratione:* Duplici alio sensu accipi posse propositionem alteram, scilicet aut significare: Una cum accidentibus manet etiam subiectum eorum, aut vero sensum esse: neque subiectum neque accidentia manent. Iamvero non in altero, sed in primo sensu damnatam esse secundam propositionem contendunt, ita ut in secundo arti-

culo idem error qui in primo reiectus sit. Recte autem concilium utrumque articulum condemnasse, quia uterque in scriptis Wicleffi exstabat, et quamvis sensus eorum sit idem, diversum tamen esse modum dicendi. Nihil igitur colligi posse ex propositione illa damnata in favorem accidentium absolutorum sine subiecto existentium. — *R. Sed parum probabiliter haec excipiuntur*, quamvis primo aspectu speciem aliquam probabilitatis habeant. Etenim *primo Wicleffus* non solum conversionem substantiae panis in substantiam corporis Christi, sed etiam accidentium permanentiam negavit et impugnavit tamquam distincta doctrinae capita: „In duobus stat nostra variatio in hac materia: 1.° in propositione affirmativa, qua dicitur, quod accidens est sine subiecto: 2. in propositione negativa, quod non remaneat substantia panis et vim post consecrationem" (de apost. c. 16.). Atque ibidem doctrinam de accidente sine subiecto existente vocat „scandalosum mendacium, quia non potest sic esse de potentia Dei absoluta" (c. 21.). Et alibi iterum similiter contendit: „Talia accidentia . . . nec possunt per se esse nec in aliis accidentibus subiectari; ergo relinquitur, quod sit subiectum aliquod, ut panis vel aliquid haec subiectans" (Dial. 4. 5.). Si vero ipse haec duo distincta doctrinae capita docuit, Concilium etiam duobus obiective distinctis articulis eadem expresse reiecisse dicendum est. — *Deinde* theologi quoque cum Wicleffo coaevi secundum articulum damnatum tamquam a primo distinctum acceperunt, ut *Thomas Waldensis* in opere „Doctrinale fidei", quod opus dedicatum est Martino V. et ab ipso approbatum (t. 2. c. 77—83.). Qui auctor etiam refert, Wicleffum praecise separabilitatis accidentium negatione ad negationem transsubstantiationis adductum esse (cf. ibid. c. 17. n. 5.). Ergo si vera esset adversariorum explicatio, fundamentalis haereticorum error a concilio damnatus non esset. Sicuti Thomas Waldensis, ita etiam Walsingham damnationem articuli secundi accepit (cf. D'Argentrée, coll. iudic. t. 1. p. 2. p. 8). — *Denique* exstat testimonium omni exceptione maius „Theologorum constantiensium brevis censura 45 articulorum Wicleffi a. 1415. in concilio prodita", in qua circa

articulum secundum haec notantur: „Accidentia panis non manent sine subiecto in sacramento altaris. Hoc est falsum et erroneum et sapiens haeresim universaliter intellectum (ita sc., ut etiam quantitas in subiecto inhaereat). Quia si talis quantitas, quae fuit quantitas panis, non manet sine subiecto in sacramento altaris, erit tunc vel in corpore Christi, vel in pane vel in utroque vel in aëre circumstanti. Non primum. Quia corpus Christi non est quantum tali quantitate: esset enim tunc monstruosum; tum quia talem formam habet, qualis in iudicio apparebit, secundum Magistrum. Non secundum, quia tunc panis iste non esset conversus in corpus Christi nec transsubstantiatus, contra decretalem de summa Trinitate et fide catholica. Essent etiam falsae istae propositiones demonstrativae: *hoc est corpus meum;* et: *hic est sanguis meus* (Matth. c. 26.). Quod est haereticum. Nec tertium. Nulla enim substantia remanet in sacramento altaris, nisi corpus Christi (De cons. dist. 2. c. ‚omnia'). Ubi sic, et sunt verba Ambrosii et recitantur a Magistro in 4. d. 11. c. Quidam vero: „Panem illum, quem sumimus in ministerio, illum utique intelligo, qui manu Spiritus Sancti formatus est in utero Virginis et igne passionis decoctus in ara crucis Unde Ioan. c. 6: *ego sum panis vivus* et: *panis, quem ego dabo* etc." Ex his duabus sententiis aperte potest intelligi, quod panis iste et iste non sunt duo, sed unus. Nec quartum, quia aër circumstans est locus illius quanti vel ultima superficies eius. Patet etiam haeresis istius conclusionis: quia, qui aliter sentit de sacramentis ecclesiae, quam Romana ecclesia, haereticus est. Romana autem ecclesia sentit, accidentia esse sine subiecto in sacramento altaris" (cf. Herm. von der Hardt, Rerum Concilii Constant. III, 171.). Apertum vero est, hanc censuram referri ad Wicleffi articulum ita, ut distinctus esse intelligatur a primo.

16. *Excipiunt etiam hoc loco adversarii, ut Witasse et Drouin, ex Petro Alliaco,* utpote qui censet, ut dictum est supra, eum non fore haereticum, qui species eucharisticas mere intentionales haberet. Ergo concludunt, Wicleffi articulum alterum in sensu asserto a Concilio constantiensi damnatum non esse.

quia scilicet secus Petrus de Alliaco, qui huius Concilii magna pars fuit, illa scribere non potuisset. — *R.* facile: Quando Petrus de Alliaco commentarios in 4 sentent. libros conscribebat, ad decreta Concilii Constantiensis respicere nequivit, utpote quos commentarios iunior, magister Parisiensis, conscripsit, cum multis annis post demum cardinalis crearetur et Concilio Constantiensi interesset.

2) *Ex concilio Tridentino.* — Haec enim synodus ita 17.
definivit: „Si quis . . . negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis et vini . . . a. s." (Sess. 13. can. 2.). Iamvero synodum inciso illo „manentibus dumtaxat speciebus . . ." significare, conversis substantiis panis et vini manere realia eorundem accidentia eo constat, quod eiusdem concilii tempore terminus „species" communiter significabat accidentia sensibilia realia; eiusmodi enim usui loquendi concilia se accommodare solent et debent, siquidem ab hominibus recte intelligi volunt. Neque tamen ideo eo canone veritas, de qua agitur, directe definita esse videtur, quia intentio concilii erat, eo canone definire transsubstantiationem; atque species permanere non directe statuit, sed indirecte docuit ad declarandum illud, quod directe definitum est. Quare ex concilio Tridentino doctrina communis maxima auctoritate munita est; verumtamen ex eodem concilio saltem dogma fidei non est.

Excipiunt adversarii contra hoc argumentum. Concilium 18.
Tridentinum nunquam adhibere vocem *accidentium*, saepissime autem vocem *specierum*, ut v. g. novies sess. 13. cap. 3., id autem nonnisi ex certa intentione factum esse videri, quia scilicet vox *species* per se primo solas species intentionales significet. *Deinde* urgent, Concilium etiam dicere speciem panis, speciem vini in numero singulari; si autem eo termino significare voluisset accidentia, potius adhibendum fuisse numerum pluralem et dicendum v. g. sub speciebus panis, sub speciebus vini. — *R. primo:* haec quaestio potissimum certe ex usu loquendi ea aetate vigente determinanda est, iamvero

ut dictum est, ille usus loquendi adversariis minime favet. verum eorum opinationem potius excludit. — *Praeterea* vox species (εἶδος) primario significat id. quod in corpore est immediatum obiectum visus et deinde aliorum sensuum, seu accidentia sensibilia. Inde vero derivata est altera significatio, qua etiam sensibilis repraesentatio species dicitur. Tamvero Concilii decretum inter se opponit substantiam desinentem et permanentes species: satis inepte autem in hac connexione substantia opponeretur sensationibus subiectivis: nam Concilium de obiectivo rerum statu loquitur. *Deinde* Concilium omissa voce accidentis aptissime vocem speciei adhibuit, quia eadem res accidens dicitur. quatenus in substantia inhaerere nata est. species autem vocatur ad significandam eiusdem relationem ad sensus nostros. — *Denique* vox speciei in numero singulari adhibetur, quia inservit ad totum accidentium complexum significandum. Quae tota explicatio confirmatur a *Catechismo Tridentino:* „Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur . . . . panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subiecta constare. Nam cum ante demonstratum sit, corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita ut amplius nulla subsit panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt: relinquitur, ut supra omnem naturae ordinem ipsa se. nulla alia re nixa, sustentent. Haec perpetua et constans fuit catholicae ecclesiae doctrina. quae etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit. quibus antea planum factum est. nullam residere in eucharistia panis et vini substantiam" (P. 2. c. 4. n. 45.).

19. 3) *Accedunt duo alia documenta ecclesiastica.* — In *officio corporis Christi* legimus: „Accidentia sine subiecto in eodem sacramento subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum, et sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis" (l. 5.). — Praeterea anno 1694 a *Congregatione Indicis* haec propositio damnata est: „Eucha-

ristiae accidentia non accidentia realia, sed merae illusiones et praestigia oculorum sunt."

5. *Ex ratione theologica.* — Quod hucusque do- **20.**
cumentis positivis demonstratum est, pluribus rationibus congrue et egregie confirmatur:

1) *Ex eo, quod ss. eucharistia sacramentum est.* — Etenim sacramentum essentialiter est signum sensibile: atqui tale signum ab omnibus intelligitur esse obiectiva et sensibilis realitas; ergo qui asserunt, species eucharisticas esse phaenomena mere subiectiva, a ss. eucharistia rationem sacramenti auferunt. — *Praeterea* ex hac sententia dicendum esset, ss. eucharistiam desinere esse sacramentum toties, quoties nemo in eandem sensibiliter intendit, quoties v. g. inclusa asservatur in tabernaculo; deinde multiplicaretur sacramentum pro numero hominum simul ad eandem sensibiliter advertentium; denique toties novum sacramentum esset, quoties denuo ab eodem homine videretur. Quae omnia perabsurda esse facile intelliguntur. Ergo.

2) *Ex veritate verborum Christi: Hoc est corpus meum.* **21.**
— „Necesse est aliquid remanere, ut verum sit, quod dicitur: *Hoc est corpus meum;* quae quidem verba sunt huius conversionis significativa et factiva; et quia substantia panis non manet . . . . necesse est dicere, quod maneat id, quod est praeter substantiam panis" (c. g. l. 4. c 63.). Nimirum vox *hoc* formaliter significat aliquid sensibus praesens; haec autem significatio non remanet, si illud non adest, per quod formaliter praesens aliquid constituitur i. e. accidentia sensum afficientia. Ut igitur significatio vocis *hoc* servetur, necesse est, ut accidentia continentia, per quae aliquid formaliter praesens sensibus constituitur, eadem remaneant et solum substantia contenta varietur; haec enim cum prius esset panis, hunc corpus Christi est.

3. *Ex veracitate sensuum nostrorum.* — Hoc quoque **22.**
argumentum iam a *S. Thoma* propositum est vel innuitur; „Non tamen hoc fieri dicimus, quasi species illae, quae sensibus apparent in sacramento, sint solum in phantasia videntium, sicut solet esse in praestigiis artis magicae, quia veri-

tatis sacramentum nulla fictio decet" (opusc. c. Graecos c. 8.). Et iterum: „Accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt (sacramento), ut sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis" (Offic. corp. Christi lect. 2. noct.). Scilicet proprium sensuum externorum obiectum sunt accidentia, non substantia; quare vera sensuum deceptio esset, si simul cum substantia panis accidentia quoque eiusdem essent ablata et nihil haberetur nisi mera apparentia obiecti a parte rei nullo modo existentis. Atqui sensus quoad proprium obiectum non falluntur; et certe non falluntur necessario vel non ita, ut error per naturale rationis vel supernaturale fidei lumen praecaveri vel corrigi non possit. Iamvero in praesenti illa sensuum deceptio non posset corrigi per rationem, quia ratio sensuum testimonium potius confirmat eo, quod dictat, constantem, universalem, a nulla subiectiva hominum dispositione dependentem experientiam sensuum visus, gustus, auditus, tactus, olfactus non fallere. Neque per fidei lumen ille error corrigeretur, quia fides nos potius docet accidentia sine subiecto in hoc sacramento permanere. Ergo.

23. *Excipitur immerito*, SS. Patres saepenumero hortari, ne credamus sensibus, quippe quorum testimonium in errorem inducat etc., vel in hymo *Adoro te devote latens deitas* recte dici: „Visus, gustus, tactus in te fallitur" — Etenim respondetur, in his omnibus asseri, sensus falli vel fallere non circa proprium obiectum, sed quatenus intellectus propter testimonium sensuum pronus est ad ferendum falsum iudicium circa ipsam substantiam, quae sensibilibus qualitatibus subest, atque ideo facile errat, si ad fidei doctrinam non attendat.

24. *Confirmatur autem haec ratio* inde, quod Deo illa sensuum deceptio tribuenda esset tamquam ab ipso intenta: produceret enim non tantum species mere subiectivas coloris, odoris, saporis etc., verum etiam phaenomena subiectiva corruptionis, quod etiam magis absonum apparet. Apposite *Algerus:* „Cum autem in sacramento forma panis, soliditas, color, sapor sentiatur, vel verum hoc esse vel phantasticum dicitur. Sed absit, ut perfecta veritas phantasiae fallacia

astruatur, maxime cum ipsi angeli et ipse Spiritus Sanctus in columba vel linguis igneis quoties apparuisse leguntur, non phantastica, sed vera corpora in aëre assumere astruantur; et in ceteris omnibus sacramentis Novi Testamenti et veteris, nihil phantasiae, sed omnia vera inveniantur. Absurdum enim revera est, ut quod non vere est, veritatem approbet, et quod de se fallit aestimationem, de alio veram exhibeat fidem. Phantastica enim illusio magicis congruit et diabolicis fraudibus, veritatis autem assertio divinis sanctionibus. Ne ergo phantastica species sacramento Christi aliena prorsus et indigna superinduci credatur, quomodo id non solum rationi, sed et auctoritati sit contrarium videamus" (De sacram. corp. et sanguin. Domini l. 1. c. 7.).

4) *Ex variis praedicatis, quae speciebus attribuuntur.* 25. — Nimirum ex communi loquendi ipsius ecclesiae usu species eucharisticae dicuntur frangi, separari, tangi, consumi, corrumpi etc.; atqui haec omnia inepte de phaenomenis mere subiectivis dicuntur; ergo. Apposite hac de re Cardinalis *Billot:* „Fateri necesse est, species sacramentales frangi, iuxta illud rythmi ecclesiastici: „Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur"; at, quaeso, quid est, quod frangitur? Fateri necesse est, sub singulis specierum partibus, separatione facta, ut Tridentinum ait, totum Christum contineri; at iterum, quid est, quod separatur? Fateri necesse est, circumgestari sacramentum, et de loco in locum transferri: at, cum corpus Christi ibi sit intangibile et secundum se minime asportabile, quid est, quod primo, quod directe, quod ratione sui circumgestatur? Fateri necesse est, species corrumpi, et ad eorum corruptionem desinere Christi praesentiam; sed si dicas non manere qualitates panis et vini in quantitate dimensiva panis tamquam in vice-substantia (sicut postea dicetur) subiectatas, quid est, quod corrumpitur? Quid illud, ad quod sequitur desitio praesentiae? Ecce ergo labimur in novi generis occasionalismum: nam occasionalismus, quam invexit Malebranchius, adstruebat Deum omnia per se solum operari, occasione tamen eorum quae vere in rerum

natura accidunt; nunc autem ponitur operatio Dei sacramentali praesentiae terminum imponens, occasione eius quod ne quidem vere accidit, sed solum accidisset, si non fuisset ipsa praesentia quae nunc debet auferri. — De veritate igitur accidentium nullus relinquitur dubitandi locus" (Thes. 40. § 1. in fine.).

26. 5) *Ex ratione transsubstantiationis.* — Etenim ad rationem transsubstantiationis sive conversionis saltem si sensu magis proprio sumitur, intrinsecus pertinere videtur, ut ex termino totali a quo remaneat aliquid reale in termino totali ad quem: quod inferius quidem explicabitur; iamvero haec conditio deesset in transsubstantiatione eucharistica, si species eucharisticae quidquam reale non essent. Ergo.

Corollarium.

27. ***1. Improbabilis apparet explicatio specierum eucharisticarum a Palmieri proposita.*** — Hunc scilicet in modum res ab ipso explicatur: „Accidentia manere duplici modo intelligitur: Primo, quod realitas eadem, quae prius inerat substantiae, perseveret separata ab illa; secundo quod obiectivum phaenomenon idem secundum speciem maneat. Porro sensus hoc alterum solum certe testantur. Atqui hoc idem phaenomenon haberi potest, etsi omnis realitas tum substantialis tum accidentalis panis et vini desinat. Supponimus enim, substantiam propriam panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem, sicut et cuiuscunque corporis naturalis; scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quae sinus omnes corporis pervadit quaeque cohaerentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur, desinere omnem substantiam panis et vini Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quae illi commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus, habebis eadem phaenomena et quidem obiectiva h. e. a causa existente a parte rei determinata, quae prius habebas" (Cosmol. th. 26. p. 183. ss.). — Verum haec sententia admitti nequit. Etenim quamvis secundum hanc explicationem species eucharisticae quodammodo essent phaenomena obiectiva atque in-

super aliquid panis et vini vel latiori sensu i. e. vulgari non philosophico etiam accidentia eorundem dici possent, quatenus scilicet certa materia imponderabilis determinata et fixa ratione mota cum singulis panis atomis inseparabiliter sit coniuncta: attamen aliae proprietates speciebus eucharisticis certo convenientes in hac sententia non servantur, sed e medio tolluntur: quod facile patet his rationibus consideratis:

1) *Ratio prima:* — Secundum consensum veterum theo 28
logorum atque ecclesiastica documenta consecratione peracta accidentia panis sine subiecto remanent; atque id quidem semper tamquam miraculum divinae omnipotentiae consideratum est; atqui haec in ista sententia sibi non constant; ergo. Aliis verbis: Species eucharisticae semper tamquam accidentia proprie dicta considerabantur atque sine ullo subiecto (ut aëre etc.) subsistere credebantur; id autem in opinione ista non verificatur: ergo.

2) *Ratio altera.* — Haec sententia excluditur per verba 29.
Christi: *Hoc est corpus meum.* Etenim, ut haec verba vera sint, terminus demonstratus pronomine *hoc* non potest esse nisi solum corpus Christi; quare sicuti sub phaenomenis sensibilibus specierum excluditur substantia panis, ita etiam omnis alia substantia quae phaenomenis sensibilibus sit substrata ut subiectum sustentans, sive est materia ponderabilis sive imponderabilis, omnino excluditur: ergo.

3) *Ratio tertia.* — Ex ratione sacramenti quoque haec 30.
opinio excluditur. Etenim ex communi omnium fidelium sensu consecrationi uni unum respondet individuum sacramentum. Atqui in opinione, de qua agitur, non unum sacramentum responderet, sed multiplex: scilicet continuo sacramentum mutaretur, quia continuo mutantur materia imponderabilis eiusque motus vel undulationes, in quibus sensibiles qualitates atque species formaliter esse dicuntur: ergo.

4) *Ratio quarta.* — Neque in hac opinione sensationes 31.
nostrae obiectivae essent. Nimirum in hac sententia supponitur vel involvitur, obiecta sensationum nostrarum nihil esse aliud nisi motus aetheris vel aliorum corporum certa lege

moderatos; atqui sensus nostri obiecta sua repraesentant non tamquam meros motus continuo variantes, sed tamquam sensibiles qualitates permanentes: ergo in illa opinione positive difformes sunt a suo obiecto atque eatenus subiectivae; nam repraesentatio sensilis non ideo iam est obiectiva, quia causatur a re existente, sed ideo demum, quia rem, a qua causatur, etiam repraesentat.

32. *Excipiunt*, ex scientiis physicis certum esse, sensibilia propria ut colorem, sonum, etc. non esse nisi motus undulatorios aetheris vel aliorum corporum; ergo. — *R.* certum est, cum illis sensibilibus certos determinatosque motus esse coniunctos, verum eadem his motibus constitui vel absolvi certum nequaquam est. Apposite *Tilman Pesch:* „Quae theoria undulationis quidem, postquam Thomas Young, Fresnel alii eventus naturales maiore cum diligentia observarunt, hodie ut vera ac certa a physicis celebratur. Et recte quidem physici, quippe qui in detegendis legibus operam suam collocarint, in motibus illis undulatoriis contemplandis haerent. Verum turpe erit philosopho, qui in perscrutandas rerum causas incumbat, hoc loco nullius rei mentionem habere, nisi motuum localium, quasi aliquid certis et determinatis modis moveri possit, quod horum motuum causas certas non habeat et determinatas. Redeundum igitur est ad sententiam illam, quae lucem non esse corpus, sed accidens sive qualitatem corpoream activam docuit" (Institutiones philos. natur. n. 380, nota 1.: cf. Heinrich-Gutberlet, dogm. Theologie Bd. 9. § 541. et Jahrbuch der Naturwissenschaften 16. Bd. S. 466.)

33. ***2. Minus etiam probanda est explicatio a Tongiorgi proposita.*** — Hic auctor pariter theoriis physicorum recentioribus innitens ita rem nostram explicare posse autumavit: „Fac itaque sublata v. g. panis substantia divinam virtutem efficere, ut in loco, ubi panis erat, intraque eosdem limites resistentia habeatur eodem modo atque ordine, quo a panis illius atomis atque moleculis exercebatur. Ex hoc illico habebis extensionem eamque mobilem ac divisibilem, similem in omnibus extensioni panis: habebis eandem figuram,

cohaesionem, duritiam ceterasque qualitates generales et speciales, quas panis prae se ferebat . . . Facile colliges, quo pacto iuxta hanc sententiam accidentia corporum absque subiecto manere dicuntur. Manent videlicet non secundum entitatem, quam prius in substantia habebant, sed secundum entitatem effectuum; suntque haec accidentia sine subiecto identica cum accidentibus, quae prius erant in subiecto, non identitate numerica et absoluta, sed identitate relativa et sensibili" (Cosmol. n. 237. 239.). — Sed facile intelligitur, contra hanc explicationem facile accommodari posse atque valere pleraque argumenta tum ea, quae in corpore thesis, tum ea, quae modo in corollario primo contra Palmieri proposita sunt. Ceterum haec ipsa opinio iam supra repellendo exceptionem directe exclusa est (n. 12.).

34 ***3. Accidentia igitur panis et vini in ss. eucharistia sine ullo subiecto existere dicenda sunt: nominatim neque corpus Christi ullo pacto tamquam subiectum eorundem considerari potest.*** — Haec assertio in superioribus quidem iam probata continetur: verumtamen maioris claritatis causa argumentis in unum collectis eandem formaliter et expresse hoc loco exhibere et evolvere iuvabit. Audiatur prius *S. Thomas* hanc veritatem demonstrans: „Accidentia panis et vini, quae sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis et vini, quae non manet . . . neque etiam in forma substantiali, quae non manet, et si remaneret, subiectum esse non posset . . . Manifestum est etiam, quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici: neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates. — Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subiecto in aëre circumstante. Sed nec hoc esse potest, primo quidem, quia aër non est huiusmodi accidentium susceptivus. Secundo, quia huiusmodi accidentia non sunt, ubi est aër, quinimo ad motum harum specierum aër

depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum, ut scilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno subiecto, postmodum fiat in alio. — Quarto, quia cum aër non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec potest dici, quod hoc fiat miraculosa virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant, quae tamen non efficiunt nisi suum significatum. — Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc sacramento manent sine subiecto, quod quidem virtute divina fieri potest: cum enim effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens subtracta substantia per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine" (S. th. 3. p. q. 77. a. 1.). Itaque:

35. 1) *Certis rationibus constat accidentia eucharistica nulli cuicunque subiecto inhaerere.* — *Prima ratio* est communis doctorum per multa saecula consensus unanimis. *Altera ratio* est propositio Wicleffi a Concilio Constantiensi damnata. *Tertia ratio* est, quia cum accidentia substantiae proportientur, accidentia panis nonnisi substantiae panis, nulli autem alteri substantiae tamquam subiecto inhaerere possunt.

36. 2) *Specialibus insuper rationibus constat, accidentia eucharistica inhaerere non posse in ulla substantia a corpore Christi distincta.* — *Prima ratio* est, quia nulla alia substantia in eodem loco cum accidentibus eucharisticis invenitur. *Altera ratio* principalis et decisiva est, quia per accidentia eucharistica praesens demonstratur solum corpus et sanguis Christi; si vero accidentia eadem in alia a corpere et sanguine Christi distincta substantia tamquam in subiecto inhaererent, imprimis haec substantia per accidentia demonstraretur, non vero corpus et sanguis Christi; ergo.

37. 3) *Pariter ex specialibus rationibus manifestum est, neque corpus Christi proprium accidentium eucharisticorum subiectum esse.* — *Prima ratio* est, quia accidentia panis et

vini maxime corpori humano non conveniunt idemque afficere non valent; secus corpus ab ipsis affectum ab ipsis acciperet eorum figuram, colorem, odorem etc.. quae satis absona illico apparent. *Altera ratio* est, quia corpus Christi alterari non potest ad eiusmodi qualitates et affectiones suscipiendas, utpote quod gloriosum et impassibile est. *Tertia ratio* est, quia. sicuti accidentia corporalia non conveniunt puro spiritui. ita accidentia eucharistica utpote extensa repugnant corpori Christi sacramentaliter praesenti, quippe quae praesentia inextensa eaque ratione spiritualis est. Ergo. — *Notandum tamen est,* corpus Christi secus ac aliae substantiae speciali modo cum speciebus eucharisticis connecti; secus per easdem demonstrari non posset. Sed hoc in thesi subsequenti explicandum est.

Scholion.

1. Obiectiones solvuntur. — Plerisque difficultatibus iam in ipsa thesi expeditis, restat, ut obiectiones quaedam philosophicae expediantur: 38.

1) *Esse accidentis est ipsum eius inesse. Ergo neque potentia Dei absoluta accidens existere potest sine subiecto.* — *R.* Accidens quidem vi essentiae suae exigit inesse alicui subiecto; verumtamen accidentis esse atque eiusdem inesse simpliciter identificari arbitrario et falso asseritur. Nimirum inesse accidentis ad esse eiusdem absolutum addit quendam modum essendi, qui ipsi propter ordinem ad proximum suum principium proprius est. Nulla igitur terminorum repugnantia involvitur, quominus accidens existat quidem, in subiecto tamen actu non sit.

2) *Non esse in subiecto. est definitio substantiae, esse vero in subiecto, accidentis definitio est. Si igitur aliquod accidens sine subiecto esset, eidem tribuenda esset definitio substantiae aut dicendum foret aliquod medium inveniri inter esse in subiecto et non esse in subiecto: quod absurdum est; ergo.* — *R.* Definitio substantiae non est non esse in subiecto, sed dicit habere eiusmodi esse. quod non exigat esse in subiecto. sed in se esse valeat et postulet: pariter defi- 39.

nitio accidentis non est esse in subiecto, sed habere esse, quod in subiecto esse exigat. Nimirum accidentia in ipsa ratione entis tam imperfecta sunt, ut non tam entia, quam entis entia sint ideoque per essentiam suam ad inhaerendum substantiae tamquam subiecto ordinata sunt. Ab hac autem inhaerentia exigentiali, quae omni accidenti essentialis est, apprime discernenda est inhaerentia actualis, quae quidem connaturalis non autem essentialis est ideoque potentia Dei absoluta ab accidente auferri potest. Neque igitur accidens desinit esse accidens neque transfertur in ordinem substantiae, quando per miraculum omnipotentiae divinae a substantia sua separatur atque sine subiecto existat. Quare manifestum est, ex intima accidentis essentia nequaquam demonstrari, accidenti intrinsecus repugnare, quominus sine subiecto inhaesionis existat.

40. 3) *Experientia quavis excluditur, accidens aliquando sine subiecto suo existere.* — Quaestio, de qua agitur, non experientia, sed ratione solvenda est, utpote quae non physica, sed metaphysica est vel internam rei possibilitatem, non physicam potentiam spectat.

41. **2. *De indole quaestionis in hac thesi tractatae.*** — Si recta veraque ratione res inspiciatur, certe dicendum est, quaestionem hoc loco tractatam omnino esse theologicam. Etenim duplici modo quaestio aliqua theologica esse potest. Primo modo est formaliter theologica ratione principii cognitionis, quatenus nimirum ex fidei principiis sub directione magisterii authentici inquirenda atque solvenda est. Tales igitur quaestiones ex fontibus theologiae propriis solvendae sunt. — Altero deinde modo quaestio aliqua materialiter theologica est, quatenus scilicet de re agit, quae quidem nec in fide continetur nec ex ea deducitur, sed tamen aliquo modo nexa est cum iis, quae ad fidem pertinent. In tali quaestione solvenda principium cognitionis est ratio naturalis; simul tamen fides prae oculis haberi debet tamquam norma negativa ad vitandos quoslibet errores veritatibus theologicis oppositos

Quae cum ita sint, certum ratumque esse debet, quaestionem de natura specierum eucharisticarum, prout tractata est in hac thesi, non esse solum materialiter, sed formaliter theologicam. Scilicet argumentis theologicis ex revelatione derivatis doctrinam propositam stabilivimus et vindicavimus. Quare argumentatio nostra non eliditur dicendo, quaestionem tractatam in hac thesi de speciebus eucharisticis esse mere philosophicam, utpote quod plane falsum est; ut facile ex praecedenti demonstratione constat.

Thesis 9. Accidentium panis et vini permanentia non perfecta quidem, sed sufficiente ratione explicatur.

Declaratio.

Argumentum thesis eiusque indoles. — Soluta 1.
quaestione: quid sint species eucharisticae, venit altera, quantum fieri potest, iam solvenda, scilicet: quomodo eaedem species sint vel permaneant; vel ulterior quaedam accidentium eucharisticorum explicatio exhibenda est. Haec autem quaestio spectato principio cognitionis partim theologica, partim philosophica esse videtur, prout scilicet alias et alias specierum proprietates vel habitudines respicit; spectata autem materia etiam haec quaestio sane est theologica; quare etiam praesens inquisitio principiis theologicis partim positive influentibus partim negative dirigentibus fieri debet. Tota autem explicatio ad clariorem rei intelligentiam gignendam ad quasdam assertiones commode revocatur.

Demonstratio.

Assertio prima: *Corpus Christi atque species eucharisticae non una tantum ratione cum invicem coniuncta sunt.* — 2.

Corpus Christi nullo pacto concipi vel dici posse subiectum accidentium illorum iam supra demonstratum est; nihilominus arcta quadam unione cum illis coniunctum esse debet, quia scilicet substantiae panis relate ad ea succedit

atque sicut antea substantia panis ita nunc corpus Christi per eadem accidentia tamquam formale significativum praesens demonstratur; ad hoc autem mera praesentia localis sufficere non videtur. Ponatur enim sub speciebus vel cum iisdem simul in eodem spatio angelum esse praesentem: si nullam aliam cum iisdem speciebus unionem habet, per easdem demonstrari nequit, sicut nec ipse Deus per easdem demonstratur. Quaenam igitur unio inter corpus Christi atque species exstat? Certe analoga esse debet unioni, quae inter corpus quodvis eiusque accidentia connaturaliter exstat: quare ista inter corpus Christi et species eucharisticas unio haec elementa comprehendere videtur:

3. 1) *Corpus Christi et species eucharisticae unum sacramentum constituunt atque sub hoc respectu se habent ad invicem ut significatum et significans.* — Nimirum species ut signum sacramentale directe et immediate corpus Christi praesens tamquam cibum spiritualem significant. Corpus enim Christi ea ratione praesens illud in hoc sacramento constituit, quod *res et sacramentum* dici solet. In hac autem significationis connexione iam aliqua analogia cernitur cum aliis corporibus eorumque accidentibus connaturalibus: haec enim suarum substantiarum signa, sane non positiva, sed naturalia sunt.

4. 2) *Praeterea corpus Christi et species se habent ad invicem localiter quodammodo ut contentum et continens.* — Dicimus enim merito corpus Christi contineri sub speciebus; quod tamen profecto non ita intelligendum est, ac si species tantum superficiem corpus Christi circumdantem formarent: sed sicut accidentia connaturalia eodem prorsus loco cum sua substantia sunt, ita etiam species et corpus Christi eundem prorsus individuum locum occupant. Ideo igitur et forte, quia accidentia quidem, non autem substantia sensibus patent, haec ab illis in utroque casu contineri dicitur.

5. 3) *Corpus Christi et species ad invicem se habent vicissim tamquam causa et effectus.* — Et *primo* quidem corpus Christi causalitatem quandam habet in permanentiam accidentium: etenim accidentia eucharistica a sua substantia con-

naturali separata non manent nisi propter corpus Christi: quare corpus Christi in eucharistia praesens tamquam causa finalis vel causa exigens permanentiae specierum considerari potest. Atque in hoc iterum aliqua analogia cum corpore connaturali exstat. Nimirum ex doctrina non paucorum philosophorum et theologorum substantia corporea connaturalis non tantum est causa materialis, ex qua accidentia educantur, neque tantum est eorum subiectum, in quo inhaereant et sustententur, sed etiam eorundem principium est, quatenus ea per resultantiam naturalem efficienter ex se emanat atque emanata conservat. Iamvero corpus Christi, ut dictum est, accidentium eucharisticorum neque causa materialis est neque subiectum, potest tamen esse et est substantia connaturali desinente eorum principium conservans non quidem vi sua naturali sed supernaturaliter ita disponente omnipotente providentia divina. Et nonnulli quidem theologi species eucharisticas per physicam efficientiam quandam corporis Christi conservari statuerunt: verum haec opinio gravi difficultate premitur et necessaria non est. Nimirum physica efficiens conservatio accidentium sine subiecto permanentium, cum praecise a subiecto independens sit, creationi aequivalet: creatio autem soli Deo competit ideoque neque supernaturaliter alicui creaturae qualis est corpus Christi est, ullo modo tribui potest. Nihil igitur restat, nisi ut dicamus corpus Christi esse quidem causam permanentiae specierum in subiecto non inhaerentium, sed causam non physice efficientem, sed potius causam finalem vel exigitivam: atque hoc etiam sufficere videtur. —

Verum *secundo* species quoque causalitatem quandam 6.
exercent erga corpus Christi. Etenim species cum verbis consecrationis *sacramentum tantum* constituunt adeoque cum ipsis tamquam signum practicum praesentiam sacramentalem corporis Christi efficiunt et quamdiu perseverant etiam conservant. Haec autem causalitas specierum non est sane physica, sed sicut aliorum sacramentorum intentionalis vel imperativa: quare immerito fingitur cum Cardinali de Lugo speciebus competere versus corpus Christi aliquam virtutem

physicam supernaturalem attractivam, qua idem corpus continuo secum quasi vinciant atque etiam, si ipsae moventur, huc vel illuc trahant.

7. Neque in mutua illa corporis Christi et specierum in se invicem causalitate quidquam repugnantiae invenitur; quemadmodum nulla repugnantia in eo est, quod corpus et anima vel generatim materia et forma se invicem exigunt atque sibi mutuo causae existunt.

Quae cum ita sint, unio satis arcta inter corpus Christi et species vigere intelligitur; atque certe tanta est, ut remota substantia panis et vini illa accidentia ad solam substantiam corporis Christi exclusa quavis alia substantia pertineant. Quare eadem accidentia corpori Christi non mere externa sunt sicuti una substantia alteri, v. g. habitus externus corpori; sed quodammodo interna sunt atque ad suppositum Christi quadam ratione pertinent.

8. ***Assertio altera.*** — *Non omnia accidentia, quibus species eucharisticae constituuntur, aeque immediate sine subiecto existere videntur; sed sola quantitas interna existit sine ullo subiecto; cetera autem accidentia in hac quantitate inhaerere videntur.*

1. *Assertio explicatur positive.* — Praeter quantitatem substantialem et extensionem actualem localem ex multorum theologorum sententia admittendum esse videtur aliquod accidens absolutum, quod quantitas interna dicitur. Etenim substantia corporea eiusque accidentia habent quidem per se partes realiter distinctas, sed hae partes nondum per seipsas formaliter sunt extra se positae in spatio, quamvis ad hanc extensionem actualem localem exigentiam dicant. Ut autem eaedem partes substantiales et accidentales extra se ponantur in certo loco impenetrabiles et resistant aliis corporibus ad idem spatium penetrantibus: id efficitur per aliquod accidens absolutum, quod est vis quaedam accidentalis substantiae ex ipsa emanans et immediate in eadem inhaerens; in ipsa vero hac quantitate interna immediate inhaerent cetera accidentia. Haec igitur quantitas sola sine subiecto existit in ss. eucharistia. Ita etiam *S. Thomas:* „Necesse

est dicere accidentia alia quae remanent in hoc sacramento. esse sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis vel vini remanente: primo quidem per hoc quod ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum. et aliis accidentibus affectum. nec in talibus sensus decipitur; secundo quia prima dispositio materiae est quantitas dimensiva . . . Et quia primum subiectum est materia. consequens est. quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum mediante quantitate dimensiva, sicut et primum subiectum coloris dicitur esse superficies. ratione cuius quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum. Et quia subtracto subiecto remanent accidentia secundum esse. quod prius habebant. consequens est, quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam" (S. th. 3. p. q. 77. a. 3.).

Qua ratione etiam praesertim post conversionem unio 9.
inter accidentia eorumque simultaneus motus et alia commode satis explicantur, quae secus vix aliqualiter explicari posse videantur. Apposite *Cardinalis de Lugo:* „Re tamen magis considerata existimo, non recedendum a sententia S. Thomae et communi, sed concedendum, accidentia illa manere in quantitate ut in subiecto immediato, in quo prius etiam immediate recipiebantur. Id enim videtur magis colligi ex hoc mysterio. quam quod omnia panis accidentia maneant tamquam scopae dissolutae aut arena sine calce absque ulla unione aut connexione inter se. Difficile enim semper remanet. quomodo mota quantitate panis a sacerdote, moveantur consequenter alia panis accidentia. quia sive id fiat a Deo immediate causa occultandi mysterii sive a quantitate habente virtutem supernaturalem ad trahenda secum alia accidentia. sicut trahit secum corpus Christi. nunquam videtur sufficienter explicari connexio debita inter eos motus" (Disp. 10. s. 1. n. 7.). — Haec quantitas interna etium ab aliis pluribus theologis statuitur vel admittitur sive ad species sacramentales explicandas sive etiam ex rationibus mere philosophicis; vocatur autem ab aliis impenetrabilitas. ab aliis extensio localis aptitudinalis. ab aliis vis resistentiae, ab aliis denique quantitas interna.

10. Revera autem haec quantitas multum inservit ad aliqualem specierum eucharisticarum explicationem exhibendam. Nimirum eadem quantitas interna, quamdiu adest substantia panis partes huius substantiae, suas proprias partes et partes ceterorum accidentium in spatio extendit et resistentes reddit; quando vero per conversionem desiit substantia panis, per potentiam Dei absolutam conservatur atque extensas et resistentes reddere pergit non quidem partes substantiae panis, utpote quae desierunt, sed suas proprias partes et partes ceterorum accidentium. Quibus positis quadantenus intelligitur et explicatur phaenomenon obiectivum specierum eucharisticarum. Nimirum manente quantitate interna, intelligitur manere posse eadem prorsus phaenomena, quae prius substantia panis praesente aderant. Manet scilicet eadem extensio specierum per spatium, eadem divisibilitas et impenetrabilitas, eadem densitas et raritas; manet eadem repercussio aëris atque idem sonus, eadem reflexio lucis atque idem color, eadem affectio organorum ad excitandum gustum et odoratum. Verbo nulla apparet sensibilis mutatio.

11. Denique notandum est, in hac explicatione etiam intelligi, manere in ipso corpore Christi sub speciebus eucharisticis quantitatem internam, quod theologi communiter docent: etenim haec quantitas in corpore Christi est secundum suam entitatem, effectum autem suum ibi non exerit, vel actum suum non habet (cf. S. th. 3. p. q. 76. a. 4.).

12. 2) *Eadem assertio explicatur negative.* — Alia sententia fuit Nominalium utpote dicentium accidentia quidem propria: colorem, saporem, odorem etc. cum sua quantitate reipsa manere sine subiecto in ss. sacramento, non autem manere quantitatem ipsam panis et vini. Nimirum tum substantiam tum quodlibet accidens propriam suam quantitatem habere necnon tum quantitatem substantiae cum ipsa substantia tum quantitatem cuiuslibet accidentis cum ipso hoc accidenti identificari statuerunt. Verum haec sententia minus bene cum veritate accidentium eucharisticorum consonat. Etenim:

a) *Primo* recte videtur argumentari Suarez: „Hostia consecrata ita est quanta et extensa in suo loco; ut naturaliter

non possit in eodem simul esse aut penetrari cum alia hostia consecrata, aut cum quovis alio corpore. Hoc autem provenire non potest ex sola quantitate albedinis vel aliarum qualitatum. Ergo. Probatur minor. Quia qualitates cum sua propria, et, ut ita dicam, entitativa extensione penetrabiles sunt, tam inter se, quam cum quantitate substantiae panis: simul enim cum illa erant in eodem situ; ergo eadem ratione sunt penetrabiles in eodem spatio cum quibuscunque aliis qualitatibus et cum quacumque substantia, si nihil aliud est: ergo vel dicendum est, species consecratas ex se non repugnare simul esse in quocunque loco cum alio corpore, sed Deum solum speciali virtute id impedire, ne mysterium patefiat, quod satis absurdum est; vel fatendum est manere in accidentibus consecratis rem aliquam ex natura sua repugnantem et loco impenetrabilem cum aliis substantiis. Haec autem nulla alia esse potest, nisi quantitas substantiae, ratione cuius una substantia corporea est naturaliter impenetrabilis loco cum alia. Ergo" (Metaph. disp. 40. s. 2. n. 10.).

b) *Deinde* in hac sententia extensio actualis localis- 13.
quippe quam Nominalistae intelligunt quantitatem, non distingueretur ab eo, cuius est extensio, quod supra iam productis diversis argumentis improbabile esse demonstratum est (Th. 6. n. 6.)

c) *Denique* in hac sententia corpus Christi in ss. eucharistia non haberet quantitatem internam, quod cum communi theologorum sententia pugnat; aut vero habere extensionem actualem localem, quod cum certa veritate theologica pugnat, scilicet cum definitiva corporis Christi in ss. eucharistia existentia; ergo. Cf. *Suarez*. disp. metaph. 40. s. 2. n. 2.: disp. 48. s. 1.; disp. 51 s. 2.

Excipi potest, utraque assertione statuta involvi, sub- 14.
stantiis corporeis etiam inanimatis ut pani competere actiones immanentes, quatenus scilicet substantia corporea sua propria accidentia emanare dicitur, et quatenus partes tum substantiae tum accidentium actu extensae et resistentes reddi asseruntur

per vim aliquam ipsi substantiae internam: eiusmodi autem assertione discrimen tolli essentiale. quod inter corpora non viventia et corpora viventia intercedit. — *R.* Actio proprie et simpliciter dicta causam in suo connaturali statu perfecte iam constitutam supponit: resultantia autem naturalis, qua substantia accidentia sua emanat necnon suas proprias atque accidentium suorum partes per quantitatem extensas atque resistentes reddit ad consummatam rei productionem pertinet ideoque a ratione actionis immanentis vel vitalis perfectae deficit. Vita enim recte definitur: Est actus perfecti, ut est perfectum. qui ab ipso est vel quo seipsum movet. cf. *Selisfini*, metaph. specialis l. n. 52. ss.

15. ***3. Assertio tertia:*** *Ex statuta sententia etiam cetera. quae hic quaeruntur vel quaeri possunt. apta ratione aliquatenus explicantur.*

Quod facile patet iisdem breviter consideratis.

1 *Et primo quidem secundum declarationem propositam intelligitur, in ss. eucharistia nullo prorsus experimento absentiam panis et vini unquam detegi posse.* — Etenim substantia licet deficiente. phaenomena. quibus substantia nobis innotescit, eadem sunt et manent prorsus omnia sine ulla exceptione.

16. 2) *Intelligitur secundo. corpora circumstantia ab accidentibus eucharisticis eodem modo affectum iri, quo ab iisdem afficiebantur, quando substantia panis et vini ipsis suberat; atque accidentia eodem modo in corpora circumstantia agere nunc, quo antea agebant.* — Influxus enim ipsius substantiae connaturalis. qualiscunque est. a Deo prima causa suppletur. Apposite *S. Thomas:* „Quia unumquodque agit. in quantum est ens actu. consequens est. quod unumquodque sicut se habet ad esse. ita se habeat ad agere. Quia igitur . . . speciebus sacramentalibus datum est divina virtute. ut remaneant in suo esse quod habebant substantia panis et vini existente, consequens est. quod etiam remaneant in suo agere, et ideo omnem actionem. quam poterant agere substantia panis et vini existente, possunt etiam agere substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi. Unde non est

dubium. quod possunt immutare exteriora corpora" (L. c. a. 3.).

3. *Tertio etiam sufficienter explicatur et intelligitur, species ante et post consecrationem eundem exhalare odorem.* — In hac re specialis difficultas apparere posset. Etenim *secundum plurium sententiam* corpora odorifera eo odores exhalant atque sensum odoris excitant, quod minimas quasdam particulas integrales sive moleculas suae substantiae ex se emittunt: quaeritur igitur, quid sit ille odor, quem species consecratae manifesto exhalare sentiuntur cum substantia panis et vini iam non adsint. — Sed neque haec specialem difficultatem creant. Scilicet si vera sit illa theoria ita dicendum est: *Primo* quemadmodum ante consecrationem particulae minimae substantiae cum sua quantitate et qualitate avolabant et sensuum odoris excitabant, ita post consecrationem particulae minimae non ipsius substantiae panis et vini, utpote quae desiit, sed quantitatis eorum cum qualitate odoris avolant. *Secundo* hae vero minimae particulae specierum consecratarum, quando iam separatae sunt a speciebus, non retinent iam rationem specierum sacramentalium. Ratio est primo, quia ex usu communi concipiendi et loquendi eiusmodi particulae avolantes ante consecrationem non panis et vinum sunt vel dicuntur, sed potius panis et vini odor; ergo nec post consecrationem de speciebus panis et vini loquendum est. Ratio altera est, quia odor est tantum una sensibilis qualitas; ratio autem signi sacramentalis non uni sensibili qualitati, sed earundem complexui convenit. Hinc *tertio* dicendum est, illas particulas a speciebus consecratis avolantes illico in sua separatione amittere consecrationem ideoque Christum sub ipsis non manere. Quare Deus dicendus est creare sub his accidentibus substantiam ipsis proportionatam, ne scilicet ultra absque fine suo subiecto conveniente careant. 17.

Alii dicunt, odorem a corporibus exhalatum non esse particulas integrales sive moleculas substantiae sed particulas essentiales sive atomos eiusdem: quare in nostro casu particulae panis et vini avolantes non solum secundum com- 18.

munem concipiendi et loquendi modum, sed etiam secundum ipsas scientias naturales non panis et vinum sunt, sed potius panis et vini odor. Quare in hac altera theoria difficultas eadem quidem via, sed adhuc facilius expeditur.

19. *Denique si dicatur,* odorem corporum nihil substantiae, sed tantum qualitatem eiusdem esse, nulla est difficultas vel ex eo facile saltem solvitur, quod una tantum qualitas a ceteris accidentibus separata non est signum sacramentale ideoque consecrationem retinere nequit.

Itaque quaecunque hypothesis de ratione odoris eligitur, nulla manet difficultas; in nullo autem casu admitti potest, particulas ullas ad odorem spectantes consecrationem retinere: quippe quod tum fini tum dignitati sanctissimi sacramenti prorsus repugnat.

20. 4) *Intelligitur, species eucharisticas non secus, ac cum sub ipsis erat substantia panis et vini, actione aliorum corporum immutari ideoque corrumpi posse* — Reipsa corrumpi species sacramentales, experientia constat. Circa hanc autem corruptionem imprimis consideranda sunt haec, quae notat *S Thomas:* „Cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiae panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quae non sufficisset ad corruptionem panis, et vini propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor panis vel vini; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. Si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanent corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento; et hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color et sapor et aliae qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini; sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut iam non remaneant species panis vel vini" (L c. a. 4.)

Insuper vero aliud notandum est: Scilicet quando species ita corrumpuntur, ut sub iisdem corpus Christi praesens esse desinat; nihilominus species corruptae non annihilantur, sed existere pergunt. Quare aut miraculose sine subiecto ulterius a Deo conservantur aut vero naturali earum exigentiae, qua substantiae eis respondenti inhaerere postulant, a Deo satisfit atque substantia eis proportionata sub eis constante lege creatur, sicut corpore disposito anima creatur. Cum primum nullam probabilitatis speciem prae se ferat atque miraculum involvat omni rationabili fine destitutum, alterum certe dicendum est. **21.**

5) *Intelligitur, num species sacramentales nutriri possint.* — Responsum iam continetur in praecedenti declaratione. Videlicet non species sacramentales nutriunt, sed substantia potius, quae speciebus corruptis atque ideo non amplius sacramentalibus subest. Cibus enim eo nutrit, quod substantia cibi in substantiam nutriti convertitur. **22.**

Scholia quaedam.

1. De mistione specierum cum alia materia. **23.** — De hac re plura notanda sunt pro diversis casibus:

1) *Primus casus.* — Si cum vino consecrato alius liquor (non vinum) commisceatur ita, ut species vini corrumpantur, vel ut ex communi hominum iudicio proprietates vini iam non adsint, signum sacramentale destruitur ideoque praesentia sacramentalis cessat. Cf. S. th. 3. p. q. 77. a. 8. et *Suarez*, **disp. 57. s. 4.**

2) *Alter casus.* — Si cum vino consecrato commiscetur aliud vinum non consecratum, signum sacramentale destrui non videtur, sed solum cum alia re ita miscetur, ut ab ea distingui non possit; quare praesentia sacramentalis permanere videtur. Ita etiam hostiae consecratae cum non consecratis permistae consecratae manent. Apposite *Innocentius III.:* „Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commistum corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non **24.**

madidans circumfusum" (Decr. l. 3 tit. 41 c. 6. § 1.). Aliter tamen sentit S. Thomas l. c.

25. 3) *Tertius casus.* — Si species contaminentur re impura, non ideo praesentia sacramentalis cessat; nam speciebus contaminatis non iam corpus Christi etiam contaminatur; ita etiam ipse Deus praesens est locis et rebus turpibus, quin ipse ullo modo foedetur. Merito igitur damnata est sententia *Ioannis de Latone,* qua oppositum statuit: „Quod si hostia consecrata cadat seu proiiciatur in cloacam, lutum seu aliquem turpem locum, quod, speciebus remanentibus, sub eis esse desinit corpus Christi et redit substantia panis." Damnata est haec propositio cum duabus aliis similibus ex mandato Gregorii XI. ab Inquisitoribus. Cf. Denzinger, ench. n. 578. 579. 580.

26. ***2. De miraculosis Christi in eucharistia apparitionibus.*** — De hac re antiquiores theologi fusius tractare solent; sed cum haec quaestio neque momentum dogmaticum peculiare habeat neque ad mysterii intelligentiam multum conferat, de ea conferre potest, cuius interest, *S. Thomam,* S. th. 3. p. q. 76. a. 8. eiusque commentatores in hunc locum, ut v. g. *Cardin. Toletum,* ennarratio in summam 3. p. q. 76 a. 8. et *Suarez,* disp. 55. s. 3. n. 3.

27. ***3. Cur Christus praesentiam suam sub speciebus panis et vini absconderit?*** — Ad hanc quaestionem optime respondet *S. Thomas:* „Sensu apparet, facta consecratione omnia accidentia panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. *Primo* quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere, et sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quae frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini. *Secundo* ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum manducaremus. *Tertio,* ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei (S. th. 3. p. q. 75. a. 5.).

28. ***4. Regulae quaedam loquendi.*** — Modo praesentiae Christi in ss. eucharistia declarato necnon relatione

corporis Christi ad species sacramentales considerata, difficile iam non erit determinare quaedam circa rationem loquendi, quae in sermonibus de hoc mysterio omnino servanda est: In genere autem ad amussim et diligenter servanda est ea ratio loquendi, quam ipsa ecclesia sive sollemnibus declarationibus sive usu sancivit; neque facile inusitatae ac novae formulae adhibendae sunt, utpote quae, quamvis verae esse possint, propter ambiguitatem tamen suam erroris vel perversae intelligentiae ansam dare queunt. In specie autem hae regulae servandae sunt:

1) *Regula prima.* — De Christo in ss. eucharistiae **29.** sacramento praesente omnia nomina substantiva et adiectiva praedicari possunt, quae ab existendi vel praesentiae modo praescindunt. Itaque dici potest et debet Deus, homo, omniscius, sanctus, Redemptor, etc. Etiam ea praedicata de ipso enuntiari possunt, quae vel praesentiam simpliciter vel praesentiam praecise sacramentalem significant.

2) *Regula secunda.* — Quae modum existendi corporibus humanis naturalem significant vel adsignificant proprio et recto sensu praedicari non possunt. Exempli causa non potest dici Christus in ss. sacramento sedere, stare etc. Ratio manifesta est, quia haec circumscriptivam praesentiam supponunt vel involvunt; Christus autem in ss. eucharistia non circumscriptive, sed definitive praesens est.

3) *Regula tertia.* — De corpore Christi sub speciebus **30.** eucharisticis existente non possunt enuntiari praedicata, quae dicunt vel involvunt informationem per accidentia panis et vini. Sic v. g. corpus Christi nequit dici rotundum, album etc. Ratio est, quia corpus Christi, quamvis sub accidentibus istis contineatur atque intime cum iis unitum sit, neque tamen eorundem subiectum est, quod ab ipsis informetur.

4) *Regula quarta.* — Ea, quae solis speciebus directe conveniunt, ratione autem unionis quodammodo ad corpus Christi transeunt, de hoc vere quidem, sed per accidens praedicantur, ut v. g. moveri, distribui, in hianibus portari, circumferri etc. Illa vero, quae nonnisi rei extenso et sensibili modo existenti conveniunt, de speciebus proprie, de

corpore autem Christi nonnisi figurate enuntiari possunt, figura scilicet, secundum quam, quod signo vel continenti vel accidenti proprie convenit, signato vel contento vel quasi subiecto tribuitur. Sic v. g. nonnisi sensu figurato corpus Christi dici potest frangi. Atque hoc sensu figurato hae et similes expressiones in declaratione *Berengarii* intelligendae sunt: „Ego Berengarius consentio sanctae Romanae ecclesiae, et corde et ore profiteor, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus et sanguinem Christi esse, et in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri" (cap. Ego B., de consecr. dist. 2.). Apposite omnino *Thomas Waldensis* contra Wicleffum: „Ecce iste magnus philosophus et profundus theologus (Chrysostomus), etiam secundum Wicleffum, ipse concedit illud, quod ibi videtur et tangitur, esse Christum; cur hoc negabit fidelis, quia non videtur per suam naturam, sed extraneam? Sic enim (per suam naturam) est ibi invisibilis, intangibilis, incomestibilis, indivisibilis, irrevelabilis; revelatus tamen, divisus, comestus, tactus, aspectus sensibiliter per species alienas" (T. 2. l. 4. c. 42.).

Corollarium.

31. ***Christus in ss. eucharistia adorandus est cultu supremo latriae.*** — Haec assertio ex dogmate realis praesentiae evidenter consequitur atque a *concilio Tridentino* sollemniter definita est: „Si quis dixerit in ss. eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem ecclesiae s. ritum et consuetudinem sollemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras, a. s." (Sess. 13. c. 6.) Hanc autem praxin adorandi Christum in ss. eucharistia, semper etiam in antiqua ecclesia viguisse, testes sunt Patres et scriptores ecclesiastici (cf. *Muratori* in dissert. de reb. liturg. c. 19.). Ita v. g. *Ambrosius* exponens Ps. 98. 5. scribit: „Per scabellum terra intelligitur; per terram

autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus et quam Apostoli in Domino Iesu adoraverunt" (De Spiritu S. l. 3. n. 79.). Et *Augustinus* in eadem scripturae verba: „Converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando . . . Ideo et ad terram quamlibet (i. e. ad quamlibet eucharistae particulam) cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras, propter ipsum enim adoras" (In eundem ps. 98, 5. n. 9.).

Porro peculiares certe rationes exstant, propter quas 32.
Christus imprimis in hoc sacramento adoretur. Etenim hic se totum in nostram salutem expendere, exinanire, victimam se dare pergit: atque propter homines eorumque salutem e throno suae maiestatis se quasi demittit et fulgorem maiestatis deponit. Quanto igitur magis homines decet, ut grato animo pro viribus maiestatem hanc absconsam extollant atque semetipsos pro viribus demittant, summum latriae cultum exhibentes. Quae quidem apte atque pulchre exprimuntur hoc *ecclesiae cantico:*

Adoro te devote, latens deitas,
Quae sub his figuris vere latitas!
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Denique quaeri potest, qua ratione in hoc cultu species 33.
se habeant? *R.* Obiectum formale huius adorationis sine dubio est ipsa excellentia infinita Verbi divini, obiectum materiale primarium eadem Verbi divinitas, obiectum materiale secundarium humanitas Christi; species vero sacramentales ad hoc obiectum secundarium spectant atque cum eo ita

coniuncta sunt, ut proprio supposito careant atque quodammodo ad suppositum Christi pertmeant. Quare tamquam obiectum secundarium cum toto Christo coadorantur adoratione non relativa, sed absoluta. Ita etiam quaestionem resolvit *Suarez*: „Dicendum est simpliciter hoc sacramentum adorandum esse adoratione latriae absoluta et perfecta, qua per se adoratur Christus, coadorentur autem species. Probatur, quia hoc sacramentum in re est unum constans ex Christo et speciebus; ergo eadem adoratione est adorandum, qua ipsemet Christus: et ipsae species sunt coadorandae, sicut vestis vel thronus Christi . . . neque . . . aliter debent adorari species consecratae per se et tamquam tota materia adorationis, sicut nec per se adoratur humanitas Christi, sed coadoratur Verbo, quia sicut humanitas reipsa est coniuncta Verbo neque ab ipso unquam separatur nec suppositum per se constituit; ita species consecratae, quamdiu consecrationem retinent, et dignae sunt adoratione, non separantur a Christo, cui sacramentaliter coniunguntur in quo est magna differentia inter has species et alia sacramentalia signa vel alias res sacras, quae respective adorantur, et reipsa et supposito et loco a Christo separantur, ut crux, imago et similes, quae facile possunt separatim adorari ut tota materia adorationis respectivae, seu propter rationem extrinsecam, a qua reipsa disiunctae sunt. Et ideo, ut aliquando possint uno actu coadorari simul cum ipsa re principaliter et absolute adorata, oportet, ut mente vel apprehensione cum illa coniungantur. At vero in his speciebus sacramentalibus e contrario. Nam reipsa semper sunt coniunctae Christo semperque per modum unius simul cum illo obiiciuntur; ideo . . . nunquam per se nec distincto actu adorantur, sed coadorantur illomet actu absoluto, quo adoratur Christus“ (Disp. 65. s. 2. n. 2.).

34. Itaque non solum Christus sub speciebus, sed totum hoc sacramentum comprehendens Christum simul cum speciebus vel Christum et species supremo latriae cultu uno eodemque actu prosequendum est; quod ipsum ecclesia tum practice tum theoretice satis clare profitetur. Audiatur iterum *Suarez*: „Conclusio est certissima, quae imprimis probatur

ex usu ecclesiae, quae absolute totum sacramentum adorat. unde etiam canit: Tantum ergo sacramentum veneremur cernui. Et Concil. Viennense in Clem. unica de reliquiis et veneratione sanctor.. inter alia inquit: O adorandum et reverendum excellentissimum sacramentum: et Trident. non sub nomine Christi (solum), sed sacramenti docet. adorandum esse hoc sanctissimum sacramentum . . " (Disp. 65. s. 1. n. 3.). Idem etiam confirmatur ex testimoniis antiquitatis christianae, quorum plura affert ibidem Suarez.

Atque haec de adoratione specierum necnon generatim de accidentibus eucharisticis dicta sufficere possunt.

Articulus tertius.

De transsubstantiatione.

Thesis 10. **Fides catholica praeter doctrinam de reali praesentia atque de panis vinique cessatione comprehendit etiam doctrinam de conversione totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem; quam conversionem ecclesia apte transsubstantiationem appellavit.**

Declaratio.

Argumentum et divisio praesentis articuli. — 1. Demonstrata iam ipsa praesentia Christi in ss. eucharistia necnon declarato. quantum fieri potest, etiam modo eiusdem praesentiae; iam agendum est de modo, quo haec praesentia efficiatur. vel de modo, quo Christus praesens fiat. Totum autem hoc de transsubstantiatione argumentum commode quatuor thesibus absolvetur. Et in prima quidem thesi ipsum dogma catholicum proponitur et accurate circumscribitur vel determinatur; in altera interna eiusdem explicatio exhibetur; in tertia idem dogma transsubstantiationis ex traditione demonstratur; in quarta ex verbis institutionis derivatur; in corollario adiecto denique falsae dogmatis transsubstantiationis declarationes reiiciuntur.

2. In praesente igitur thesi dogma transsubstantiationis circumscribitur vel determinatur, i. e. ostenditur hoc dogma fidei articulum distinctum esse a doctrina realis praesentiae necnon cessationis substantiae panis et vini: id enim a quibusdam, ut v. g. a Synodo Pistoriensi negatum est; quae probatio argumentum 1. partis constituit. In altera autem parte demonstratur, conversionem substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi apte transsubstantiationem appellatam esse.

Demonstratio.

I. p.: Transsubstantiationis dogma circumscribitur.

3. ***1. Ex definitionibus Concilii Tridentini.*** Etenim hoc Concilium realem praesentiam Christi, cessationem substantiae panis et vini, conversionem horum in substantiam corporis et sanguinis Christi tamquam tres distinctos doctrinae articulos proponit sess. 13. can. 1. et 2.: „Si quis negaverit, in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute: anathema sit" (can. 1.) — „Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellavit a. s." (can. 2.). — Re enim vera per primum canonem damnantur Sacramentarii negantes Christum vere, realiter et substantialiter praesentem esse in ss. eucharistia: quare haec praesentia asseritur. Per secundum vero canonem in parte prima damnantur Impanatores asserentes una cum corpore et sanguine Christi manere substantiam panis et vini: unde non manere substantiam panis et vini definitur. In secunda denique parte canonis

secundi damnantur omnes, qui negant conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi; haec igitur conversio statuitur; atque simul ut aptissima eiusdem appellatio nomen *transsubstantiationis* proponitur. Iamvero hos doctrinae articulos esse vere et obiective distinctos patet, sive earum catholicam affirmationem sive haereticam negationem consideras.

1) *Patet considerata affirmatione.* — Etenim qui af- 4.
firmat primum articulum, sc. realem praesentiam corporis et sanguinis Christi non ideo iam affirmat etiam secundum i. e. absentiam panis et vini; nam dicere posset simul utrumque tum panem tum corpus Christi adesse, quemadmodum revera dixerunt Impanatores; a fortiori vero non iam affirmat etiam tertium i. e. transsubstantiationem. Qui affirmat secundum articulum, sc. absentiam panis et vini, necessario vel rationabiliter etiam primum quidem sc. realem praesentiam corporis et sanguinis Christi supponit vel affirmat, non autem iam necessario vel implicite etiam tertium asserit, i. e. transsubstantiationem; etenim primo dicere potest, se de modo quo Christus praesens fiat, sive affirmare sive negare quidquam nolle, vel secundo dicere potest, id fieri non conversione, sed modo nobis incomperto; vel tertio dicere potest, hoc fieri simplici annihilatione vel remotione panis et vini atque corporis et sanguinis Christi eodem loco positione, qua ratione lapis annihilari eiusque loco homo creari posset; in quo casu nulla exstaret conversio. — Si vero distincti illi articuli considerentur ordine inverso, scilicet incipiendo a tertio et procedendo ad secundum et primum, dicendum sane est, qui affirmet tertium etiam affirmare secundum et primum, et qui affirmet secundum etiam affirmare primum. Quae cum ita sint, aperte patet, illos articulos obiective distinctos esse.

2) *Idem patet considerata negatione.* — Etenim negatio 5.
illarum propositionum ordine inverso se habet ac earundem affirmatio. Qui igitur primam negat, negat etiam secundam et tertiam; qui negat secundam, etiam tertiam non autem necessario etiam primam negat; qui denique tertiam negat.

non ideo negat secundam et primam. Quare neque implicite quidem dogma transsubstantiationis in utraque veritate realis praesentiae et cessationis panis et vini continetur, cum ipsum implicite saltem utramque hanc veritatem contineat.

Ceterum etsi dogma transsubstantiationis in utraque illa alia veritate implicite contineretur, ecclesia tamen articulo distincto idem explicite proponere potuit, atque reipsa etiam in aliis rebus saepe ita merito egit; nam quae implicite solum in aliquo alio dogmate continentur, communi fidelium fidei sufficienter proposita non sunt; praeterea eiusmodi expressae definitioni ansam praebent errores serpentes, utpote qui per expressam veritatis propositionem non reiecti depositum fidei in discrimen vocarent.

6. *2. Ex constitutione, auctorem fidei, Pii VI.* — Etenim hac constitutione S. Pontifex inter alios plures synodi Pistoriensis errores etiam hunc damnavit: „29. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: primo, Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; secundo, tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in sollemni fidei professione continetur; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: — perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis“. Tres profecto hic articuli fidei a Concilio Tridentino definiti tamquam formaliter ab invicem distincti exhibentur: atque doctrina eam distinctionem negans

censuris notatur: et primo quidem tamquam *perniciosa*, quia certe perniciosum est, depositum fidei definitae immutare, sive additione sive diminutione sive depravatione; secundo tamquam *derogans expositioni veritatis catholicae*, quia non manca tantum, sed adeo manca traditur, ut errori aditus aperiatur; tamquam *favens haereticis*, tum quia de doctrina ab iis impugnata atque contra eosdem definita tacet, tum quia relinquit vocabulum (transsubstantiationis) haereticis invisum ab ecclesia autem tamquam tessera fidei sanctum.

7. ***3. Ex communi theologorum doctrina.*** — Re-vera universa schola (tum in 4. d. 11. tum in S. th. 3. p. q. 75. a. 4.) semper consonanter docuit, transsubstantiationem sive conversionem panis in corpus et vini in sanguinem Christi ad fidei depositum pertinere. Audiantur pro omnibus tres ex diversis aetatibus theologi insignes. *S. Thomas* perspicue declarat: „Tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi" (L. c). Et *Suarez:* „Si quis confiteatur praesentiam corporis Christi et absentiam panis, negat tamen veram conversionem unius in aliud, in haeresin labitur, quia ecclesia catholica non solum duo priora, sed etiam hoc tertium definit ac docet" (D. 50. s. 1.). Denique *Cardinalis Franzelin:* „Catholica doctrina de efficacia consecrationis eucharisticae non absolvitur professione a synodo Pistoriensi his verbis comprehensa: Christum post consecrationem vere, realiter et substantialiter esse sub speciebus tuncque omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus; sed praeterea fide credendus est modus ipse, quo corpus et sanguis Domini fiat praesens, per mirabilem scilicet et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat" (Thes. 12.).

2. p.: Quam conversionem ecclesia nomine transsubstantiationis aptissime insignivit.

8. De hac parte facile constat duobus praesertim momentis consideratis:

9. *1. Historia vel usus huius termini.* — Etenim hic terminus primo quidem in theologia apparet demum saeculo 11.; qua scilicet aetate Hildebertus Cenomanensis eundem primus, ut videtur, adhibuit (serm. 93. de diversis VI): deinde vero saeculo 12. eodem usi sunt Stephanus Eduensis episcopus Augustodunensis (de sacram. alt. c. 13.), S. Hildegardis (ep. ad Praelatos Moguntin.), Petrus Blessensis (ep. 140. ad Petrum clericum regis Angliae, et serm. 38.), Petrus Cardinalis Sedis apostolicae legatus (litt. encyclic. adv. Albigenses ap. Baron. an. 1178. n. 26.); imo vero eadem aetate theologi iam communius eandem loquendi formulam adhibuerunt, ut patet ex epistola Gaufredi, discipuli S. Bernardi ad Cardinalem Albanenseum (Ap. Baronium ann. 1188. n. 18.). Denique saeculo 13. iam ita invaluit, ut theologi communiter eundem adhiberent. Cf. S. th. q. 75. a. 4.

10. *2. Sanctio eiusdem termini.* — Ecclesia tum usu tum sollemni declaratione eundem terminum non semel sancivit. Ita v. g. Concilium Lateran. IV. declarat: „Idem ipse sacerdos est Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, *transsubstantiatis* pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina". Item Concilium Tridentinum non solum in canone supra relato eundem terminum sancivit, sed decreti de ss. eucharistia caput 4. inscribit: *De transsubstantiatione* necnon confirmatione eiusdem vocabuli absolvit: „Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata". Denique in professione fidei Tridentina a *Pio IV.* praescripta iterum conversione eucharistica proposita inculcatur: „Quam conversionem catholica ecclesia transsubstantiationem appellat"

11. *Opportune autem et iure suo ecclesiam hunc terminum sancivisse certum est atque facile patet.* — Etenim: *Primo* quamvis hoc nomen non ante exortam Berengarii haeresim adhibitum esse videatur, non ideo sperni vel reiici potest, quia generatim tales formulae dogmaticae data occasione atque necessitate quadam ex insurgentibus haeresibus orta ad dogma inculcandum et defendendum statuuntur adeoque

quasi fidei tesserae evadunt. Qua ratione etiam aliis temporibus aliae formulae dogmaticae, ut ὁμοούσιος vel *ex opere operato,* ab ecclesia sancitae sunt. Apposite *S. Ambrosius*. „Vocem ὁμοούσιος in tractatu fidei posuerunt Patres, quia id viderunt adversariis esse formidinis, ut tamquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandae caput haereseos amputarent" (De fide l. 3. c. 15. n. 125.).

12. *Praeterea* ecclesia tum potestatem habet tum obligatione adstricta est non solum ad fidem sed etiam ad fidei professionem illibatam conservandam et tutandam; ad hunc autem scopum obtinendum eiusmodi formulae vel peropportunae vel etiam necessariae sunt. Ut enim vere et scite *S. Augustinus* animadvertit: „liberis enim verbis loquuntur philosophi nec in rebus ad loquendam difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem" (De civit. Dei l. 10. c. 23.; cf. Tertullianus, de carne Christi c. 13.).

13. *Denique* vocabulum transsubstantiationis, quamvis classicum non sit, aptissimum tamen esse ad ipsam, de qua agitur, veritatem exprimendam, commode intelligitur. Etenim transitum rei ab uno statu ad alium, sive positivus uterque est, sive alteruter negativus, mutationis nomine significamus: transitum autem in specie a termino positivo ad alium positivum conversionem appellamus. Haec vero, si fiat transitu ab una forma ad aliam, transformatio nominatur. Quae cum ita sint, profecto omnino convenienter et apte illam conversionem, qua terminus secundum totam substantiam remanentibus dumtaxat sensibilibus accidentibus, in aliam transit substantiam, nomine transsubstantiationis designabimus.

Cum igitur haec sit vis atque ratio termini transsubstantiationis, recte notat *Suarez:* „Si quis tamen confitendo rem totam vocem transsubstantiationis abiiceret, ut ineptam et barbaram, in re ipsa non existimo esse haereticum, quia usus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei; esset tamen valde temerarius, scandalosus ac pias aures offenderet, ac denique in foro externo habendus esset vehementer de haeresi suspectus" (D. 50. s. 1.).

Thesis 11. **Consideratis conditionibus, quae ad omnem generatim conversionem necessariae et sufficientes sunt, transsubstantiatio actio esse videtur, qua corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini ita constituuntur, ut harum substantiarum desinentium vice quodamodo fungantur.**

Declaratio.

1. ***Argumentum et scopus thesis.*** — Ex thesi praecedenti ad fidem pertinet, Christum praesentem fieri in ss. eucharistia per conversionem substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini. Ut autem hoc dogma fide etiam expressa credatur, ea notio conversionis confusa praerequiritur quidem atque etiam sufficit, quam omnes homines communiter habent. Accuratior autem eiusdem notionis explicatio atque analysis non ad fidem quidem, sed ad scientiam theologicam spectat; quare de hac quaestione libere disputari potest, dummodo dogma catholicum incolume servetur. Similiter de aliis tum aliorum tractatuum tum huius de ss. eucharistia quaestionibus iudicandum est. Iam in praesenti thesi praecise ipsa notio transsubstantiationis accuratius consideranda et resolvenda venit.

2. Porro dogma transsubstantiationis, ut in praecedenti thesi ostensum est, tria comprehendit vel involvit: primo cessare substantiam panis et vini; secundo Christum substantialiter fieri praesentem; tertio illam desitionem atque hanc praesentiam effici per conversionem substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi. Quibus prae oculis habitis accuratior transsubstantiationis notio efformatur tribus quasi gressibus in tribus thesis partibus: *primo* notio conversionis in genere explicatur; *secundo* efformatur notio ipsius transsubstantiationis: *tertio* ostenditur in statuta notione transsubstantiationis omnes conditiones ad veram conversionem requisitas inveniri. Denique in corollariis adiectis doctrina statuta completur atque absolvitur.

Demonstratio.

I. p.: Notio conversionis in genere explicatur.

Duo consideranda sunt ad conceptum conversionis per- 3.
spicuum reddendum: *primo* ipsa notio conversionis, *secundo*, quae ex hac notione consequuntur, conditiones ad conversionem requisitae. Itaque:

1. Ipsa notio declaratur. — *Imprimis* conversio generatim recte definitur transitus unius rei in aliam secundum aliquam rationem entis sive accidentalem sive substantialem. Quam definitionem legitimam esse inde patet, quod communem omnium conceptionem exhibet. Eadem autem penitus inspecta facile patet, conversionem complecti duas mutationes, alteram negativam positivam alteram; atque illa quidem est a termino positivo in negativum, haec autem a negativo in positivum. Quare in omni conversione quatuor inveniuntur termini: duo positivi ac duo negativi, qui negativi non realiter quidem, sed formaliter distincti sunt. Porro *terminus positivus a quo* denominatur solus a conversione terminus conversus: *terminus autem positivus ad quem* non appellatur terminus conversus, sed per conversionem alteri succedens. Quae omnia ad varia exempla, ut v. g. conversionem cibi in carnem, aquae in vinum et alia facile applicantur iisque illustrantur.

Deinde definitio statuta apertum etiam reddit, non unius 4.
sed multiplicis rationis conversionem esse. Nimirum prout transitus, in quo consistit, secundum entitatem accidentalem vel secundum entitatem substantialem fit, aut accidentalis aut substantialis est; sed conversio substantialis magis proprie conversio dicitur, quam accidentalis. Deinde conversio substantialis, si secundum formam fiat, formalis, si secundum materiam materialis, si secundum totam substantiam totalis est; cui postremae nomen transsubstantiationis convenit. Conversio formalis et conversio materialis cum totali comparatae dici possunt partiales: verum etiam conversio materialis minus occurrere atque minus proprie conversio dici videtur. Etiam

haec diversarum conversionum distinctio facile exemplis illustratur: v. g. exemplum conversionis accidentalis est mutatio hominis mali in bonum. stulti in sapientem, ligni vel lapis in statuam; deinde exemplum conversionis substantialis formalis praebet mutatio alimenti in carnem vel ossa et secundum philosophiam scholasticam etiam mutationes variae corporum anorganicorum, ut oxigenii et hydrogenii in aquam; tum exemplum conversionis substantialis materialis poterit esse ea hominis vel animalis mutatio, qua manente eadem anima sive forma continuo materia mutatur; denique conversionis substantialis totalis, quae nonnisi miraculo fieri potest. exemplum exstat probabiliter conversio aquae in vinum in nuptiis Canae a Christo facta atque certe est conversio eucharistica panis in corpus et vini in sanguinem Christi.

5. *Denique* cum definitione statuta consertum est, duplicem esse *terminum positivum a quo* et duplicem pariter *terminum positivum ad quem;* vel melius duplici modo uterque terminus spectari potest: nimirum aut secundum se totum aut secundum illud tantum, secundum quod conversio fieri dicitur. Unde sc. distinguitur inter *terminum totalem a quo* et *terminum formalem a quo*, necnon inter *terminum totalem ad quem* et *terminum formalem ad quem*. Exemplo iterum res illustratur: In conversione cibi in carnem terminus totalis a quo est cibus. qui in carnem convertitur. terminus vero totalis ad quem caro, in quem cibus convertitur: in eadem conversione terminus formalis a quo est forma cibi, quae per conversionem desinit, terminus autem formalis ad quem caro est, quae ex conversione resultat. — Iam haec distinctio, si ad conversionem eucharisticam applicetur. terminus totalis a quo nihil aliud esse intelligitur nisi substantia panis et vini cum suis accidentibus, terminus vero totalis ad quem est corpus et sanguis Christi cum speciebus panis et vini, quatenus haec omnia simul. scilicet corpus et sanguis Christi cum speciebus unum totum sacramentale constituunt. Similiter terminus formalis a quo est substantia panis et vini, terminus autem formalis ad quem substantia corporis et sanguinis Christi est.

2. Conditiones ad conversionem requisitae statuuntur et declarantur. — Ex notione declarata consequuntur conditiones quaedam ad omnem conversionem requisitae: 6.

1) *Conditio prima.* — Haec in eo continetur, ut inter desitionem rationis, secundum quam conversio fit, atque positionem rationis, in quam conversio terminatur, nexus quidam et ordo inveniatur, ita ut haec illam secum ferat et exigat vel vicissim. Aliis verbis: Terminus a quo desinere debet, ut incipiat terminus ad quem; vel quia succedit terminus ad quem, ideo terminus a quo desinit. Si enim eiusmodi ordo vel nexus non exstet, unius quidem post aliud mera successio, non autem unius in aliud transitus sive conversio habetur. Ita v. g. si cibus in carnem convertitur, desinit forma cibi, ut forma carnis succedat, vel: quia succedit forma carnis, ideo cibi forma desinit. Si autem Deus in aliquo loco lapidem annihilaret et crearet ibidem angelum nullo inter hanc creationem et annihilationem illam intercedente nexu, profecto conversio esset nulla. Qualis vero ille nexus esse debeat, inferius dicetur.

2) *Conditio altera.* — Haec in eo invenitur, ut aliquid 7.
sit commune termino totali a quo et termino totali ad quem, scilicet quod desinente illa non desinat, sed maneat in hoc atque ad nexum inter terminos formales necessarium inferendum pertineat. Cum enim unum in aliud converti dicimus, significamus certe, unum terminum formalem alteri succedere atque ipsius vices supplere; vices autem termini formalis a quo terminus formalis ad quem supplere non potest nisi in ordine ad aliquid, cui hic incipiat esse illud, quod eidem erat ille. Quod sane significatur etiam per modum loquendi, quo terminum ad quem dicimus illud esse, quod erat terminus a quo, v. g.: Haec est caro, quae fuit cibus: hoc est vinum, quod fuit aqua; haec est statua, quae fuit lapis informis, vel etiam simpliciter: hoc fuit cibus, aqua, lapis informis. Itaque hic loquendi modus sane ostendit, ad internam conversionis rationem spectare, ut aliquid maneat utrique termino totali commune, ratione cuius inter terminos formales

ordo exclusionis existat. Apposite *Lessius:* „Si nihil maneret idem sub utroque termino, in quo fiat terminorum successio, non esset conversio, sed unius desitio alterius inceptio". (De div. perfect. l. 12. c. 16.). Atque ita communiter theologi docent et solum aliqui verbis potius quam reipsa necessitatem eiusmodi tertii communis negant; nam transsubstantiationem explicantes sollicite quaerunt aliquod tertium commune, quod negata obiectiva specierum realitate substitui queat. Certo autem certius conversio proprie omnino dicta sine tertio realiter communi esse nequit. Recte enim notat *Cardinalis Franzelin:* „In omni conversione oportet vere dici posse: hoc, quod erat A nunc est B, seu. ut loquitur Ambrosius. ‚ea quae sunt in id mutantur, quod non erant' (De myster. c. 9.). Id autem certe magis proprie dicitur, si maneat aliquod reale internum utrique termino totali" (Thes. 13. n. 4.).

8. 3) *Conditio tertia.* — Iterum alia conditio est, ut desinat terminus formalis a quo; desinente autem termino formali a quo, eo ipso etiam desinit terminus totalis a quo; sed hic i. e. terminus totalis a quo non totaliter sive secundum se totum desinit. Etenim cum converti nihil aliud sit nisi in aliud transire vel desinere, nulla potest esse conversio, nisi terminus a quo desinat. Etenim si terminus a quo non desinat, profecto manet: si autem manet de conversione sermo esse nequit. Quod autem terminus totalis desinere non debeat totaliter sive secundum se totum, inde esse intelligitur, quia conversio requirit tertium commune in utroque termino. Etiam haec conditio exemplis facile illustratur: Sic cibus desinit, cum convertitur in carnem; et quidem desinit terminus formalis, forma cibi, atque eo ipso terminus totalis quoque desinit, quia hic sane non manet nisi manentibus omnibus eius constitutivis; constitutivum autem eiusdem est terminus formalis a quo. Neque tamen terminus formalis a quo per conversionem annihilari dicitur, quia scilicet non desinit simpliciter, sed desinit in aliud: sive, desitio eius eo est directa, ut sit aliud.

9. 4) *Conditio quarta.* — Ultima denique conditio in eo est, ut terminus ad quem incipiat non simpliciter quidem,

sed secundum quid. Etenim per conversionem terminus ad quem succedit termino a quo; successio autem sine termini ad quem inceptione concipi nequit. Sed num ad conversionem necessarium est, ut terminus ad quem esse incipiat simpliciter? Ad hanc quaestionem aliqui affirmative responderunt atque hac de causa in ss. eucharistia actionem reproductivam corporis Christi admittunt, cuius scilicet terminus sit ipsa substantia corporis Christi et qua ipsum, si non iam antea existeret, reipsa produceretur. Sed haec opinio parum sibi constat; etenim idem profecto non est ex una parte corpus Christi incipere esse et ex altera parte idem corpus incipere esse terminum cuiusdam actionis, qua si nondum existeret, existentiam acciperet. Itaque re ipsa considerata nulla ratio exstat, ob quam terminus ad quem simpliciter esse incipere dicendus sit; nominatim id derivari nequit ex notione conversionis; nam ex interna conversionis ratione solum id habetur, ut terminus formalis ad quem termino formali a quo succedat in munere, quod hic relate ad tertium commune habebat; quare ad eundem terminum formalem spectat incipere non simpliciter esse, sed esse in eiusmodi munere sive esse secundum quid. Consequenter terminus totalis ad quem etiam minus debet incipere esse simpliciter; verum etiam ipse incipit esse secundum quid. Terminum ad quem non necessario incipere esse simpliciter, verum incipere esse secundum quid, egregie illustratur *a Cardinali Franzelin* duplici analogia: „Potest id etiam declarari ex generatione in hypothesi praeexistentiae animarum, quae licet ut thesis sit falsa et haeretica, non tamen absolute et per se esset impossibilis: ea autem supposita adhuc esset generatio hominis, licet anima, quae ut forma perfectionem et esse humanum tribuit, non tum primum inciperet, sed iam praeexstitisset. Analogia sublimior et mysterio eucharistico propinquior potest considerari in generatione Filii Dei secundum naturam suam alteram assumptam ex Virgine matre. Quamvis enim Filius Dei praeexstiterit ab aeterno, est tamen vera eius secunda generatio, qua incepit non quidem esse simpliciter, sed esse homo . . . Si autem vera generatio potest consistere,

licet substantialis forma generati, imo licet ipsa persona quae generatur, non tum simpliciter esse incipiat, sed iam praeexstiterit, haud difficulter intelligitur, posse esse veram conversionem, etiamsi terminus formalis ad quem non simpliciter esse incipiat. sed secundum aliam rationem iam praeexstiterit" (Thes. 13. n. 3.).

2. p.: Verior transsubstantiationis explicatio proponitur.

10. Explicatis communi ratione conversionis necnon conditionibus ad eandem requisitis via iam aperta et munita est, qua ipsius transsubstantiationis ratio explicetur. Itaque cum per transsubstantiationem tota substantia panis convertatur in totam substantiam corporis Christi remanentibus solis speciebus, conversio autem sit transitus unius rei desinentis in aliam incipientem, ita ut haec in illius vices succedat relate ad aliquod tertium commune: *imprimis quaeritur, qua ratione substantia corporis Christi in vices substantiae panis succedat relate ad tertium commune i. e. accidentia panis.* Quare ante omnia relationes vel munera substantiae corporeae versus sua accidentia consideranda sunt. Iamvero substantia corporea *primo* est subiectum suorum accidentium, quae eidem inhaereant idemque informent et simul eorum causa materialis est, ex cuius potentia educantur; *secundo* ex multorum theologorum sententia substantia corporea item est principium sua accidentia per resultantiam naturalem efficiens necnon eadem conservans: hinc *tertio* intima unio exstat inter substantiam corpoream eiusque accidentia, ita ut illa his atque haec illi intime sint praesentia ac necessario eodem prorsus loco versentur, vel aliis verbis substantia corporea continetur sub accidentibus; quare ulterius *quarto* accidentia corporea signa naturalia sunt suae substantiae. Quibus omnibus denique *quinto* efficitur vel accedit, ut accidentia ad hypostasin vel subsistentiam substantiae pertineant.

11. *In hac igitur munera corpus Christi aliqua ratione succedere debet substantiae panis, ut haec in illud converti dici queat.* Consideranda igitur singula illa munera sunt. ut videatur, num et qua ratione corpus Christi ea suscipere vel

exercere valeat. — Itaque *primo* corpus Christi nequit esse illorum accidentium subiectum ab ipsis informatum, quod iam supra (th. 9. n. 16.) demonstratum est; neque igitur eorum causa materialis est, ex cuius potentia educantur. — *Secundo* neque corpus Christi eorundem accidentium causa physice efficiens est tum quia iam effecta sunt ante suam cum corpore Christi unionem tum quia utpote singulariter proportionata substantiae panis ab ea solum physice effici posse videntur, neque est eorum principium physice efficienter conservans, quia haec actio conservativa sive continuata producto, cum accidentia iam ex potentia nullius corporis educantur, esset aequivalenter creatio, quae corpori Christi competere nequit. Potest autem dici et dicendum est corpus Christi esse principium exigitive vel moraliter accidentia conservans, utpote quae a Deo physice conservantur propter corpus Christi vel eius praesentiam sacramentalem. — *Tertio* sicut accidentia connaturalia sunt signa naturalia demonstrativa suae substantiae, ita accidentia eucharistica signa sunt non naturalia sed positiva corporis Christi, quamvis accidentia panis in actu primo aliquam aptitudinem naturalem ad eiusmodi significationem habeant. — *Quarto* hinc i. e. ex duobus momentis immediate praecedentibus intima unio exstat inter corpus Christi et accidentia panis; scilicet ex irrevocabili decreto divino, quia corpus Christi eucharisticum exigit permanentiam specierum et quia species sunt signa positiva quidem, sed demonstrativa et practica corporis Christi praesentis, ideo ubi species et quamdiu sunt, ibidem et tamdiu sub iisdem est infallibiliter etiam corpus Christi. Neque vero ad hanc unionem explicandam cum Cardinali de Lugo accidentibus tribuenda est aliqua virtus vel actio physica, qua secum trahant corpus Christi; etenim primo non intelligitur, cuiusnam rationis illa actio sit; praeterea non requiritur haec accidentium actio, ut corpus Christi se habeat versus eadem ad modum substantiae; imo vero tandem ad hoc nihil conferre potest, ut per se patet. — Denique *quinto* cum omnibus, quae praecedunt connectitur vel ad ea accedit, quod accidentia panis sublata substantia panis iam ad nullam aliam quamcunque substantiam perti-

neant, quam ad substantiam corporis Christi ideoque supposito vel personae Christi propria sint analoga saltem ratione, sicut alia accidentia supposito suo.

12. Atque his diversis elementis transsubstantiatio constitui videtur; certe enim haec sufficiunt, ut per species demonstretur corpus Christi atque sic verificentur verba: *hoc est corpus meum*. Haec enim aequivalent illis verbis: Hoc, quod antea erat panis, nunc est corpus meum; quae sententia sine dubio dicit vel involvit veram panis in corpus Christi conversionem. Quae cum ita sint, *transsubstantiatio definiri potest actio, qua corpus Christi ita sub speciebus panis constituitur, ut substantiae panis desinenti succedat in relatione ad accidentia panis, vel ut loco substantiae panis desinentis munera substantiae exerceat versus accidentia panis*, i. e. eadem conservet, iis demonstretur, cum iisdem intime unitum sit atque suppositum Christi eadem quodammodo sustentet.

3. p.: In explicatione proposita omnes conditiones impletae cernuntur, quae ad veram conversionem requiruntur.

13. Explicatio proposita valde confirmatur consideratione conditionum, quae ad omnem veram et realem conversionem requiri supra ostensae sunt; omnes enim in eadem explicatione impletae esse cernuntur; quod facile ostenditur:

1. Conditio prima. — Imprimis de ea conditione dicendum est, quae omnium potissima est atque in eo consistit, ut inter terminum formalem a quo et terminum formalem ad quem respectu communis tertii ordo exclusionis existat, quo fit, ut inter huius positionem et illius desitionem nexus aliquis inveniatur. Iamvero in explicatione proposita ille ordo exclusionis vel hic nexus manifesto habetur. Etenim corpus Christi sub accidentibus panis ponitur primo tamquam eorum principium conservans, secundo tamquam terminus ab eisdem demonstratus et secundum quid i. e. secundum realem praesentiam effectus, tertio tamquam intime unitum cum iisdem: iam haec omnia locum habere nequeunt, quin accidentia a substantia panis divellantur atque independentia reddantur: quare postulant atque secum ferunt, ut substantia

panis sub accidentibus esse desinat. Aliis verbis substantia panis divellitur ab accidentibus atque sub iisdem desinit esse in eum finem, ut substantia corporis Christi ibidem ponatur atque in vices illius succedat. Itaque prima et potissima conditio ad conversionem requisita certissime in explicatione proposita impleta cernitur.

2. ***Conditio altera.*** — Haec in eo est, ut tertium **14.** commune exstet, relate ad quod ordo exclusionis inter terminos formales conversionis vel nexus inveniatur inter desitionem termini formalis a quo et positionem termini formalis ad quem. Iamvero hoc tertium commune adesse in sententia proposita evidens est, quippe quod accidentibus panis continetur. Ergo.

3. ***Conditio tertia.*** — Etiam haec, quae continetur **15.** in desitione termini a quo in sententia statuta impleta cernitur. Etenim desinit terminus totalis a quo, scilicet compositum ex substantia panis eiusque accidentibus, cum transeat in totum constans ex corpore Christi et iisdem accidentibus; desinit etiam terminus formalis a quo, scilicet substantia panis praecise considerata; et quidem non desinit solum esse sub accidentibus suis, sed simpliciter esse desinit, quod ad conversionem, ut supra dictum est, sane requiritur, Etenim substantia accidentibus suis connaturalibus spoliata in statu contranaturali est neque iam finem suum vel ullum consequi potest, quare simpliciter esse desinit. Fatendem quidem est, Deum per omnipotentiam suam eiusmodi substantiam miraculose conservare posse; verum eiusmodi miraculum exclusum esse intelligitur, cum nulla eiusdem ratio Deo digna exstare intelligatur.

4. ***Conditio quarta.*** — De impletione huius condi- **16.** tionis, quae dicit inceptionem termini totalis ad quem, sane nulla potest esse dubitatio. Scilicet manifestum est incipere terminum totalem ad quem, corpus Christi unitum cum speciebus; terminus vero formalis ad quem in se spectatus incipere simpliciter esse non debet, ut supra demonstratum est.

Quae cum ita sint, transsubstantiatio, quantum fieri potest et requiritur, satis explicata est.

Corollarium.

17. 1. ***Transsubstantiatio active spectata neque adductio neque reproductio corporis Christi recte dicitur.*** — Ut magis adhuc transsubstantiationem explicarent, theologi in actionem divinam physicam inquisierunt, qua praesentia Christi sub speciebus sive transsubstantiatio passive spectata efficitur eiusque indolem determinare conati sunt. Verum hac in quaestione solvenda in diversas sententias abierunt: Et alii quidem contendunt, illam actionem considerandam esse tamquam reproductionem corporis Christi; ita v. g. *Suarez*, qui declarat: „substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis, quia verba consecrationis revera influunt de facto ipsum esse substantiale in corpus Christi, et consequenter habent veram actionem substantialem, quae nunc dicitur esse per modum conservationis, quia aliunde supponitur eadem esse res alibi jam existens, et in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi non esset; nunc vero de facto solum habere rationem conservationis" (D. 50. s. 4. n. 10). Cum Suario sentiunt Lessius (De perfect div. l. 12. c. 16. n. 114.), Arriaga (De euchar. dist. 35. s. 1.), Franzelin (th. 13. n. 3.) aliique. Alii vero theologi docent transsubstantiationem potius fieri per actionem adductivam corporis Christi. Ita v. g. *Bellarminus*, qui sententiam eam sic declarat: „Corpus Christi praeexistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis; conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut esse incipiat sub speciebus panis. Porro adductivam vocamus istam conversionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in coelo, vel quia per motum localem huc de coelo adducatur, sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in coelo, iam etiam sit sub speciebus panis, et non solum sub illis sit per simplicem praesentiam sive coëxistentiam, sed etiam per unionem quandam, qualis erat inter substantiam panis et accidentia panis, excepta tamen inhaerentia" (De euchar. l. 3. c. 18.). Similiter docent Bonaventura (In 4. d. 10. p. 2. a. 1. q. 1.) Scotus (In 4. d. 10. q. 1. et d

11. q. 3.), Toletus (in 3. p. q. 75. a. 4. q. 3. concl. 2.), Gregorius de Valentia (De euchar. d. 6. q. 3. p. 3.), Vasquez (d. 182. c. 13. n. 147.), De Lugo (De euchar. d. 7. s. 6. n. 89.) aliique. Plerique autem ex his theologis nomine adductionis non utuntur, sed illam actionem dicunt „actionem constitutivam corporis Christi sub speciebus", ut v. g. Cardinalis de Lugo vel alias expressiones adhibent. — Huic quaestioni diutius insistere parum emolumenti foret; quare breviter dicendum esse videtur.

1) *Transsubstantiatio minus recte vel probabiliter reproductio esse dicitur.* — Etenim *primo* haec sententia saltem a pluribus eiusdem patronis in eo fundatur, quod in conversione quavis terminus ad quem formalis simpliciter esse incipiat: sed id perperam asseritur, ut supra demonstratum est. Nihilominus tamen neque secundum hos theologos corpus Christi eucharisticum, cum substantialiter idem sit cum corpore Christi in coelo existente, simpliciter esse inciperet: quod aliquam contradictionem in tota hac opinione inferre videtur. Ergo. 18.

Praeterea haec opinio nihil confert ad explicandam transsubstantiationem, utpote quae mirabilis conversio tum demum aliquatenus explicatur, cum corpus Christi substantiae panis succedere ostenditur in munere substantiali versus accidentia; ad hoc autem illa reproductio profecto nihil confert: ergo. 19.

Denique illa reproductio rei iam existentis concipi posse non videtur. Qua enim ratione res iam existens iterum produci sive a non-esse ad esse transire potest? Dici nequit, eam acquirere per reproductionem novum esse substantiale: etenim esse substantiale non duplex vel triplex vel multiplex, sed numero unum idemque est. Ergo.

2) *Neque vero transsubstantiatio proprio sensu dici potest actio adductiva corporis Christi.* — Quod clare ostendit *S. Thomas:* „Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem: primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in coelo; non enim, quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem 20.

locum nisi deserat priorem: secundo quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media, quod hic dici non potest; tertio quia impossibile est quod unus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat" (S. th. 3. p. q. 75. a. 2.).

21. Quaecum ita sint, certe nomen actionis adductivae in hac quaestione proprio sensu adhiberi nequit ideoque melius vitatur. Hac ratione tamen altera sententia supra relata reipsa non refutatur, utpote quae non ponit actionem proprio sensu adductivam; quare eadem actio cum Cardinali de Lugo (l. c.) aptius et melius vocatur *actio constitutiva corporis Christi sub speciebus panis.* Si vero quaeratur, quid tandem per eandem actionem producatur, nihil aliud respondendum est nisi conferri corpori Christi novum eum modum essendi, quem in eucharistia habet. Hic autem novus essendi modus certe realis, quamvis accidentalis est atque comprehendit praesentiam definitivam in certis spatii partibus atque eam cum accidentibus panis unionem, quae supra explicata est.

22. ***2. Desitio substantiae panis in transsubstantiatione formaliter non est annihilatio.*** — Ratio huius assertionis satis manifesta est. Etenim ea omnis et sola desitio est annihilatio, qua res desinit in nihil simpliciter; talis autem non est desitio substantiae panis, quam comprehendit transsubstantiatio: nam substantia panis desinit quidem in nihil sui, attamen non in nihil simpliciter, cum scilicet desinat in substantiam corporis Christi.

Quare annihilatio analoga est creationi; etenim sicuti haec est ex nihilo simpliciter, ita illa est ad nihilum simpliciter. Et quidem aeque late patet illud *ex nihilo* et hoc *ad nihilum;* etenim sicut annihilatio excludit quidquam rei annihilatae manere sive subiectum sive terminus positivus, in quem sit conversa; ita etiam creatio excludit a re creata, quod quidquam ipsius praecesserit sive subiectum sive terminus a quo conversionis; si enim praecedat terminus a quo conversionis, res praecise non creata, sed per conversionem orta esset.

3. Ex statuta doctrina modi quidam loquendi 23.
intelliguntur transsubstantiationem spectantes. — Quatuor regulis tota haec ratio loquendi comprehendi potest:

1) *Regula prima:* — Unum extremum de altero praedicari nequit per verbum substantivum praesentis temporis. Sic v. g. dici nequit: Panis est corpus Christi. Ratio manifesta est, quia extrema conversionis neque simul sunt neque identica.

2) *Regula altera:* — Vere et proprie ea enuntiantur, quae ordinem vel successionem terminorum exprimunt. Ita v. g. dicitur recte et proprie: Ex pane fit corpus Christi: vel: panis convertitur in corpus Christi. Ratio est, quia haec conversio fit reipsa.

3) *Regula tertia:* — Quae verificantur quidem in con- 24.
versione naturali ratione subiecti communis in terminis conversionis, circa conversionem eucharisticam, utpote quae eiusmodi subiectum commune excludit, proprie enuntiari nequeunt. V. g. nequit dici proprio sensu: Panis potest esse corpus Christi: panis erit corpus Christi, panis fit corpus Christi. Ratio est, quia potentia ad oppositum consequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quod album potest esse nigrum etc. Similiter neque proprio sensu dici potest: De pane fit corpus Christi, quia praepositio *de* designat causam consubstantialem, haec autem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus secundum convenientiam in subiecto spectatur.

4. *Regula quarta:* — Aliquae tamen ex sententiis sub 25.
regula 3. positis concedi vel permitti possunt sensu improprio secundum quandam similitudinem. Quo sensu improprio v. g. dici potest: Panis fit corpus Christi. Ratio est, quia in hac conversione, quamvis non sit subiectum commune, est tamen aliquid commune, scilicet accidentia. Ratione quorum dici potest: panis fit corpus Christi, scilicet ita, ut nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in universali hoc, quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continebatur substantia panis, et postea corpus Christi continetur. Cf. *S. Thomas,* fuse et egregie haec prosequens et declarans in S. th. p. 3. q. 75. a. 8.

Scholion.

26. ***Obiectiones quaedam expediuntur.*** — Pleraeque obiectiones per ipsam expositionem et demonstrationem doctrinae statutae praeoccupatae sunt vel facile solvi possunt; restat solum, ut quaedam argumenta considerentur, quibus aliqui theologi evincere volunt, transsubstantiationem involvere actionem reproductivam sive actionem, quae terminetur ad ipsam substantiam corporis Christi; itaque in hunc modum opponunt:

1) *Sancti Patres frequenter docent, panem fieri corpus Christi, ex pane vel de pane fieri corpus Christi, in eucharistia confici, creari, perfici corpus Christi; eiusmodi autem locutiones, quas improprias esse nemo dixerit, aperte indicant, consecratione corpus Christi non tantum poni sub speciebus, sed etiam ipsum fieri et confici.* — *R.* Eiusmodi locutiones partim propriae partim impropriae sunt: et propriae quidem, ut: panem fieri corpus Christi, ex pane et de pane fieri corpus Christi, in eucharistia confici perfici corpus Christi, etiam in nostra sententia et aeque proprio sensu verificantur ac in opinione ab illis theologis defensa; aliae autem locutiones in qualibet sententia secundum sensum improprium intelligendae sunt, ut v. g. illa: corpus Christi creari in ss. eucharistia. Ergo ex eiusmodi locutionibus adversarii nihil concludere possunt in favorem suae opinionis.

27. 2) *Conversio substantialis substantialem terminum habeat necesse est; quare transsubstantiatio ad substantiam corporis Christi terminetur opus est. Ergo transsubstantiatio consideranda est tamquam actio productiva vel reproductiva corporis Christi* — *R.* Transsubstantiatio, quatenus conversio est, ut quaevis conversio substantialis, terminum formalem ad quem substantialem habet: ut autem productio est, tamquam terminum habet τὸ esse corporis Christi sub speciebus panis: ut enim supra dictum est, immerito postulatur, ut terminus formalis ad quem per conversionem simpliciter esse incipiat.

28. 3) *Si ad conversionem substantialem sufficit substantiarum quoad idem manus successio, ac productio termini*

formalis ad quem (sc. corporis Christi) necessaria non est, tum etiam terminus formalis a quo (sc. substantia panis) desinat necesse non est, sed dummodo ab accidentibus suis separetur et corpus Christi cum iisdem uniatur, jam exstat conversio. — *R.* nego prorsus in hoc casu exstare conversionem panis in corpus Christi: cum enim substantia panis maneat in suo esse, quomodo potest dici conversa in corpus Christi? Scilicet sub hoc respectu differentia essentialis est inter terminum formalem a quo et terminum formalem ad quem: ille enim quidem necessario desinit simpliciter, hic autem non necessario incipit simpliciter, quod utrumque iam supra demonstratum est.

4) *Verba consecrationis de se virtutem habent, qua corpus Christi produci queat; nam etiamsi corpus Christi in coelo nunc non existeret, in eucharistia tamen vi verborum praesens foret, cum haec praesentia ab illa non pendeat. Iamvero, si verba consecrationis illa virtute praedita sunt, reipsa corpus Christi producunt, cum causa debita modo applicata virtutem suam exerat.* — *R.* Quod in absona hypothesi corporis Christi in coelo non existentis foret, difficulter determinatur. Verumtamen hoc praetermisso, verba consecrationis virtutem habent operandi id totum et solum quod significant; atqui nihil aliud significant nisi corpus Christi praesens esse sub speciebus panis: ergo hanc praesentiam etiam efficiunt. Iamvero actio hanc praesentiam efficiens vel constitutiva corporis Christi sub speciebus non est necessario productiva corporis Christi, ut supra demonstratum est; ergo. 29.

5) *Secundum explicationem transsubstantiationis propositam videtur dicendum esse, etiam corpus Christi eucharisticum converti in eam substantiam, quae succedat, quando species corrumpantur; id autem de corpore Christi asserere indignum est; ergo.* — *R. n.* mai., quia in eo casu essentiales conditiones ad conversionem requisitae deficiunt. Etenim *primo* terminus a quo, scilicet corpus Christi non desinit esse simpliciter, sed manet in coelo et alibi quoque in sacramento; *praeterea* tertium commune non adest, cum spe- 30.

cies corruptae praecise non sint eadem accidentia cum speciebus integris; *denique* inter desitionem corporis Christi et positionem substantiae novae nullus exstat nexus: etenim desitio corporis Christi nullo modo ordinatur ad positionem novae substantiae, neque actio, qua nova substantia ponitur, ullo pacto tendit ad destruendum vel removendum corpus Christi, utpote quod desinit praesens esse speciebus corruptis, quia specierum corruptione signum sacramentale deficit. Itaque nulla in casu adducto exstat actio, cui sicut in transsubstantiatione, omnia subordinentur.

Thesis 12. Doctrinam catholicam de transsubstantiatione una cum dogmate de reali praesentia in apostolica traditione contineri, certissimis constat argumentis.

Declaratio.

1. ***De haereticis dogma transsubstantiationis negantibus.*** — Dogma catholicum primum saeculo 11. negarunt Berengarius eiusque sectatores. Saeculo vero 14. Berengarium secutus est Wicleff in Anglia. Lutherus quoque, cum primum fidem transsubstantiationis liberam singulorum opinionibus relinqueret, postea tamen idem dogma directe impugnavit; Lutherum autem sequuntur Lutherani in Germania, in Anglia Anglicani, ex quibus recentiore aetate praesertim Pusey dogmatis catholici vehemens impugnator exstitit: quem multis egregie refutavit Cardinalis Franzelin (Th. 14.). Haeretici isti omnes absentiam panis et vini negant; qui autem admittunt corporis et sanguinis praesentiam, inter se dissentiunt de modo, quo Christus praesens sit simul cum pane et vino. Atque Ubiquistae quidem corpori Christi absurde omnipraesentiam adscribunt; alii vero cum Osiandro docent, Christum cum pane hypostatice uniri, unde impanatores dicti sunt; alii solam coëxistentiam corporis Christi cum pane asserunt eamque consubstantiationem vel sacramentalem unionem appellant: recentiores denique, qui sacramentalem praesentiam retinent, plerique ab omni explicatione abstinent et abstinendum esse dicunt.

Iam contra hos omnes dogma catholicum, quod in praecedentibus thesibus definitum et expositum est, nunc ex fontibus revelationis demonstrandum et vindicandum venit; et in praesenti quidem thesi demonstratio ex traditione, in subsequenti ex scriptura instituitur.

Demonstratio.

Tota demonstratio ex traditione instituenda secundum 2.
diversa eiusdem documenta commode ad summa quaedam capita revocatur.

1. Probatur ex diversis liturgiis. — Revera liturgias doctrinam catholicam de transsubstantiatione apertissime continere, iam patet ex documentis pluribus liturgicis supra in thesi 4. allatis, utpote quae continent praeter alia usu fere communi receptam invocationem Dei et sancti Spiritus super dona, ut ipsius virtute existat conversio, quae significatur verbis faciendi, transferendi, commutandi, transformandi, transelementandi panem et vinum in proprium corpus pretiosumque sanguinem Christi (cf. l. c. n. 5. ss.).

2. Ex doctrina Patrum orientalium. — etiam 3.
huc spectant plura testimonia iam supra (th. 3.) allata; quibus amen propria quaedam hic addenda sunt: Itaque *Macarius Magnus* Christum inducit hoc modo loquentem: „Ex unione igitur, qua unitus sum Sanctus cum terreno (Verbum cum carne) do panem et vinum iubens esse corpus meum et sanguinem“ (Spicil. Solesm. 1.). — Et *Gregorius Nyssenus*: „Recte ergo fide credo, etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Dei Verbi“ Et sicut quando, ita fere prosequitur, Verbum in mortali carne nobiscum adhuc versabatur, panis quem manducabat, transivit in substantiam sacrae carnis, etiam nunc „similiter panis sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatus, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: *Hoc est corpus meum*“ (Orat. catech. c. 37.). — Accedit *Cyrillus H.*, qui fidem transsubstantiationis cum aliis Patribus confirmat

miraculo aquae in vinum conversae: „Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit, et non erit dignus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?“ (catech. 4. n. 2.). — Et iterum: „Deum benignum exoramus, ut emittat S. Spiritum super proposita, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcunque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est“ (catech. 5. n. 7.). — Similiter *Chrysostomus:* „Non homo est, qui facit, ut proposita fiant corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Demandatum ministerium implens stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia est Dei. *Hoc est corpus meum*, ait. Hoc verbum transmutat proposita“ (Hom. 1. de prodit. Iudae n. 6.). — Consentit *Germanus Constantinopolitanus* docens: „obsecrare sacerdotem, ut conficiatur mysterium Filii Dei, et fiat seu transmutetur panis et vinum in corpus et sanguinem Christi et Dei. Unde et Spiritum Sanctum beneplacito Patris et voluntate Filii invisibiliter praesentem submonstrare divinam confectionem, et manu sacerdotis obsignare et transmutare et conficere proposita sancta dona in corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi“ (Theoria myster.). — Necnon *Nicephorus Constantinopolitanus* scribens: „Quemadmodum ex sacra Virgine carnem per Spiritum Sanctum sibi ipsi substituit, et (si opus est ex nostris quoque id exponere) quemadmodum panis et vinum et aqua naturaliter in corpus et sanguinem edentis et bibentis transmutantur, neque dicemus, aliud corpus a primo diversum fieri: ita et haec supernaturaliter, invocatione Sacrum facientis et sancti Spiritus adventu in corpus et sanguinem Christi transmutantur“ (In antirrethico 2. apud Allatium l. 3. c. 15. n. 21.). Denique *I. Damascenus*, fidus interpres traditionis praecedentis: „Sicut naturaliter panis per comestionem atque vinum et aqua per potionem in corpus et sanguinem manducantis transmutantur, et non fiunt aliud corpus praeter corpus eius praeexistens, ita panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur

in corpus Christi et sanguinem. et non sunt duo. sed unum idemque est" (De fide l. 3. c. 14.; cf. supra thes. 3.).

Confirmatur hoc argumentum primo ex concilio Lugdu- 4.
nensi secundo. utpote in quo imperator *Michaël Palaeogus* professionem fidei sibi oblatam nomine Orientalium probavit atque edidit. in qua haec declarantur: „Eadem Romana ecclesia credit et docet, quod in Sacramento panis vere transsubstantiatur (μετουσιοῦται) in corpus et vinum in sanguinem Domini". Etenim nunquam Graeci hanc professionem probassent. nisi in ea suam suorumque antiquorum Patrum fidem expressam vidissent.

Confirmatur secundo ex consensione Orientalium schis- 5.
maticorum, circa quam etiam hac in re eadem sane valent, quae supra necnon in tractatu de sacramentis in genere notata sunt. Etenim in responsis Ieremiae Patriarchae. in decretis synodorum, quibus haereses Cyrilli Lucaris damnatae sunt. in plurimis attestationibus. quibus episcopi et clerici graeci necnon Nestoriani et Monophysitae subscripserunt. ac *in professione fidei orientalis* aperta exstat confessio fidei de transsubstantiatione. In hac postrema professione v. g.. quam omnes patriarchae et metropolitae schismatici graeci et russiaci approbarunt. haec leguntur: „Eo tempore, quo sacra munera consecrat sacerdos. ita omnino secum statuere debet quod substantia ipsa panis et substantia vini transmutatur in substantiam veri corporis et sanguinis Christi opera Spiritus Sancti. cuius invocationem tunc peragit rogans, ut mysterium ipse perficiat. et dicens: Mitte Spiritum Sanctum tuum . . . Quippe pronuntiatis his verbis transsubstantiatio (ἡ μετουσίωσις) statim fit, transmutaturque panis in verum Christi corpus et vinum in verum sanguinem, manentibus tantummodo speciebus, quae apparent" (c. 107.)

3. Ex doctrina Patrum latinorum. — Horum 6.
Patrum fidem prorsus manifestam esse. iam certo constat ex plerisque testimoniis. quae supra (thes. 3.) adducta sunt ad realem praesentiam demonstrandam. Etsi enim terminum transsubstantiationis nondum adhibuerint. ipsam rem tamen diversis modis clarissime proposuerunt, ad fidem pertinere

significarunt, variis exemplis illustrarunt. Quare superfluum est, nova hoc loco afferre testimonia.

7. ***4. Ex scriptoribus saeculi 11.*** — Fides transsubstantiationis splendide manifestata est saeculo 11., cum Ecclesia haeresi Berengariana ad fidem suam defendendam moveretur. Berengarius ipse utrumque dogma tum realis praesentiae tum transsubstantiationis negasse videtur; sectatores vero Berengarii alii utrumque caput haeresis amplexi sunt, alii tantum alterum; ita enim refert *Guitmundus:* „Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis et vinum essentialiter non mutantur, sed, ut extorquere a quibusdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore et sanguine Domini sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras haec et figuras esse dicunt; alii vero rectis ecclesiae rationibus cedentes nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus et sanguinem revera, sed latenter contineri, et ut sumi possint, quodammodo, ut ita dixerim, impanari" (De corp. et sangu. Domini l. 1.). — Haec haeresis Berengariana vixdum orta iam a viris catholicis et doctis impugnata est et refutata. Nominatim contra eandem scripserunt Adelmannus, episcopus Brixiensis: Hugo, episcopus Cingonensis; Guitmundus, archiepiscopus Aversanus; Durandus, abbas Tornacensis: Lanfrancus, atque tandem Berengario iam mortuo Algerus. Qui omnes una mente et uno quasi ore transsubstantiationis fidem defenderunt atque professi sunt.

8. Sic *Adelmannus* scribit: „Qui enim dixit in principio: *Fiat lux* et facta est lux de nihilo, non potuit dicendo de pane: *Hoc est corpus meum,* ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet), sonante vocaliter eadem virtute vinum ipsum in sanguinem suum transferre?" (Ep. ad Bereng.). — Et *Hugo:* „Ne ultra quaeso argumenteris de omnipotentia divina. Sicut enim non capis, quomodo Verbum caro factum sit, sic non potes capere, quomodo panis iste mutetur in carnem et vinum in sanguinem trans-

formetur, nisi te docuerit omnipotentiae fides . . ., perpende quod Dei voluntas et verbum omni naturae supereminet, et qui in facturis potens est, potentem transformare credas, sicut scriptum est: *Mutabis ea et mutabuntur.* Dei enim velle pro facto est" (Tractat. de corp. et sangu. Domini c. Bereng.). — Accedit *Lanfrancus:* „Credimus terrenas substantias, quae in mensa Dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus . . .. ipso tamen Dominico corpore existente in coelestibus ad dextram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, ut vere dici possit et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, et tamen non ipsum; ipsum quidem, quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem, non ipsum autem si spectes panis et vini speciem ceteraque superius comprehensa. Hanc fidem tenuit a priscis temporibus et nunc tenet Ecclesia, quae per totum diffusa orbem catholica nominatur" (Lib. de corp. et sangu. Domini.). — Denique *Algerus* declarat: „Cetera sacramenta Novi Testamenti et Veteris figurae tantum fuerunt, nec aliquae species eorum, ut id fierent, quod significabant, ab hoc, quod fuerant, ut manna, petra, aliquatenus mutatae sunt. Aqua baptismatis et oleum chrismatis in sacramentis ab hoc, quod est, non mutatur . . Solum sacramentum panis et vini ita mutatur, ut substantialiter non sit, quod ante fuerat, sed substantia eius corpus Christi fiat, forma vero remanens ipsum significet et contineat" (De sacram. corp. et sangu. Domini l. 1. c. 8.).

9. ***5. Ex variis synodis, quae Berengarium damnaverunt.*** — Berengarii haeresis primum damnata est in *synodo Romana* sub *Leone IX.* a. 1050., quia panem et vinum in sacrificio Domini non vere nec essentialiter, sed figurate tantum converti in corpus et sanguinem Domini asseruerit adeoque doctrinam proposuerit catholicae fidei et evangelicae veritati apertissime adversantem: cuius damnationis testis exstat Anonymus Chiffletianus (Opusc. de multi-

plici damnatione Berengarii.). Damnata denuo est eadem haeresis sub eodem Pontifice in *synodo Vercellensi* necnon in *synodo Parisiensi*, quam celebrandam curavit *Henricus I.* rex. Iterum *synodus Florentina* sub Victore II. (1055) atque *synodus Turonensis*, cui praefuit Hildebrandus legatus Summi Pontificis errorem Berengariarum reiecerunt. Deinde *Nicolaus II.* (anno 1059) *Romam* coëgit synodum 113 episcoporum, in qua Berengarius haeresi sua retractata professionem edidit maxime ad dogma realis praesentiae pertinentem. Quam tamen mox retractavit et libello edito ita impugnavit, ut ipsum perspexisse appareat, communem catholicorum fidem atque editam a se professionem praeter realem praesentiam etiam transsubstantiationem comprehendere. Quare nova mox subsecuta est eiusdem haeresis damnatio in *synodo Rothomagensi* (anno 1063.): „Corde credimus et ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantum esse ante consecrationem, sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, sed illius quae concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine . . . Similiter vinum . . . vere et essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam et apostolicam fidem superbe atque haeretice sentientes et impia temeritate garrientes". Denique praetermissa synodo Pictaviensi (a. 1075.) duas adhuc synodos congregavit *Gregorius VII.* (a. 1078. et 1079.), in quibus semel atque iterum haeresin eiuravit Berengarius; atque in postrema hanc edere iussus est fidei professionem: „Ego Berengarius corde credo et ore profiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificam carnem et sanguinem Iesu Christi."

10. ***6. Ex consensu scholae.*** — Etiam theologi inde a saeculo 11. usque ad Deformationem saeculi 16. unanimiter docent, ad depositum fidei pertinere conversionem totius

substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi. Unus tantum Petrus de Alliaco se certum non esse significat, doctrinam transsubstantiationis explicita ecclesiae definitione fulciri; verumtamen eandem propter communem consensum omnino tenendam esse inculcat. Nonnulli quidem theologi Protestantes contendunt, etiam aliis quibusdam praeter Petrum theologis sententiam de substantia panis in eucharistia remanente fidei non repugnantem visam esse; atque in numerum horum theologorum imprimis Scotum referunt; verum certissime errant. Nominatim Scotus communem doctrinam sequitur atque defendit; atque ad universalem theologorum consensum, doctrinam Patrum et definitionem Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. celebrati provocat ad demonstrandum, dogma transsubstantiationis esse „de substantia fidei".

Scholion.

II. ***Obiectiones solvuntur.*** — Protestantes multis conati sunt argumenta ex traditione atque imprimis ea ex Patrum doctrina deprompta infirmare; verum frustra, ut consideranti facile patet; itaque hunc in modum opposuerunt:

1) *Verba: convertere, transformare, transelementare, transmutare et graeca analoga a SS. Patribus saepe adhibentur ad designandas transmutationes, quae accidentales tantum non autem substantiales sint; similiter etiam nunc dicimus v. g. ex angelo factus est diabolus; peccator conversus est in iustum; lepus conversus est in leonem (i. e. homo timidus factus est homo fortissimus) etc., quae mutationes omnes accidentales sunt; ergo.* — *R.* Exceptio manifesto absona est; etenim concedendum quidem est, illis terminis aliquando mutationem accidentalem exprimi: verum argumentatio nostra non in nudis illis terminis innititur, sed simul ut par est, subiecta materia consideratur. Nimirum si terminus a quo conversionis est substantia, et terminus ad quem pariter substantia, et quidem substantia ab illa diversa, et si insuper vocabula terminos exprimentia

sensu proprio sumantur: tum manifesto sermo est de conversione substantiali; an forte mutatione accidentali una substantia in aliam diversam converti potest? Iamvero istae conditiones omnes in nostra re verificari ideoque conversionem panis in corpus Christi substantialem esse, manifestum est; aeque autem manifestum est, easdem deficere in exemplis allatis atque similibus adeoque in iis de mutationibus accidentalibus sermonem esse.

12. 2) *Sancti Patres docent verbis scripturae: Verbum caro factum est, nullam Verbi mutationem significari; ergo a pari docentes panem fieri corpus Christi, nullam mutationem substantialem panis intelligunt.* — *R. n.* consequentiam; etenim duae illae propositiones: Verbum caro factum est, et: panis fit corpus Christi, nihil commune habent nisi vocabulum fieri atque modo significandi penitus differunt; ratio manifesta est, quia in altera et altera propositione materia subiecta essentialiter diversa est, omnis autem propositio pro ratione materiae subiectae intelligenda est. Nimirum cum Verbum divinum nullam mutationem subire possit, homo fieri nequivit conversione sed tantum hypostatica humanae naturae assumptione: panem autem fieri corpus Christi hypostatice hoc corpus assumendo philosophice et theologice absurdum est; neque panis potest fieri corpus Christi eo, quod Verbum hypostatice assumat panem, ut iam supra demonstratum est. Ergo nihil restat, nisi ut panis fiat corpus Christi per substantialem conversionem.

13. 3) *Qui affirmat, eucharistiam non esse simplicem et communem panem, is adsignificat, eam esse panem, ideoque transsubstantiationem negat Iamvero persaepe SS. Patres affirmant, eucharistiam non esse simplicem et communem panem; ergo.* — *R.* Inepta sane argumentatio. Etiam nunc nos catholici eucharistiam vocamus *panem sanctum vitae aeternae;* num ideo transsubstantiationem negamus? Scilicet theologico sensu eucharistiam merito cum Patribus panem dicimus tum quia nutrit spiritualiter ad vitam aeternam tum quia sub specie panis corpus Christi continet. Praeterea SS. Patres non tantum dicunt, quid eucharistia non sit non

est communis panis), sed etiam declarant, quid ea sit, scilicet vere corpus et vere sanguis Christi est.

4) *SS. Patres docent, corpus Christi contineri et dari* 14.
nobis sub pane, cum pane et in pane; hoc autem docere nemo potest, qui transsubstantiationis dogma admittit; ergo. — *R.* Nullus scriptor orthodoxus exhiberi potest docens, corpus Christi contineri et dari nobis sub pane et cum pane. Item locutio: corpus Christi contineri et dari in pane, ita crude posita, vix atque vix quidem in SS. Patrum operibus occurrit. Occurrunt tamen locutiones quaedam similes, ita vero, ut consideranti facile pateat, eisdem significari vel materiam, ex qua eucharistia conficitur, vel species sensibiles, sub quibus Christus est et accipitur, vel denique statum cibi, in quo Christus positus et panis noster supernaturalis est. — Verum adhuc instant et obiectionem urgent:

5) *Secundum SS. Patres natura vel essentia* (οὐσία, 15.
φυσις) *panis in eucharistia permanet, symbola mystica a sua natura non recedunt, a sua essentia non excidunt etc. Haec vero et alia similia transsubstantiationem excludunt. Ergo.* — *R. d.* mai. Et SS. Patres per naturam vel essentiam intelligunt sensibiles qualitates sive species panis et vini *c.*; intelligunt eorum substantiam *n.*: *c.* min. et *n.* consequens et consequentiam. Quam distinctionem omnino fundatam esse facile constat. Et *primo* quidem SS. Patres possunt ita intelligi. Etenim termino *naturae* vel *essentiae* frequenter designare solent sensibiles qualitates, quibus natura substantialis sensibiliter manifestatur. Ita v. g. *Tertullianus:* „Substantia est lapis, ferrum; duritia lapidis et ferri natura substantiae est" (De anima c. 32.). Similiter *S. Gregorius Nyssenus* dicit, naturam corporis Christi (ἡ τοῦ σώματος φύσις) in resurrectione in aliquid divinius esse mutatam (Antirreth. adv. Apollin. n. 57.). Deinde *Chrysostomus* de pueris in fornace babylonica miraculose conservatis agens declarat, eorum pietatem rerum naturam (τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν) mutasse (Hom. 4. ad popul. Antioch. n. 3.) atque elementa propriam ignorantia naturam in aliud mutata esse (In ps. 10. n. 1.). Denique in ipsa Vulgata legimus: *Aqua*

exstinguentis naturae (τῆς σβεστικῆς δυνάμεως) obliviscebatur" (Sap. 19. 19.). Atqui in his omnibus sententiis manifesto de mutationibus accidentalibus, non substantialibus sermo est. quare naturae termino designantur qualitates sensibiles accidentales non autem ipsa substantia.

16. Qua ratione commode etiam illi Patres de accidentibus eucharisticis agere intelliguntur, qui contra Monophysitas disputantes rationes loquendi obiectas adhibent. Quod patet ex scopo quem plerumque prosequuntur. Nimirum multi Monophysitae duas Christi naturas, divinam et humanam, confundentes ex mysterio eucharistico hunc suum errorem confirmare conati sunt hac ratione argumentantes vel inferentes: Sicut substantia panis convertitur in corpus Christi, ita humana Christi natura cum suis proprietatibus absorbetur a divinitate. Itaque sicut humanam Christi naturam visibilem esse ipsam naturam eiusdem divinam putabant. ita sensibiles species eucharisticas esse ipsum Christi corpus opinati esse videntur. Iamvero SS. Patres ad hanc Monophysitarum illationem repellendam obiectivam specierum eucharisticarum realitatem earumque a corpore Christi realem distinctionem inculcarunt atque hoc modo argumentum in ipsos adversarios retorserunt hunc in modum: Sicut visibiles species eucharisticae post consecrationem suam propriam realitatem retinent atque cum corpore Christi ab ipsis distincto unum sacramentum constituunt. ita humanitas Christi in sua propria natura remanens cum Verbo in unitate personae coniuncta est. Quare retorsio SS. Patrum profecto totam suam vim retinet, si nomine naturae vel essentiae sensibiles qualitates intelliguntur.

17. Verum *secundo* SS. Patres. quando de ss. eucharistia agentes illos loquendi modos adhibent. ita debent intelligi. ut terminis *naturae essentiae* designent sensibiles qualitates panis et vini sive species eucharisticas obiective reales. Quod constat *imprimis* ex communi traditionis doctrina. utpote quae veluti norma interpretationis consideranda et adhibenda est, si quae apud Patres in eiusmodi quaestione obscure vel ambigue dicta occurrant. *Praeterea* idem satis evincitur ex

ipso contextu locorum, qui opponuntur. Quod aliquo exemplo illustrare satis erit: *Auctor epistola ad Caesarium* monachum contra Apollinaristas agens declarat, proprietates humanae naturae in Christo permanentes non magis obstare unitati Filii incarnati, quam proprietates panis etiam consecratione iam peracta perdurantes unitati corporis Christi eucharistici obsint: „Unus Filius, inquit, unus Dominus, idem ipse procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existant (duae naturae) et unaquaeque incommixtam proprietatis conservet agnitionem propter hoc, quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo sunt corpora, sed unum corpus Filii praedicamus" (Inter opera S. Chrysostomi M. 52, 758). Scilicet panis post consecrationem liberatus est ab appellatione panis, quia tunc iam non est substantialiter panis. Verumtamen natura panis permanet, i. e. sensibiles proprietates panis perseverant. Qua ratione fit, ut in eucharistia non duo corpora sint, panis scilicet et corpus Christi, sed unum tantum corpus Christi. Similiter in Christo non duos filios, sed unum tantum Filium atque unum Dominum agnoscimus. Atque ita sane intelligendus est ille auctor neque aliter intelligi potest. Comparatio instituta minus quidem apta vel sapiens esse videri potest; verumtamen catholicam de transsubstantiatione doctrinam involvit vel supponit.

6) *SS. Patres nonnunquam dicunt, donis eucharisticis* 18.
a Deo immitti vim vitae eaque converti in virtutem carnis Christi. Ita v. g. Cyrillus Alex. (in Luc. c. 22.) et Theophylactus (in Marc. 14, 22.). Ergo, quando Patres panem converti in corpus Christi docent, nihil intelligunt nisi in panem derivari virtutem supernaturalem ex corpore Christi atque hanc ob rem panem ita elevatum corpus Christi appellant. Ita fere Pusey Anglicanus argumentatus est. — R. Primo contra hunc Anglicanum facile totum argumentum

retorquetur. Si enim sensu obiecto Patres illi intelligendi essent, profecto etiam realem praesentiam negassent; hanc autem ipse ille Anglicanus profitetur; ergo. — *Praeterea* vero illa testimonia consideratis contextu et scopo intento facile intelliguntur cum dogmate catholico prorsus concordare atque in confirmationem eiusdem cedere. *S. Cyrillus* enim l. c. ita disserit: „oportebat ipsum . . . nostris veluti commisceri corporibus per sanctam carnem suam et pretiosum sanguinem, quae habemus per vivificam eulogiam tamquam in pane et vino. Ne enim horreremus, carnem et sanguinem (visibiliter) in sacris mensis ecclesiarum proposita cernentes, condescendens Deus nostris infirmitatibus immittit propositis vim vitae (δύναμιν ζωῆς) et transmutat ipsa in efficaciam carnis suae, ut in participationem vivificam ea habeamus et tamquam semen vivificum sit in nobis corpus vitae. Et ne dubites, quin hoc verum sit, cum ipse aperte dicat: *hoc est corpus meum*, et: *hic est sanguis meus*. Suscipe potius in fide, verbum salvatoris; cum enim sit veritas, non mentitur.“ Iamvero his verbis Cyrillus clare omnino profitetur doctrinam catholicam, quia clare dicit tum Christum commisceri corporibus nostris per sanctam carnem suam et pretiosum sanguinem tum corpus vitae tamquam semen vivificum in nobis esse; quod ipsum confirmat ex verbis institutionis, quibus sine haesitatione credendum sit. Quod autem S. Doctor dicit, „panem transmutari in efficaciam carnis Christi“, nihil aliud significat nisi panem converti in carnem Christi efficacem seu vivificam vita supernaturali. Nimirum Cyrillus contra Nestorianos agens realem praesentiam et transsubstantiationem cum catholicis profitentes his veritatibus suppositis illud imprimis ostendere vult, corpus Christi in eucharistia per conversionem panis praesens esse vivificum et efficax ad sanctificationem impertiendam ideoque credendam esse carnem ipsius Dei Verbi. Quod expressius et maiori cum emphasi significans pro *carne efficaci* potius *efficaciam* carnis scripsit. Concordat cum his, quod paulo superius hanc efficaciam carnis esse ipsum Verbum expressis verbis declarat: „oportebat mortalem carnem vivificae Dei virtutis participem fieri.

Virtus autem Dei et Patris vivifica Unigenitum Verbum est." Denique ita Cyrillum etiam Elias Cretensis intellexit, utpote qui ipsa haec verba in confirmationem transsubstantiationis adducit (In scholiis ad orat. 1. S. Gregorii Naz.). Quare antiqua versio huius loci, qua usus est S. Thomas (Cat. in Luc. 22, 49.) neutiquam corrupta vel falsa est, sed recte sensum Cyrilli reddit his verbis: „Convertens ea (dona) proposita in veritatem propriae carnis."

Theophylacti testimonium etiam manifestius cum veritate catholica concordat eiusque praeclara est confirmatio. Nimirum ita habet: „*Hoc est corpus meum*, hoc quod nunc sumitis. Non enim figura et exemplar quoddam dominici corporis panis est, sed (panis) in illud ipsum corpus Christi convertitur. Etenim Dominus dicit: *panis, quem ego dabo caro mea est.* Et iterum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* Et quomodo hoc? inquiet aliquis? caro enim non videtur. Propter nostram infirmitatem, o homo! Quia enim panis et vinum nobis ciitata sunt, sanguinem vero et carnem proposita videntes id non ferremus, sed abhorreremus: idcirco benignus Deus condescendens speciem (εἶδος) quidem panis et vini conservat, in vim autem carnis et sanguinis transelementat (εἰς δύναμιν σαρκὸς καὶ αἵματος μεταστοιχειοῖ)". Theophylactus clarissime profecto dogma catholicum profitetur disertis verbis declarans „panem in ipsum illud corpus Christi converti". Neque igitur ultima sententia citata, quae ab adversario urgetur oppositum continere potest. Ceterum id ex ipsis verbis etiam intelligitur: etenim in conversione non substantiam, sed speciem (εἶδος) panis et vini conservari dicitur. Quod vero additur panem et vinum converti in virtutem (εἰς δύναμιν) carnis et sanguinis, virtus (δύναμις) praecise in oppositione ad speciem (εἶδος) nihil aliud intelligendum est nisi veritas sive essentia carnis. Atque hoc sensu terminus δύναμις etiam alias a Patribus necnon ab ipsa scriptura adhibetur. Sic v. g. SS. Patres ad declarandam unitatem naturae divinae docent esse μίαν δύναμιν trium personarum (cf. Athenagoras, leg. n. 10.: Hippolyt., Cont. Noët. n. 8.). Atque Apostolus eodem sensu usurpans terminum virtutis atque eundem opponens 19.

alteri termino speciei dicit: *Habentes speciem* (μόρφωσιν) *pietatis, virtutem* (δύναμιν) *autem eius abnegantes* (2. Tim. 3., 5.).

20. 7) *SS. Patres praesertim orientales frequenter ss. eucharistiam cum carbone ignito comparantes declarant. sicut carbo sit lignum una cum igne, ita ss. eucharistiam esse substantiam panis una cum corpore Christi; quae comparatio vel aequiparatio excludit sane transsubstantiationem. Ita rursus Pusey Anglicanus.* — *R. n.* totum. Etenim SS. Patres hanc analogiam carbonis igniti ad Verbum incarnatum applicant, ligno, quod per ignem ardet, humanitatem, igne vero, quod lignum accendit, verbum divinum repraesentantes. Deinde vero, cum in ss. eucharistia totus Christus praesens sit cum humanitate et divinitate eandem analogiam etiam ad Christum eucharisticum transferunt; atque ligno quidem iterum corpus sive humanitatem Christi, igne vero Verbum repraesentari volunt; nullo autem pacto ligno substantiam panis atque igne corpus Christi intelligunt. Quod certe manifestum est v. g. ex hoc *Ephrem Syri* testimonio: „Carbo, quem vidit Isaias, quid significat? Mente vidit, et cogitatione sibi repraesentavit futuram Dei manifestationem; divinam scilicet Unigeniti Verbi naturam ignis ille immaterialis significat. Quod autem carbo forcipe apprehenditur, hoc significat, Verbum Dei post suam cum corpore unionem apprehendi et percipi. Quod vero idem admotus est labiis prophetae, significatur. Verbum naturae nostrae se univisse et factum esse cibum animas nostras sanctificantem. Altare autem repraesentat futurum illud altare, in quo mystice conficiendum erat sacramentum corporis et sanguinis sancti. Alio modo carbo Emmanuëlem significat . . ." (In Is. 6. 6. ap. Lamy, S. Ephrem Syri hymni et sermones I. p. 419.). Cf. *Franzelin* th. 14.

Thesis 13. Item ex scriptura, ex verbis scilicet institutionis transsubstantiationis dogma certo demonstratur.

Declaratio.

1. *1. De aliquorum theologorum sententia.* — Aliqui theologi censuerunt, ex solis verbis institutionis, prae-

cisione facta a traditione et intellectu catholico, dogma transsubstantiationis demonstrari non posse; nimirum ita opinati sunt Scotus, Durandus, Paludanus, pauci alii. Ratio eorum fuit, quod verba institutionis in se inspecta admittant quidem eum sensum, ex quo transsubstantiatio inferri possit, non autem postulent eum sensum ita, ut excludant omnem alium. Sensum igitur eum, ex quo dogma transsubstantiationis infertur, iisdem verbis reipsa quidem subesse aiebant: atvero hoc non constare nisi ex traditione et auctoritate ecclesiae, cuius est sub directione Spiritus Sancti Scripturam interpretari. Sic v. g. *Scotus* declarat: „Si quaeras, quare voluerit ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem huius articuli, cum verba scripturae possent salvari secundum intellectum facilem et veriorem secundum apparentiam de hoc articulo (i. e. secundum testimonium sensuum, qui referunt panem et vinum sicut ante ita post consecrationem); dico quod eo spiritu expositae sunt scripturae, quo conditae. Et ita supponendum est, quod ecclesia catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum elegit, quia verus est. Non enim in potestate ecclesiae fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis; sed intellectum a Deo traditum ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis“ (In 4. d. 11. q. 3. n. 15.).

2. ***Communis theologorum sententia.*** — Ex 2. altera parte sententia, quae ipsa thesis enuntiatione expressa est, communiter a theologis tenetur et defenditur. Etiam *Concilium Tridentinum* eam clare significare videtur his verbis: „Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius“ (Sess. 13. c. 4.). Quibus instruimur, verba Christi eucharistiam instituentis causam esse perpetuae universalisque persuasionis ecclesiae, Christum

praesentem fieri in eucharistia conversione panis in corpus et vini in sanguinem i. e. transsubstantiatione. Ac certe SS. Patres omnes, qui de modo, quo praesens fiat Christus, agunt et disputant, ad unum omnes velut rationem doctrinae ecclesiasticae verba institutionis afferunt. Haec autem verba eo modo persuasionis communis ac fidei de transsubstantiatione ratio esse non possent, nisi per se, solis adhibitis regulis interpretationis internis unum hunc sensum complecti intelligerentur. Merito igitur Cardinalis *Franzelin:* „Quamvis . . . plena certitudo huius sensus verborum pro nobis fundetur in consensu et authentica interpretatione ecclesiae, possumus tamen etiam hermeneutice ex verbis ipsis hunc sensum genuinum demonstrare, ut intelligamus non tantummodo esse verum, sed etiam quomodo sit verus, eiusque veritatem etiam polemice adversus oppugnatores vindicemus" (Thes. 15. n. 1.).

Demonstratio.

3. Perspicuitatis gratia plura iuvat proponere argumenta, etsi tantum pro subiecta materia modaliter differant:

1. Argumentum primum: — In propositione: *Hoc est corpus meum* inter subiectum *hoc* et praedicatum *corpus meum* affirmatur obiectiva identitas ita, ut terminus demonstratus pronomine *hoc* in fine propositionis sit id, quod praedicato enuntiatur. Atqui terminus ille demonstratus in fine propositionis non potest esse id, quod praedicato enuntiatur, nisi desinente substantia panis sola substantia corporis Christi sub accidentibus panis exstet. Nam manente substantia panis pronomen *hoc* ipsam et quidem ipsam solam demonstrat, quoniam huic pronomini proprium est monstrato obiecto sensibili demonstrare substantiam visibilibus speciebus seu accidentibus connaturalem. Substantia autem panis sane non est corpus Christi. Quare tum solum pronomine *hoc* ut terminus demonstratus corpus Christi respondere potest, quando desinente omnino substantia panis, sola sub accidentibus panis substantia corporis Christi praesens est. Ergo, ut vera sit propositio: *Hoc est corpus meum*, necessarium est, ut desinente sub speciebus panis substantia panis, sub iisdem acci-

dentibus succedat substantia corporis Christi. Quae cum ita sint, transsubstantiatione non facta vera intelligi verba institutionis non possunt.

Excipitur primo, propositionem: *Hoc est corpus meum*, 4.
aequivalere alteri propositioni: Sub his accidentibus continetur corpus meum: vera autem haec esset, etiamsi simul cum corpore Christi sub iisdem substantia panis contineretur. *R.* Prima propositio non aequivalet alteri, nisi ita enuntietur: Sub his accidentibus continetur solum corpus meum. Ratio est, quia propositione: *Hoc est corpus meum*, perfecta identitas ponitur inter subiectum *hoc* et praedicatum *corpus meum*.

Excipitur secundo, haud raro ostenso obiecto sensibili 5.
pronomine hoc demonstrari non substantiam connaturalem phaenomenis visibilibus, sed alienam substantiam in ista contentam, ut cum ostensa lagena dicitur: hoc est vinum aut monstrata crumena affirmatur: hoc est argentum. *R.* Haec tunc solum locum habent i. e. tunc solum de continente contentum praedicatur, quando de obiecto agitur, quod vel natura sua vel comperta institutione ad aliud continendum destinatur. Hac enim destinatione fit, ut mentis attentio tota non ad substantiam continentem, sed ad substantiam contentam dirigatur, atque illa prae hac ad instar accidentis menti obversetur. In omni autem alio casu eiusmodi loquendi ratio absona esset, neque intelligeretur, sed necessario in errorem induceret. Ceterum de hac obiectione iam supra (th. 2. n. 19.) dictum est.

Quia igitur verba institutionis vera esse nequeunt, nisi desinente substantia panis sub accidentibus panis sub iisdem succedat substantia corporis Christi, iisdem verbis efficiatur oportet, ut corpus Christi ita sub accidentibus panis ponatur, ut vi huius positionis desinat substantia panis. Haec autem efficientia est ipsa transsubstantiatio, nimirum conversio totius substantiae panis in corpus Christi. Ergo.

2. *Argumentum secundum.* — Paulo aliter idem 6.
argumentum sic exponi potest: Si verba: *hoc est corpus meum*, considerentur ut a Christo Domino prolata sunt.

hunc in modum exponi possunt: Hoc quod in praesenti momento est panis, nunc in subsequenti iam est corpus meum ideoque non iam panis est. Manifeste autem duo hac propositione significantur, nimirum positio corporis Christi sub speciebus et vi huius positionis desitio substantiae panis. His autem transsubstantiatio continetur. Ergo verba Christi transsubstantiationem tum significant tum efficiunt.

7. *3. Argumentum tertium.* — Tandem paulo fusius argumentum ita exponi potest: Ad transsubstantiationem quatuor requiruntur et sufficiunt: primo, ut corpus Christi individuum praesens fiat sub speciebus panis; secundo, ut desinat substantia panis; tertio ut inter hanc desitionem et illam positionem sit nexus internus; quarto, ut in utroque termino aliquid commune inveniatur. Iamvero haec omnia locum habere in ss. eucharistia ex verbis institutionis probatur; ergo. Cum maior argumenti manifesta sit, solum restat, ut probetur minor; itaque:

1) *Corpus Christi realiter praesens fit sub speciebus panis.* — Etenim summum quadruplici sensu verba institutionis accipi possunt, *primo:* Haec est figura corporis mei; *secundo,* hoc continet corpus meum: *tertio,* hoc est corpus a me hypostatice assumptum; *quarto,* hoc est realiter corpus meum individuum. Atqui tum primus tum alter tum tertius sensus certo absurdus est; ergo solum quartus remanet. Ceterum etiam alter realem praesentiam corporis Christi individui includit.

8 2) *Desinit substantia panis.* — Etenim quamdiu substantia panis sub accidentibus panis remanet, pronomine *hoc,* utpote cuius significatio est: substantia sub his accidentibus praesens, corpus Christi demonstrari non potest; ergo ad ipsam verborum veritatem requiritur, ut substantia panis desinat. *Probatur antecedens:* Quamdiu sub sensibilibus accidentibus substantia connaturalis permanet, ipsa sola pronomine *hoc* demonstratur; neque ulla alia invisibiliter praesens demonstrari potest, nisi substantia connaturalis cum suis accidentibus ex natura sua vel ex comperta institutione ad aliam illam rem continendam destinetur. Ita certe fallaciter et

inepte loqueretur, qui ostendens pomum inclusum habens nummum aureum invisibilem diceret: hoc est aurum. Pari ratione ineptum est ostendendo corpus aliquod dicere: Hic est Deus, quamvis Deus ubique praesens sit. Atque iterum ineptum est ostendendo rem corpoream dicere: hic est angelus, quamvis angelus corpori intime praesens esset. Econtra vero, si qua res ex natura sua vel ex nota institutione receptaculum est ad aliam rem continendam, res contenta recte pronomine *hoc* vel ostendendo rem continentem demonstrari potest, quia tunc scilicet res continens velut accidens rei contentae consideratur. Sic recte loquitur, qui dolium sive lagenam vel marsupium sive crumenam ostendens dicit: hoc est vinum, hoc est aurum. Etenim marsupium destinatum est ad continendum aurum, atque dolium ad continendum vinum; et quia hoc omnibus notum est, ideo illa loquendi ratio legitima est atque ab omnibus intelligitur.

Iamvero panis neque ex natura sua neque ex institutione vel admonitione Christi ordinatus est ad Christi corpus continendum. Ergo hac ratione verba institutionis non verificantur. Quare, ut vera sint, absolute requiritur, ut corpus Christi substantiae panis sub accidentibus succedat ideoque substantia panis desinat.

3) *Internus nexus exstat inter positionem corporis Christi* 9.
et substantiae panis desitionem. — Etenim verba institutionis directa et explicita significatione significant sub speciebus panis contineri corpus Christi; indirecte vero et implicite significant, quod speciebus subest, ideo iam panem non esse. Iamvero verba institutionis, quod significant, etiam efficiunt. Ergo positionem corporis Christi sub speciebus ita efficiunt, ut vi huius positionis adeoque vi suae significationis indirectae saltem, substantia panis accidentibus subesse desinat. Ergo ex ipsis verbis institutionis nexus etiam exstat inter corporis Christi positionem et desitionem substantiae panis.

Aliis verbis: Verba institutionis, si enuntietur explicite 10.
quod implicite significatur, huic propositioni aequivalent: Hoc, quod erat panis, nunc iam est corpus meum; eadem igitur verba directe significant positionem corporis Christi:

ex obliquo vero desitionem substantiae panis significant ordinatam ad positionem corporis Christi. Atqui verba institutionis, quod significant, etiam efficiunt. Ergo desinit substantia panis, ut corpus Christi ponatur; vel nexus est inter desitionem panis atque corporis Christi positionem.

11. 4) *Denique etiam tertium commune invenitur.* — Etenim eodem pronomine *hoc* ante finem propositionis verba institutionis sive consecrationis complectentis substantia panis, in fine autem eiusdem propositionis corpus Christi demonstratur. Formale autem significativum pronominis hoc accidentia sunt, per quae substantia sensibiliter praesens redditur et demonstrari potest. Ergo significatur eadem accidentia, quae ante conversionem ad panem spectabant, post conversionem referri ad corpus Christi. Ergo accidentia panis tertium commune constituunt. Cf. S. Thomas, c. g. l. 4. c. 63. Itaque, cum ex verbis institutionis pateat, omnes conditiones ad transsubstantiationem requisitas impleri, ex iisdem verbis transsubstantiatio manifesto demonstratur.

Scholion.

12. ***Obiectiones reliquae solvuntur.*** — Una vel altera tantum difficultas solvenda superest, cum pleraeque in ipsa demonstratione thesis expeditae sint:

1) *Accidentia panis praesentia sunt, neque tamen pronomine hoc demonstrantur; ergo a pari praesens esse potest substantia panis, quin demonstretur.* — *R. n.* paritatem. Etenim accidentia nequaquam id sunt, quod pronomine *hoc* per se et directe demonstretur; sed potius illud sunt, per quod substantia sub iis contenta directe demonstrari potest: substantia panis autem sub accidentibus contineretur adeoque pronomine hoc demonstraretur.

13. 2) *Verba: hoc est corpus meum vera sunt, etiamsi sub speciebus panis simul cum corpore adsint anima et sanguis Christi; ergo pariter his verbis eorumque veritate substantia panis non excluditur.* — *R. n.* paritatem. Etenim anima et sanguis adsunt quidem sub speciebus panis, verum non adsunt sensibiliter vel nullum habent nexum cum accidentibus

panis atque ideo per vocabulum *hoc* non demonstrantur sive sub eius significato materiali non cadunt: substantia panis autem, si remaneret, sensibiliter adesset et nexum haberet cum accidentibus atque ideo per ea vel per pronomen hoc demonstraretur atque sub eius significato materiali caderet. Hoc autem posito verba consecrationis falsa forent, quia iam non esset perfecta vel adaequata identitas inter subiectum *hoc* et praedicatum *corpus meum*. — Verum adhuc instantia aliqui fieri potest:

3) *Posset saltem substantia panis conservari sub acci* 14
dentibus, quia ullum habeat cum iisdem nexum internum, vel in alio loco conservari posset. Quo in casu vera manerent verba institutionis neque tamen transsubstantiatio fieret. Ergo. — *R.* Hypothesis ista manifesto phantastica et absona est, quia ea ponit, quae cum sapientia Dei pugnant. Ceterum in primo casu, cum accidentia adhuc continerent substantiam panis, haec etiam per eadem demonstrari videretur.

Nota: Iuvat hoc loco notare, ab aliquibus auctoribus 15.
distingui ea ratione inter significatum formale et significatum materiale ita, ut in praesente re, ubi agitur de vocabulo *hoc* significatum materiale sit idem ac terminus demonstratus, significatum formale autem ratio obiectiva respondens conceptui per vocabulum *hoc* expresso, quae verificatur in significato materiali. Ita *Cardinalis Billot:* „In propositionibus demonstrativis, in quibus pronomen substantivum *hoc* tenet locum subiecti, necesse est distinguere formale eius significatum a significato materiali: nam talis distinctio adhibenda est in omnibus nominibus significantibus sub quadam indeterminatione. Porro formale significatum dico rationem obiectivam praecise respondentem conceptui, quem immediate vox exprimit, cum voces sint signa intellectuum et intellectus sint rerum similitudines: unde in verbis consecrationis formale significatum huius dictionis *hoc* est substantia sub accidentibus panis contenta, praescindendo a determinatione propriae naturae. — Formale significatum dictionis *hoc* est quadantenus determinatum, et quadantenus indeterminatum:

determinatum quidem quoad rationem contenti sub speciebus designatis: indeterminatum vero quoad specificationem propriae naturae sive quidditatis. Si enim nomen demonstrativum *hoc* significaret formaliter rem demonstratam sub determinatione naturae suae, omnes propositiones demonstrativae, in quibus gerit vices subiecti, forent totidem tautologiae: sicut cum dico, hoc est lignum, sensus esset: lignum est lignum etc. Unde *S. Thomas* docet, quod nomen *hoc* in forma consecrationis nec terminum a quo nec terminum ad quem monstrat determinate, sed indeterminate per aliquid, quod utrique termino commune est. Ubi aperte loquitur de formali significato, quod oportet esse distinctum a materiali, quia nihil a parte rei potest esse indeterminatae naturae. — Significatum autem materiale est substantia a parte rei determinata, in qua salvatur praefata ratio obiectiva: sicut si dicerem, quod subiectum *hoc* antecedenter quidem ad verborum efficientiam, designat *materialiter* substantiam panis, consequenter vero substantiam corporis Christi" (Thes. 59, §. 2.).

Corollaria.

16. Restat, ut errores quidam circa dogma catholicum versantes refutentur:

1. Absurdus est error Berengarianorum. — Nimirum quorundam Berengarii asseclarum opinio fuisse videtur, substantialem panis naturam manere quidem in ss. eucharistia, sed eandem hypostatice Deo Verbo uniri: quam sententiam aliqui etiam Ruperto Tuitiensi adscribunt. Verum haec sententia facile falsitatis et absurditatis convincitur. Etenim *primo* tum praesentia realis tum transsubstantiationis dogma subvertit, quod utrumque dogma ex fontibus theologicis evidenter probatum est. — *Deinde* eadem opinio aperte pugnat cum verbis institutionis: haec enim secundum hanc sententiam sensum funderent: Hoc, id est, hic panis assumptione hypostatica est corpus Christi; atqui hic sensus, ut supra iam ostensum est (th. 2. n. 33.) a verbis institutionis prorsus exclusus est. — *Denique* in eadem opi-

nione vere dicendum esset: Verbum est panis. quod absonum est; assumptio enim hypostatica panis per Verbum divinum omni ratione et fine careret ideoque Deo indigna apparet.

17. ***2. Item absurdus est error Ioannis Parisiensis iunioris.*** — Secundum hunc theologum natura substantialis panis manet. sed hypostatice sustentatur a corpore et in corpore Christi. Sed haec opinatio etiam magis absona est quam error praecedens. Etenim *primo* etiam hac opinione dogma transsubstantiationis destruitur. — *Deinde* eadem pariter pugnat cum verbis institutionis. utpote quae sic enarranda essent: Hoc, id est hic panis, cum sit hypostatice assumptus a corpore Christi. corpus Christi est. Quae propositio certe absurda est: etenim si panis esset hypostatice assumptus a corpore Christi non ideo ipse panis diceretur corpus Christi. sed corporis Christi proprius, quemadmodum humanitas Christi non dicitur Verbum sed Verbi propria. — *Praeterea* generatim substantiam creatam aliam substantiam hypostatice assumere satis absone affirmatur, cum solus Deus aliam substantiam hypostatice assumere posse videatur. — *Verum adhuc* magis absurdum est, substantiam creatam aliquam non subsistentem, qualis est corpus Christi, alteri substantiae subsistentiam tribuere. — *Denique* etiam ideo haec opinatio pugnat cum verbis institutionis. quia secundum haec in ss. eucharistia praesens est ipsum illud corpus, quod natum est ex Maria Virgine, quod crucifixum est, quod ad dextram Patris sedet.

18. ***3. Falsa est sententia Durandi.*** — Secundum hunc theologum post consecrationem manet materia panis. quae sit subiectum accidentium et totius conversionis. Sed haec sententia falsa est neque cum dogmate componi potest. Etenim *primo* transsubstantiatio conversionem dicit totius substantiae panis. ad quam profecto materia pertinet; ergo materia manere nequit. Quod aperte etiam Concilium Tridentinum docet. cum solas species manere statuit; materia enim sane non est species panis. — *Praeterea* in hac sententia dicitur materiam esse subiectum accidentium: atqui accidentia manent sine subiecto; quod autem sub iis continetur. corpus

Christi est. — *Denique* Durandus affirmat, materiam subiectum conversionis esse, ita scilicet, ut desinente forma panis ab anima Christi informetur; hoc autem ex multiplice capite absonum est. Etenim *imprimis* existeret novum corpus Christi vel saltem nova pars eiusdem corporis, cum tamen praesens sit in ss. eucharistia idem ipsum corpus, quod in mortali vita gessit et nunc gerit in coelis. *Secundo* gloriosa anima Christi, quoties consecratio fit, toties informaret novam materiam: et quoties species corrumperentur species sacramentales, toties pars corporis Christi ab anima informati corrumperetur. *Tertio* denique anima Christi dicenda esset immensam fere materiae molem informare.

19. ***4. Singularis et falsa est sententia a Bannez necnon aliis quibusdam Thomistis defensa.*** — Nimirum Bannez aliquando defendit, deinde retractavit quidem, sed probabilem esse affirmavit cum quibusdam aliis Thomistis opinionem, in ss. eucharistia manere existentiam substantialem panis. Verum parum cum fide haec quoque opinio componi potest. Etenim *primo* conversio totius substantiae panis certo intelligenda est de substantia completa, prout est in rerum natura ideoque prout includit existentiam tamquam actum internum et formalem; in hac autem opinione completa conversio totius substantiae panis non exstaret. — *Praeterea* ex doctrina Concilii Tridentini post consecrationem nihil remanet ex pane nisi sola accidentia; ergo cum existentia etiam ex sententia illorum theologorum non sit accidens, sed ultimus actus substantialis, ut loquuntur, existentia substantialis panis remanere nequit. Reponunt quidem, cum accidentia non propria sed substantiae suae existentia existant, definitionem statuentem accidentia remanere, implicite significare etiam manere existentiam substantialem panis. Atvero immerito hanc suam admirabilem opinionem concilio Tridentino adscribunt, utpote quod disertis verbis excludit de pane quidquid accidens non est; id enim facere non potuit, quin implicite vel actu exercito commentum illud de existentia substantiali panis remanente excluderet. — *Denique* tota haec opinio in fundamento duplici omnino la-

bili innititur: primum est, quod essentia et existentia in rebus creatis realiter distinguantur: alterum, quod accidentia non propria sed substantiae suae existentia existant. Praetermisso nunc primo, alterum nullam penitus probabilitatis speciem habet, cum evidens esse videatur, accidentia realiter distincta a substantia non posse existere existentia substantiali essentiae. Sive enim essentia refertur ad existentiam ut potentia ad actum sive ut principium ad terminum ex ipso necessario manentem, in omni certe casu proportio exstare debet inter essentiam et existentiam; sed alia omnino est essentia substantiae et alia essentia accidentis; ergo alia etiam est existentia accidentis, et alia existentia substantiae, sive accidentia existere nequeunt existentia substantiae.

5. Falsa etiam illa opinio est, quae a plu- 20.
ribus tum Henrico Gandavensi tum Caietano tribuitur. — Nimirum hi theologi statuisse videntur, nihil manere substantiae panis sub ea specifica ratione, sub qua antea erat, scilicet sub specifica ratione panis; manere tamen panem sub omni ratione, in qua convenit cum corpore Christi, i. e. secundum eas specificas rationes, quae tum de pane tum de corpore Christi praedicantur. Itaque maneret eadem entitas, eadem substantia, idem corpus tamquam tertium commune; atque solum specifica ratio panis transiret in specificam rationem humanitatis vel *humani* corporis Christi. Verum certo falsa et absona est haec opinatio. Etenim *primo* eadem innititur in supposito philosophico certo falso, scilicet inter gradus metaphysicos in eadem re esse distinctionem non tantum virtualem, sed realem. Sed etiam theologice falsa est. — Nimirum *secundo* fide tenendum est converti totam substantiam panis; atqui non tota convertitur, si amittit solum rationem specificam panis atque manet, prout corpus et substantia et entitas est. — *Tertio* fide certum est, nihil de pane manere praeter sola accidentia; iamvero ratio corporis, substantiae, entitatis, quae ponitur de pane manere, certe non est ipsius accidens. — *Quarto* idem prorsus corpus est in ss. eucharistia quod natum est de B. V., quod crucifixum est, quod sedet in coelis ad dextram Patris; atqui in

illa opinione haec identitas non servatur; nam secundum eandem in eucharistica esset entitas, substantia, corpus, quae erant panis: in corpore autem Christi, quod in coelo est, haec non essent. Corpus Christi eucharisticum igitur et corpus Christi, quod est in coelo ab invicem realiter substantialiter distinguerentur. Imo vero etiam pro pluralitate specierum sacramentalium plura erunt corpora Christi realiter distincta: quod certe absurdum est. Haec autem absurda in illa sententia vitari nequeunt nisi dicendo, gradus metaphysicos specifice eosdem esse realiter identicos; hoc autem ipsum absurdum est atque logica necessitate in pantheismum ducit. Ergo.

21. ***6. Item falsa est sententia a P. Bayma S. I. proposita.*** — Nimirum hic theologus aliquam dogmatis transsubstantiationis explicationem excogitavit atque proposuit, quam Congregatio s. officii ea de re a Praeposito Generali S. I. P. Beckx consulta decreto 7. Iul. 1875 lato declaravit tolerari non posse. Comprehenditur autem ea sententia, quae valde affinis apparet errori Ioannis Parisiensis, his propositionibus: „1) Sicut formalis ratio hypostaseos est per se esse seu per se subsistere, ita formalis ratio substantiae est in se esse, et actualiter non sustentari in alio tamquam primo subiecto: probe enim ista duo discernenda sunt: esse per se, quae est formalis ratio hypostaseos, et esse in se, quae est formalis ratio substantiae. 2) Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non per se subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiore divina, ita substantia finita, e. g. substantia panis, desinit esse substantia eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut iam non in se sit, sed in alio ut in primo subiecto. 3) Hinc transsubstantiatio seu conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in eucharistia, sustentat naturam panis, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse substantia, quia iam non est in se, sed in alio sustentante: adeoque manet quidem natura panis, sed in ea cessat

formalis ratio substantiae; et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi. 4) Igitur in eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum iam in alio supernaturaliter existentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem supernaturalis accidentis, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat, quod a corpore Christi modo, quo dictum est, sustentantur." — *Haec sententia sane intolerabilis est atque falsitatis facile convincitur.* Etenim *primo* pugnat cum doctrina Concilii Tridentini, utpote quod docet, in conversione eucharistica remanere sola accidentia, non autem substantiam panis. Iamvero ita declarans Concilium substantiam intelligit in oppositione ad accidentia, naturam igitur substantialem, quo sensu haec vox semper intellecta est. Ergo quaecunque entitas substantialis panis simpliciter desinit. Atqui in praedicta opinione tota entitas substantialis remanet mutato tantum nomine vel ad summum modo essendi. Ergo. — *Secundo* eadem opinio igitur non differt a sententia Berengarianorum, quatenus haec ab ecclesia iam saeculo 11. damnata est. Etenim teste Lanfranco (De corp. et sangu. Domini c. 5.) Berengarius docuit, „panem vinumque altaris sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere"; quod item *Guitmundus* testatur: „Berengariani omnes in hoc conveniunt, quia panis et vinum essentialiter non mutantur" (De corp. et sangu. Domini l. 1.). Iamvero etiam in opinione illa recentiore panis et vinum in pristinis essentiis persisterent et essentialiter non mutarentur. Ergo. — *Tertio* in eadem opinione nulla conversio veri nominis panis exstaret, sed tantum mutatio nominis vel ad summum modi essendi fieret. Atqui secundum doctrinam catholicam transsubstantiatio est conversio veri nominis et in proprio sensu et quidem totalis substantiae panis in corpus Christi et substantiae vini in sanguinem Christi. Ergo. — *Quarto* denique haec opinio intrinsecus impossibilis est. Etenim manente entitate panis manet etiam substantia panis; nam essentiae rerum immutabiles sunt; esse autem substantiam est praedicatum essentiale, neque igitur substantia ullo modo potest fieri ac-

cidens. Sane „substantia est res, cuius naturae debetur esse non in alio; accidens vero est res, cuius naturae debetur esse in alio“ (*S. Thomas*, Quodlib. 9. a. 5. ad 2.). Quare substantia, etsi possit actu esse in alio, semper tamen retinet essentiam suam i. e. ontologicam aptitudinem vel exigentiam, ut sit in se et non in alio: ita v. g. natura humana Christi, quamvis sit in Verbo, non tamen substantia esse desiit: atque analoga ratione de anima humana dicendum est. Similiter etiam accidens, etsi actu non inhaereat substantiae ulli sed divina virtute sustentetur, manet tamen accidens, quia essentia eiusdem talis est et manet, ut in substantia tamquam in subiecto inhaerere postulet. Apposite *S. Thomas:* „Quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subiecto, quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subiecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus, quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante: et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quae est aptitudo ad subiectum, quae semper manet in eis, non actualis inhaerentia, nec competit eis definitio substantiae“ (S. th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2.). Quae cum ita sint, opinio, de qua agitur, etiam metaphysice repugnare intelligitur.

22. ***7. Denique falsa et absurda est explicatio a Rosmini tradita.*** — Haec explicatio continetur duabus propositionibus, quas cum aliis eiusdem auctoris damnavit Congregatio S. R. Inquisitionis approbante Leone XIII. d. 14. Decembr. 1887. Propositiones autem istae ita habent: 29.: „A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc coniecturam: In eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis ipsamque sua vita sanctificat, eo ferme modo, quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis. 30. Peracta transsubstantiatione intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.“ Atvero *haec opinio certo falsa*

et absurda est. Etenim *primo* in ea aequiparatur transsubstantiatio cum conversione cibi in carnem; atqui haec tantum est transformatio, illa autem totius substantiae conversio ergo. Frustra autem ad SS. Patres provocatur, utpote qui comparent cum invicem binas illas conversiones. Etenim comparant quidem, attamen non aequiparant. — *Secundo* ex doctrina Concilii Tridentini et SS. Patrum transsubstantiatio est conversio prorsus singularis; ergo non est mera transformatio, qualis est conversio cibi in carnem. — *Tertio* ex sententia Rosmini principium sentiens est anima; ergo si panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi, quatenus fiunt terminus principii sentientis eiusdem, panis et vinum fierent terminus animae Christi. Porro terminum fieri animae sentientis secundum Rosmini nihil aliud est, quam ab anima percipi ita, ut si haec perceptio desinat, corpus ab anima separetur et mortuum sit. Atqui eo solum, quod aliqua res percipitur, nulla in eius realem et physicam naturam inducitur mutatio. Ergo tota in hac opinione remanet substantia panis et vini ideoque nulla fit transsubstantiatio. — *Quarto* aliud adhuc absurdum in hac sententia apparet: scilicet continuo augeretur et cresceret corpus Christi gloriosum eo, quod indesinenter per succedentes consecrationes nova atque nova materia adderetur; qua ratione corpus Christi deforme monstrum evaderet, quod absit; ergo. — Denique neque in hac opinatione corpus idem prorsus praesens esset in ss. eucharistia, quod conceptum natumque est de Beata Virgine, quod crucifixum est, quod ad dexteram Patris sedet: atqui hoc principium theologiae est certissimum; ergo.

Quaestio altera.

De ss. eucharistia, ut est sacramentum.

Articulus primus.

De ratione sacramenti ss. eucharistiae conveniente.

Thesis 14. SS. eucharistia est unum ex septem N. L. sacramentis, quod quidem materialiter plura, formaliter vero tantum unum est.

Declaratio.

1. ***1. Argumentum et divisio huius quaestionis.*** — Absoluta quaestione prima fundamentali de reali praesentia, iam altera tractanda venit, de sacramenti scilicet ratione, quae sanctissimae eucharistiae convenit. Haec autem quaestio, si quidem ut par est ea, quae theologiam moralem spectant, ex tractatu dogmatico eliminentur, multo brevius, ac prima, expediri potest. Tria enim solum doctrinae capita tunc tractanda restant, quae commode tribus articulis absolvuntur:

Articulus primus: de ratione sacramenti ss. eucharistiae conveniente.

Articulus secundus: de effectibus eiusdem.

Articulus tertius: de necessitate eiusdem.

2. ***2. Argumentum primi articuli et huius thesis.*** — In hoc articulo inquirendum et determinandum est, num et qua ratione ss. eucharistiae veri N. L. sacramenti indoles conveniat; quod quidem duabus thesibus facile absol-

vitur: in praesenti thesi scilicet interna constitutio ss. eucharistiae in ratione sacramenti declaratur et definitur, in altera subsequenti speciatim in formam huius sacramenti inquiritur. Iam in praesenti thesi, ut scopus eidem praefixus attingatur, tria secundum ordinem praestanda sunt:

Primo probanda est doctrina catholica, ss. eucharistiam esse verum N. L. sacramentum; hoc enim, quamvis ex fontibus revelationis clare pateat, nihilominus negarunt praetermissis antiquis aliquot haereticis Petrobrussiani, qui teste Petro Cluniacensi affirmarunt, Christum quidem hoc mysterium celebrasse, Apostolis vero atque sacerdotibus potestatem idem celebrandi nequaquam collatam esse. Eundem errorem defenderunt saeculo 11. Gundulphiani atque saeculo 16. Sociniani necnon defendunt ex recentioribus Protestantibus et Rationalistis plures. Contra hunc errorem doctrina catholica tamquam dogma fidei definitum est in pluribus conciliis, ut Carthaginensi 3. (a. 397.). Lateranensi 4. (c. Firmiter). in Florentino (decr. pro Armenis). Tridentino (sess. 7. c. 1., sess. 13., sess. 21.). Iam in hac doctrina vindicanda argumentum 1. p. thesis versatur.

In 2. vero parte aliud caput doctrinae catholicae contra 3.
Protestantes Lutheranos defenditur. Nimirum isti haeretici, cum circa modum realis praesentiae multum dissentiant, in hoc tamen conveniunt omnes, Christum non esse praesentem nisi in actu communionis atque ideo sacramentum ss. eucharistiae, sicuti cetera sacramenta in solo usu materiae (s. communione) constare; qua ratione asservationem, cultum, adorationem ss. eucharistiae eliminare conati sunt. Econtra secundum doctrinam catholicam ss. eucharistiae sacramentum in ipsa consecratione materiae conficitur per verba Salvatoris atque tamdiu permanet, quamdiu species perseverant, vel est sacramentum permanens. Quae doctrina sollemniter definita est a *Concilio Tridentino* sess. 13. can. 4.: „Si quis dixerit, peracta consecratione in admiribili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem

reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: a. s." (cf can. 6. et 7.).

4. *In 3. denique parte* dirimenda est quaestio magis scholastica de unitate sacramenti eucharistiae. Haec scilicet quaestio oritur, quia in ss. eucharistia duplex exstare videtur signum sacramentale, nimirum duplex species eique duplex consecrationis forma: ubi autem est duplex signum sacramentale, ibi etiam duplex sacramentum esse videtur: ex altera autem parte unum tantum sacramentum eucharistiae esse dicendum est, quia secus plura quam septem sacramenta essent: id autem cum dogmate definito pugnaret.

Demonstratio.

I. p.: SS. eucharistia est verum N. L. sacramentum.

5. Demonstrationem huius partis ita breviter complectitur *Catechismus Tridentinus:* „Sed explicata nominis ratione docendum erit, hoc verum esse sacramentum, atque unum ex septem illis, quae sancta ecclesia semper religiose coluit ac venerata est. Nam cum calicis consecratio fit, mysterium fidei appellatur. Praeterea ut infinita fere sacrorum scriptorum testimonia omittamus, qui hoc inter vera sacramenta numerandum esse, perpetuo censuerunt, ex ipsa ratione et natura sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa et sensibus subiecta. Habet deinde gratiae significationem et efficientiam. Praeterea de Christi institutione neque Evangelistae neque Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quae omnia cum in unum conveniant ad sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur" (P. 2. c. 4. n. 7.).

Haec autem demonstratio paucis evolvenda est. Itaque:

6. ***1. Demonstratur ex ipsa ratione sacramenti.*** — Quod signum est sensibile, demonstrativum et practicum gratiae atque stabili lege a Christo institutum verum N. L. sacramentum credendum est: atqui haec sacramenti definitio in ss. eucharistia evidenter verificatur: ergo ss eucharistia rationem habet veri N. L. sacramenti. *Probatur minor:*

1) *Tum verba consecrationis tum species panis et vini aliquid reale sensibile sunt.* ut ex superiore tractatione manifestum est; atqui in his simul cum corpore et sanguine Christi continetur ss. eucharistia: ergo ss. eucharistia aliquo sensibili continetur.

2) *SS. eucharistia stabili lege a Christo instituta est* 7. Revera hanc stabilem institutionem a Christo factam esse ex ipsis verbis institutionis patet. Verbis enim consecrationis ipse addidit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc 22. 19. cf. 1. Cor. 11. 23. ss.). — *Praeterea* idem elucet ex verbis promissionis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Ioan. 6, 53.). utpote quae verba cum aliis eiusdem orationis, cum prorsus universalia sint, non ad praesentes auditores restringuntur. sed ad omnes plane homines extenduntur. — *Denique* idem manifestum est ex perpetua praxi ecclesiae, de qua testantur tum SS. Patres tum Liturgiae omnes. Sed de his iam supra actum est (cf. thes. 3. et 4.).

3) *SS eucharistia est signum demonstrativum et practicum gratiae.* Etenim tum species tum verba consecrationis manifesto ipsum auctorem gratiae sub ratione cibi et potus spiritualis praesentem ostendunt; hunc autem cibum supernaturalem. quando sumitur, gratiam largiri evidens est tum ex natura rei tum ex oratione promissoria (cf. Ioan. 6. 50. 52. 57...).

2. *Ex traditione.* — Huc spectant innumera testi 8. monia SS. Patrum atqui liturgiarum necnon monumenta picta atque sculpta primae etiam aerae christianae. Verum testimonia traditionis magno numero supra iam adducta sunt (th. 3. et 4.): quare hoc loco nova addere. supervacaneum apparet. Cf. circa monumenta picta atque sculpta: *Grisar,* Geschichte der Stadt Rom necnon *Kraus.* Realencyclopadie des christl. Alterthums.

2. p.: SS. eucharistiae sacramentum in consecratione perficitur atque tamdiu permanet. quamdiu species incorruptae perseverant.

1. *Probatur ex verbis institutionis.* — SS. eucha- 9. ristiae sacramentum fatentibus ipsis haereticis adversariis tum

conficitur, quando corpus et sanguis Christi praesentia sistuntur atque tamdiu permanere dicendum est, quamdiu corpus et sanguis Christi manent. Atqui corpus et sanguis Christi praesentia sistuntur per prolationem verborum consecrationis et tamdiu manent, quamdiu perseverant species incorruptae. Ergo ss. eucharistiae sacramentum in consecratione perficitur atque tamdiu manet, quamdiu manent species; vel est sacramentum permanens. Quare falso et absurde asseritur sacramentum eucharistiae confici in usu materiae vel sacra communione atque tunc tantum Christum praesentem fieri.

10. *Probatur minor ex verbis consecrationis:* Haec enim verba Christi nomine pronuntiata profecto debent esse vera; atqui ad veritatem horum verborum plane requiritur, ut primo Christus praesens sistatur in ipso momento, quo haec verba proferuntur, atque ut secundo tamdiu maneat, quamdiu species durant; etenim verba illa de praesenti atque non solum de praesenti verum etiam absolute et praescindendo a quocunque usu vel a sumptione corporis et sanguinis Christi praesentiam eorundem enuntiant, quippe quae significant: Contentum sub his speciebus est corpus meum, est sanguis meus. Ergo falsa foret propositio, si prolatis verbis Christus nondum esset praesens vel si permanentibus speciebus sub ipsis contineri desineret. Hinc illogice et absurde procedere intelliguntur adversarii, qui ex verbis institutionis quidem admittunt realem praesentiam, eandem vero ad momentum sumptionis restringunt.

11. *Maior argumenti* ut per se manifesta necnon ex ipsorum adversariorum confessione certa sumpta est; ceterum etiam facile probatur: Nimirum sacramentum quodvis tunc conficitur, quando primus eius vel immediatus effectus producitur; sic v. g. baptismus, confirmatio, ordo tunc conficiuntur, quando character imprimitur, non vero, quando gratia infunditur; secus enim, qui fictus accedit, vel nunquam reciperet sacramentum vel tunc solum, quando fictio removetur, quod aperte falsum est. *Ratio autem interna,* quod sacramentum tunc perficitur, quando primus eius effectus producitur, in eo est, quod signum practicum tunc perficitur, quando id

efficitur, a quo eius veritas pendet. Id autem a quo veritas signorum practicorum sacramentalium pendet, non est immediate ipsa gratia sanctificans, sed aliquis titulus ad gratiam praevius. — Sacramentum eucharistiae autem tamdiu permanere, quamdiu perseverat sub speciebus corpus Christi, etiam manifestum est: etenim tamdiu permanet signum sacramentale continuo suum effectum conservans; scilicet physice quidem species, moraliter autem cum ipsis verba consecrationis permanent.

Confirmatur totum argumentum, quia in s. scriptura ss. eucharistia panis et cibus appellatur; panis enim et cibus aliquid significant, quod extra usum consistat atque permaneat.

2. *Ex SS. Patrum doctrina.* — SS. Patres multipliciter de dogmate catholico testantur: Declarant Christum per verba consecrationis, non per usum praesentem fieri, eucharistiam conservari atque in domos deferri posse, eandem adorandam esse; necnon eam independenter ab usu carnem et sanguinem Christi esse significant. Quae omnia iam patent ex testimoniis ad realem praesentiam probandam supra (th. 3. et 4.) adductis. Quare hoc loco solum *Cyrillum A.* audire sufficit: „Porro alios etiam audis, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem iuvare dicunt, si quid ex ea fiat reliqui in aliam diem. Insaniunt vero, qui haec asserunt. Neque enim alteratur Christus neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis et facultas et vivificans gratia perpetuo in ea existit" (Ep. 83. ad Calosyrium.). 12.

3. *Ex praxi ecclesiae.* — In liturgiis tum occidentalibus tum orientalibus adoratio eucharistiae post consecrationem praescribitur (cf. Goar, Euchol. pp. 77. et 81.). — *Praeterea* idem patet ex missa praesanctificatorum, quam Graeci quidem quotidie in Quadragesima exceptis diebus Dominicis et sabbatis, Latini vero in Parasceve celebrant, cuius disciplinae iam saeculo 4. Patres Laodiceni meminerunt. — *Denique* idem aliae plures consuetudines manifestant, ut v. g.: Diaconi post communionem fidelium ex praescripta regula reliquias consecrati panis in pastophoria 13.

inferebant (cf. constit. Apost. l. 8. c. 13.): fideles ss. eucharistiam in arca inclusam domum detulerunt atque mane ieiuni sumpserunt (cf. Tertullianus, ad uxor. l. 2. c. 5.; Cyprianus. de spect. c. 5.; idem, de laps. c. 26.: S. Ambrosius orat. de obitu Satyri fratris n. 43. 46.); tandem eucharistia asservari solebat, ut ad aegrotos deferri posset tamquam viaticum. (Eusebius, hist. eccl. l. 6. c. 44.)

14. Quibus documentis convicti vel ipsi haeretici concesserunt, antiquam ecclesiae praxin sibi adversari, ut v. g. *Calvinus:* „Qui sic faciunt. habent veteris ecclesiae exemplum: verum in re tanta et in qua non sine magno periculo erratur. nihil tutius est, quam veritatem sequi" (Instit. l. 4. c. 17.). *Leibnizius* vero reipsa veritati non ut Calvinus praeiudiciis pertinacibus cedens in suo systemate theologico dogma catholicum tuetur atque. qui aliter sentiunt, aperte dicit „in tricas incidere. utrum in labiis aut in ore aut in gula aut in stomacho (corpus Christi) primum incipiat. anne in hoc quidem, si vitio eius symbola non consumantur".

3. p.: Sacramentum eucharistiae materialiter quidem plura, formaliter vero unum est.

15. *Sacramentum eucharistiae esse materialiter plura* per se manifestum est. quia scilicet constituitur non uno individuo signo sacramentali. sed duobus. quae non omnino idem proxime significant, sed aliqua ratione specifice differunt; alterum enim corpus. alterum vero sanguinem Christi proxime significat. — *Nihilominus sacramentum eucharistiae formaliter unum est,* quia signa illa diversa non differunt specie totali sed tantum partiali atque ad unam speciem integram sacramenti ordinantur· aliis verbis: species eucharisticae cum verbis consecrationis respectivis sunt duo particularia signa, quae se invicem complent atque significationem unius perfecti sacramenti integrant Quae altera assertio satis commode explicatur atque vindicatur:

16. ***1. Probatur ex modo loquendi Conciliorum, Patrum scriptorumque ecclesiae.*** — Totam enim eucharistiam unum sacramentum in numero sigulari nominare solent; haec autem denominatio vera non esset. si

sacramentum corporis Christi specie totali differret a sacramento sanguinis Christi: ergo ss. eucharistia unum specificum integrum sacramentum constituit. *Neque recte contra excipitur*, in collectis missae quandoque ss. eucharistiam exhiberi in numero plurali tamquam sacramenta corporis et sanguinis Domini. Etenim. ut numero plurali tamquam sacramenta exhiberi possit eucharistia. satis est, ut sacramentum corporis et sacramentum sanguinis Christi sint duo sacramenta partialia. ut autem numero singulari tamquam unum sacramentum exhiberi valeant. profecto requiritur. ut. quamvis duo sacramenta partialia sint. unum tamen totale constituant.

2. Ex numero septenario sacramentorum. — 17. Nimirum septem esse N L. sacramenta nec plura nec pauciora dogma fidei est. Si vero sacramentum corporis et sacramentum sanguinis Christi duo essent sacramenta totalia. non semptem tantum, sed octo sacramenta numerarentur. Ergo.

Excipit Vasquez, nullam esse huius argumenti vim; 18. quod ita ostendere conatur: Ponatur sacramentum corporis et sacramentum sanguinis duo esse sacramenta: cum sub uno genere eucharistiae contineantur. nihilominus septem tantum. non plura sacramenta essent: sicut plura non sunt. quamvis sub ordine plures numerentur specie diversi ordines — Atvero perperam ita excipitur. Haec enim exceptio sup ponit vel involvit. ecclesiam numerare partim species infimas. partim genera sacramentorum. Eiusmodi autem numeratio parum conveniens et arbitraria prorsus foret atque principio inniteretur. ex quo inferri etiam posset. duo tantum esse sacramenta, unum vivorum alterum mortuorum. Profecto autem, qui de numero sacramentorum quaerit. species infimas sacramentorum secundum numerum nosse cupit. Itaque eadem quidem ratione in hac quaestione de diversis ordinibus atque de sacramentis corporis et sanguinis Christi dicendum est, aliter tamen ac Vasquez censet. Nimirum diversi ordines plura quidem sunt sacramenta. attamen non totalia. sed partialia. quia componunt unicum sacramentum totale ordinis significans gratiam necessariam ad ministrandum in ecclesia.

Simili modo sacramenta corporis et sanguinis Christi duo partialia, sed unum totale sacramentum constituunt, quod significat immediate corpus et sanguinem Christi et mediate spiritualem refectionem.

19. *3. Ex ratione unitatis specificae.* — Optime totam rem declarat *S. Thomas:* „Apostolus dicit 1. Cor 10, 17.: *Unus panis et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus;* ex quo patet, quod eucharistia est sacramentum ecclesiasticae unitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei cuius est sacramentum. Ergo eucharistia est unum sacramentum. Respondeo dicendum, quod . . . unum dicitur non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam, quod est perfectum, sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia quae requiruntur ad finem eiusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animae, et domus integratur ex omnibus partibus quae sunt necessariae ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritalem refectionem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt, silicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Ioan. 6, 56.: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective" (S. th. 3. p. q. 73. a. 2.). Itaque quamvis duo diversa sint signa sacramentalia, scilicet species panis cum verbis consecrationis panis atque species vini cum verbis consecrationis vini, nihilominus eucharistia unum sacramentum est, non duo: ratio est, quia illa signa spectata sua significatione obiectiva signa inadaequata vel partialia sunt, quae ad unum signum adaequatum vel totale se complent. Etenim cum alterum corpus Christi in ratione cibi et alterum sanguinem eiusdem in ratione potus proxime quidem atque iterum alterum refectionem spiritualem per corpus Christi

et alterum refectionem per sanguinem eiusdem significat: utrumque simul tamquam unum adaequatum vel totale signum Christum sub ratione cibi et potus sive tamquam obiectum totale refectionis spiritualis proxime quidem et hanc ipsam refectionem spiritualem integram remote significat.

Scholion.

Obiectiones quaedam solvuntur. — Solum contra 20.
2. et 3. partem thesis quaedam obiiciuntur, quae considerationem aliquam merentur:

1) *Ex ipsis verbis institutionis constare videtur, Christum tantum in usu ss. eucharistiae sive in s. communione esse praesentem: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Ex his enim verbis satis patet, eucharistiam non ordinari nisi ad usum sumptionis; ad hunc autem finem sufficit, si Christus in solo sumptionis momento praesens est. Ergo.* — *R.* Ex eo, quod eucharistia ad usum sumptionis tamquam ad finem principalem ordinatur, absurde colligitur, Christum non adesse nisi in actu sumptionis. Ceterum ordinatio illa ad usum sumptionis alios fines non excludit, ut v. g. sacrificii oblationem, adorationem et alia: haec autem requirunt, ut Christus ante usum sumptionis in ipso consecrationis momento praesens sistatur atque maneat.

2) *Sacramenta diversa cum invicem conveniant oportet;* 21.
ergo cum alia sacramenta, ut v. g. baptismus usu perficiantur, idem etiam de ss. eucharistia dicendum est; quare Christus in solo sumptionis momento praesens sistitur. — *R. n.* paritatem, quia baptismus, ut signum sacramentale est, hominem consecrandum et sanctificandum significat, eucharistia autem immediate saltem significat materiam consecrandam; quod discrimen essentiale est atque manifesto patet, si utriusque sacramenti materia et forma considerentur. Apposite *S. Thomas:* „Sacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute et in ordine ad aliud. Haec autem est differentia inter eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod eucharistia continet aliquid sacrum

absolute, scilicet ipsum corpus Christi: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud scilicet virtutem ad sanctificandum: et eadem ratio est de chrismate et similibus. Et ideo sacramentum eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae: alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum: et ex hoc etiam consequitur alia differentia: nam in sacramento eucharistiae id quod est *res et sacramentum*, est in ipsa materia: id autem quod est *res tantum*, est in suscipiente, scilicet gratia quae confertur; in baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character, qui est *res et sacramentum*, et gratia remissionis peccatorum, quae est *res tantum*. Et eadem ratio est de aliis sacramentis" (S. th. 3. p. q. 73. a. 1. ad 3.).

22. 3) *Si sacramentum eucharistiae esset formaliter unum, binae species se haberent fere eo modo, quo in extremae unctionis sacramento quinque unctiones ad unum perfectum sacramentum constituendum concurrunt. Atqui ita esse nequit, quia secundum professionem fidei Pii IV. sub una tantum specie verum sacramentum eucharistiae sumitur, per unam autem singularem unctionem sacramentum extremae unctionis recipi non videtur. Quare extrema unctio vere est unum formaliter sacramentum, sicut domus ex diversis partibus ad habitationem necessariis composita est formaliter una, cum nulla pars seorsum per se sit domus, sed tantum omnes simul. Sed eucharistia, cum una species seorsum sit verum sacramentum, dicenda est simpliciter plura sacramenta, non unum.* — Ad hanc difficultatem vel obiectionem apte ita responderi videtur: „In materiali pluralitate et formali unitate conveniunt extrema unctio et eucharistia nec oppositum probat ratio in argumento assignata, quia differentia debet aliunde repeti. Nam eucharistia conficitur in consecratione materiae; quare *res et sacramentum* est sub utroque elemento consecrato, et ideo, quodcunque elementum sumatur, verum sacramentum accipitur. Nunc autem, extrema unctio perficitur in usu materiae; unde *res et sacramentum* non est in materia ipsa, sed tunc primum in homine indu-

citur, cum materia fuit perfecte applicata, id est, ad quinque sensus admota: impossibile igitur est, ut in singulis seorsum sumptionibus verum conficiatur sacramentum: Et tamen utrobique per plura materialiter distincta integratur una perfecta significatio" (Cardin. Billot, th. 36. in fine.).

Corollaria.

1. „Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum', quid sint in ss. eucharistia, iam infertur. — Nimirum species consecratae cum verbis consecratis moraliter perseverantibus sunt *sacramentum tantum*, corpus et sanguis Christi, ut sub speciebus continentur, sunt *res et sacramentum*, denique gratia uniens hominem cum Christo et cum eius ecclesia vel verbo corpus Christi mysticum *res tantum* est. Nam species cum verbis consecrationis significant tantum, corpus et sanguis Christi sub speciebus significantur et significant, gratia significatur tantum. 23

Neque ulla hic occurrit difficultas, nisi quod non statim 24.
forte appareat, quomodo *sacramentum tantum* in ss. eucharistia sicuti in aliis sacramentis ex materia et forma constare dici possit; nam eucharistia est sacramentum permanens: quare tum materia tum forma permanere debent: reipsa autem materia quidem, scilicet species, non autem forma permanere videtur. — Verumtamen re accuratius inspecta commode respondetur. Videlicet cum materia, i. e. species, physice permaneat, forma permanet moraliter, quatenus verba consecrationis semel physice prolata speciebus manent intentionaliter affixa atque eas denominant consecratas. Simili ratione ritus benedictionis semel peractus ecclesiam vel calicem consecratum permanenter afficere atque easdem res consecratas denominare concipitur. Atque haec moralis vel intentionalis formae permanentia omnino sufficit, quia sacramentum non est compositum physicum, sed morale vel intentionale: quale enim compositum, talis quoque partium unio esse debet. Atque profecto species sacramentales eatenus tantum significant immediate corpus Christi ut cibum spiritualem et mediate refectionem animae spiritualem, qua-

tenus concipiuntur verbis consecrationis moraliter permanenter informatae. Species igitur et verba consecrationis simul corpus Christi praesens in forma cibi significant; atque non tantum significant, sed huius praesentiae tum verba tum species etiam causae sunt: species enim, ut verbis consecrationis informatae sunt, tamdiu, quamdiu permanent, profecto exigunt, ut praesens sit atque maneat etiam corpus Christi.

25. *Hinc intelligitur*, diversimode sumi posse terminum *sacramentum eucharistiae:* Primo adaequata significatione species consecratas et corpus Christi simul significat; deinde inadaequata significatione sumitur pro solis speciebus consecratis, quae sunt *sacramentum tantum;* denique iterum inadaequata significatione significat solum corpus Christi, ut est sub speciebus, quod est *res et sacramentum.* Quae diversa eiusdem termini significatio sedulo attendenda est, ut diversae propositiones apud Patres vel theologos vel in ecclesiasticis documentis rite intelligantur. Ita v. g., si dicitur Christum esse sub sacramento vel sacramentum esse signum sive figuram corporis Christi, termino hoc *sacramenti* intelligitur *sacramentum tantum;* si vero hoc sacramentum adorandum esse dicitur, vel solum corpus Christi sub speciebus vel corpus Christi cum speciebus intelligitur.

26. ***2. Sumptio eucharistiae non pertinet ad sacramentum tamquam internum constitutivum.*** — Nimirum sumptio huius sacramenti permanentis applicatio est atque conditio, ut in actu secundo gratiam producat. Etenim quemadmodum cibus tunc tantum nutrit, quando reipsa sumitur, ita etiam ss. eucharistia, ut sacramentum est, tantum, quando sumitur, effectum spiritualis nutritionis producit. Hic autem effectus gratiae sane corpori Christi ut causae tribuendus est, non autem usui; hic enim tantum est ad instar conditionis vel applicationis causae, quemadmodum similiter dicitur de cibo corporali. Hinc qui non conficit eucharistiam, sed eam solum porrigit communicantibus, non est causa gratiae neque ministerialis. Sacerdos autem eucharistiam conficiens est immediata causa ministerialis transsubstantiationis et mediata causa ministerialis gratiae dici potest.

Thesis 15. Forma necessitate sacramenti necessaria ad conficiendum ss. eucharistiae sacramentum continetur solis verbis Christi: „Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus".

Declaratio.

Status quaestionis. — Argumentum huius thesis in 1.
determinanda forma sacramenti ss. eucharistiae vel in definiendis verbis versatur, quibus transsubstantiatio efficitur. Atque imprimis quidem contra Orientales schismaticos recentiores demonstranda est et defendenda doctrina catholica, secundum quam forma illa continetur adaequate in verbis institutionis enuntiatione thesis indicatis, nullo autem pacto ad eandem illa pertinet oratio, quam *epiclesin* vocant. Nimirum orientales recentiores contendunt, ad formam transsubstantiationem efficientem pertinere tum verba illa Christi, tum specialem invocationem, qua Spiritus Sanctus supplicatur, ut transsubstantiationem efficere velit atque aliqui vel hanc invocationem solam formam esse autumant. Haec autem invocatio in liturgiis orientalibus prolationem verborum Dominicorum vel institutionis subsequi solet atque expressa invenitur his vel similibus verbis: „Emitte super nos et super panes et calices istos Spiritum Sanctum tuum, ut eos sanctificet et consecret tamquam Deus omnipotens et faciat panem quidem corpus . . . calicem autem sanguinem Novi Testamenti, ipsius Domini et Dei et servatoris et summi regis nostri Iesu Christi, ut fiat omnibus nobis, qui ex eis participamus in fidem, in sobrietatem, in medelam, in temperantiam, in sanctificationem etc." In liturgiis latinis similis praecedit verba Dominica oratio isthaec: „Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi . . .". Huic igitur epiclesi, utpote quae apud Orientales verba Christi subsequitur, Orientales schismatici vel totam vel praecipuam vim transsubstantiationem efficiendi adscribunt. Eiusdem vero opinionis praecipui defensores exstiterunt saeculo 14 Nicolaus

Cabasila metropolita thessalonicensis in opere: Ἑρμηνεία τῆς θείας λειτουργίας c. 29.; saeculo 15. Marcus Eugenicus Ephesinus; saeculo 17. synodus Hierosolymitana et Petrus Mogilas in opere, cui titulus: ‚Confessio orthodoxae fidei'. Nostra aetate apud Russos episcopi consecrandi huius docrinae professionem facere debent (cf. *Franz*, der eucharistische Konsekrationsmoment; *Hoppe*, die Epiclesis). Sed quidam catholici quoque theologi hanc doctrinam aliquantum temperatam defenderunt, ut Lebrun Oratorianus in opere ‚Explicatio missae' (p. 4. a. 6. §. 1.): Renaudot (t. 1. p. 180. et 230. ss.); Touttée O. S. B. in prolegomenis ad opera Cyrilli Hierosolymitani atque alii.

2. Iam contra hos omnes in *prima parte thesis* demonstranda est et vindicanda doctrina in thesi enuntiata, quae est inter catholicos communis atque saltem theologice certa, ne dicam de fide, ut ex argumentis statim afferendis luculenter patet. In *altera thesis parte* epiclesis illa breviter explicanda est, ut obiectiones solvi queant, quae ex ea contra doctrinam catholicam derivantur. In *corollariis* adiectis aliae quaedam circa formam eucharistiae quaestiones breviter expedientur.

Demonstratio.

I. p.: Forma ss. eucharistiae solus verbis institutionis continetur

3. ***1. Ex s. scriptura.*** — Etenim ss. eucharistia eadem ratione nunc et semper conficienda est, qua Christus eam in ultima coena confecit, ut constat ex verbis: *Hoc facite in meam commemorationem;* atqui Christus eam per verba institutionis, quae a ss. scriptoribus referuntur et quae expressiva sunt transsubstantiationis, certissime confecit: ergo. *Minor argumenti certo probatur.* Etenim ipse modus, quo ss. scriptores institutionem ss. eucharistiae referunt, satis ostendit, ipsos ita institutionem voluisse referre, ut nihil eorum omitterent, quae ad conficiendum sacramentum Christus fecit atque apostolis aliisque sacerdotibus facienda reliquit. Atqui praeter verba institutionis nihil, sive verbum est sive actio, refertur, quod conversionem effecisse dici queat. Etenim acceptio panis et vini vel calicis praeparatoria potius sunt

ad ipsam consecrationem: elevatio autem oculorum et gratiarum actio ad confectionem sacramenti pariter praevia erant, cum Christus haec etiam in aliis mysteriis vel miraculis patrandis praemitteret, ut v. g. in suscitatione Lazari et panum multiplicatione; fractio autem et distributio ad usum sacramenti pertinent et consecutive ad ipsum sacramentum constitutum se habent. Denique neque benedictione, quae a scriptura commemoratur sacramentum contectum est, quia primo non ab omnibus refertur, cum Lucas et Paulus eam omittant; deinde benedictio, ut posset esse forma sacramenti, certe verbis constare deberet, alia autem verba praeter verba institutionis non commemorantur; denique ipsa verba institutionis vocari possunt benedictio, cum activa rei consecratio sint. Omnia igitur, quae praeter verba institutionis referuntur apta non sunt, quae tamquam forma assumantur; quod magis adhuc inde patet, quod per eadem effectus sacramentalis non significatur, significatur autem clare per verba institutionis: ergo.

2. *Ex SS. Patrum traditione.* — SS. Patrum hac 4.
de re persuasio multis testimoniis manifesta est. Et *primo* quidem *Patres graeci vel orientales* de doctrina catholica clare testantur. Ita *Iustinus* scribit, panem et vinum, quae „per precem Christi verba continentem facta sint eucharistia, esse incarnati Iesu carnem et sanguinem" (Apol. mai. n. 66.). Cum quibus consonant haec *Irenaei:* „mixtum calicem, et factum panem percipere verbum Dei, et fieri eucharistiam corporis et sanguinis Christi" (Adv. haer. l. 5. c. 2.). Idem etiam satis clare indicat *Gregorius Nyssenus:* „Panis sanctificatur per Verbum Dei et orationem, non quod manducatione et potu transeat in corpus Verbi, sed quod statim in corpus Verbi transmutatur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum*" (Orat. catech. c. 37.). Pluries disertis verbis de eadem veritate testatur *Chrysostomus,* ut v. g.: „Figuram implens stat sacerdos verba proferens, virtus autem et gratia est Dei. *Hoc est corpus meum,* dicit, hoc verbum transmutat proposita" (Hom. de prodit. Iudae 1. 6.). Denique pariter *J. Damascenus:* „Si sermo Dei vivus est et efficax

et omnia quaecunque voluit Dominus fecit: si dixit: *fiat, et facta est lux . . .*, si ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factum est . . . cur non potest panem corpus suum, atque vinum et aquam sanguinem suum efficere? In principio dixit: *producat terra herbam viventem . . .*, dixit perinde Deus: *hoc est corpus meum*, et: *hic est sanguis meus*, et: *hoc facite in meam commemorationem*, idque omnipotente eius praecepto fit, donec veniat . . ." (De fide l. 4. c. 13.).

5. Ex ultimis verbis aliqui intulerunt, Damascenum opinatum esse transsubstantiationem tum verbis institutionis tum invocatione Spiritus Sancti simul perfici. Verum immerito. Nam postrema verba eo solum spectant, ut fontem declarent, ex quo verba consecrationis virtutem suam derivent. Nimirum a Spiritu Sancto eandem habent, utpote cuius sunt obiectiva atque infallibilis invocatio. Quam interpretationem esse unice legitimam, ea monstrant, quae citatis verbis Damascenus continuo subdit: „Sicut enim quidquid fecit Deus, id Spiritus Sancti fecit opera, ita etiam nunc operatione Spiritus Sancti efficit, quae naturam excedunt, quaeque nonnisi fide capere possumus. *Quomodo mihi fiet istud*, aiebat sancta Virgo, *quoniam virum non cognosco?* Cui Gabriel Archangelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Tu quoque nunc quaeris, quomodo panis corpus Christi, et vinum ac aqua sanguis Christi fiat. Respondeo et ego: Spiritus Sanctus supervenit, et haec, quae sermonem conceptumque superant, operatur."

6. Sicuti Patres graeci ita etiam *syri* testes exstant doctrinae statutae de forma consecrationis. Audiatur v. g. unus *S. Iacobus episcopus sarugensis:* „Ab illo temporis puncto, quo apprehendit panem corpusque suum dixit, panis non fuit, sed ipsius corpus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus eius, qui apud ipsos in mensa accubabat, eiusque bibebant sanguinem audiebantque simul vocem docentis. — Corpus suum manibus suis Dominus divisit in mensa. Ecquis autem hoc esse corpus eius negare ausit? Ipse dixit: *hoc est corpus meum;* quisnam hoc verum esse non fatetur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus; apostoli

enim crediderunt et viventem et secum accumbentem comederunt . . . Electi apostoli, ut Filio fidem adhiberent, satagebant, non ut sciscitarentur vel quaestiones moverent sicut rebelles. Panem, quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant, et ita illud reputabant, acsi in veritate sanguis eius stillaret" (Ap. de Benedictis in Antirrhet. 2. c. 9, 12.).

7. Cum Patribus orientalibus consentiunt *concives eorum haeretici.* Sic v. g. *Ioannes Darensis Monophysita* (saec. 8.) efficaciam verborum institutionis sic describit: „Incipit, qui sacerdotio fungitur, et repetit preces deificas nempe efficientes corpus et sanguinem Dei. Sunt autem preces deificae illae ab hierarchis laudatae et in mysticis ministeriis positae iuxta evangelium et apostolum; illud enim dicit: *accepit Iesus panem et benedixit,* cum iis, quae sequuntur; hic autem: Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et dixit: *hoc est corpus meum*" (Ibid. 2, 11.). Atque *Ebed-Iesu Nestorianus,* postquam eucharistiae institutionem retulit, haec subiungit: „Hoc praecepto Dominico mutatur panis in sanctum eius corpus et vinum in pretiosum eius sanguinem . . . quotiescunque enim ad haec mysteria accedimus, in ipsum Christum incurrimus ipsumque in manibus nostris gestamus et osculamur et eorundem perceptione cum ipso unimur" (Ap. Assemani t. 3. p. 2. p. 191.).

8. Denique eadem est aperta doctrina etiam *Patrum latinorum:* Ita v. g. *Tertullianus:* „Acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit *hoc est corpus meum* dicendo" (Adv. Marcion. l. 3. c. 19.). Et *Ambrosius* opponenti: „Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam?" sermonis Christi virtutem ob oculos ponit: „Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas". Deinde commemorata conversione virgae in serpentem et aquae in sanguinem, aliarumque similium, pergit: „Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud,

quod accipis, Christi sermone conficitur" (De myst. c. 9.). Atque *auctor lib. de sacram.:* „Quomodo potest, quod panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur cuius verbis est et cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laus Deo defertur . . . Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Christi ergo sermo hoc conficit sacramentum" (L. 4. c. 4.). Denique *S. Augustinus:* „Ante verba Christi panis dicitur, ubi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis, sed corpus appellatur" (Serm. 28.).

9. *3. Ex declarationibus ecclesiae.* — *Primo* huc spectant, quae acta sunt in concilio Florentino. Etenim cum in hoc concilio quaestione orta de forma consecrationis Latini postularent, ut tamquam dogma fidei definiretur doctrina ponens, solis verbis institutionis fieri consecrationem, „dixerunt (Graeci), quod hoc non erat necessarium: imo si poneretur, ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, acsi hactenus tenuisset aliud. Unde cum semper fuerimus concordes, in hoc definitio non debet fieri" (Hardouin t. 9. coll. 981.). Cum autem Romanus Pontifex Eugenius IV. huic omissioni acquiescere nollet, nisi Graeci publice profiterentur, se eandem cum Latinis fidem tenere de forma eucharistiae, in altero consessu Bessarion Nicaeae Metropolita nomine totius ecclesiae graecae ita contestatus est: „Quoniam ab omnibus sanctis doctoribus, maxime ab illo beato Ioanne Chrysostomo nos audivimus, verba dominica esse, quae mutant et transsubstantiant panem illum in corpus Christi et vinum in sanguinem, et quod divina verba illa salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, de necessitate ipsum doctorem et eandem suam sententiam sequimur" (L. c. col. 983.). Quibus auditis demum Summus Pontifex acquiescens nihil quidem in decreto unionis de hac re enuntiandum iudicavit. Quae ratio sola definitionem dogmaticam impedivit.

10 *Deinde* autem doctrina catholica *in decreto pro Armenis* enuntiatur. Videlicet in eodem concilio Florentino, postquam illa acta erant, Armenis tamen instructionem fidei petentibus,

Pontifex annuens decretum pro iisdem edidit, in quo de forma eucharistiae haec enuntiantur: „Forma huius sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur."

Praeterea *ad conclusionem decretorum omnium pro Orientalibus latorum* in concilio Florentino haec adduntur: „Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana ecclesia, Apostolorum doctrina et auctoritate firmata, semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione corporis hac utitur forma: *Hoc est corpus meum*; sanguinis vero: *Hic est enim calix sanguinis mei*, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum." 11.

Accedit, quod *Concilium Tridentinum satis manifesto eandem doctrinam supponit* declarans: „Semper haec fides in ecclesia Dei fuit statim post consecrationem verum D. N. I. C. corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie *ex vi verborum*" (sess. 13. c. 3.). Etenim si quaeratur, quorum verborum, ex mente concilii certe respondendum est: verborum institutionis, ut patet ex aliis eiusdem concilii declarationibus. Conferatur v. g. eiusdem sessionis cap. 1. Quare *catechismus Tridentinus* expressis verbis hanc doctrinam inculcat: „Itaque a ss. evangelistis Matthaeo et Luca itemque ab Apostolo docemur illam esse formam: *Hoc est corpus meum* . . . Quae quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo catholica ecclesia usa est" (P. 2. c. 20.). 12.

Praeterea huc spectat *responsum a Clemente VI. datum Armenorum antistiti*, utpote quo responso tum fides Armenorum cum Latinis consentiens exhibetur tum haec fides confirmatur: „Dicis te credere et tenere quod corpus Christi 13.

natum de Virgine et mortuum in cruce, quod nunc est in coelo vivum, post verba consecrationis, quae sunt: *Hoc est corpus meum*, est in sacramento sub specie et similitudine panis" (Ap. Raynaldum, annales eccles. an. 1351. n. 11.). — Iam antea *Benedictus XII. similiter Armenos interpellavit* (ap. Raynaldum, annales eccles. ad an. 1341. n. 68.) atque hoc a concilio Armenorum accepit responsum: „Per verba Christi . . . conficitur . . . corpus et sanguis Christi", per epiclesin „non credimus confici corpus et sanguinem Christi . . . quod ante est confectum" (Ap. Mansi, coll. concil. 25. 1242. ss.).

14 Item doctrina catholica confirmatur *duobus documentis ad Patriarcham Melchitarum Antiochenum altero per Benedictum XIII. altero per Pium VII. sub forma brevis directis.* In primo haec habentur: „Ideo Cyrillus (patriarcha) doceat, non per invocationem Spiritus Sancti, sed per verba consecrationis fieri transsubstantiationem" (Collectio Lacensis t. 2 col. 439. 440.). In altero vero severe opposita doctrina prohibetur: „Auctoritate Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, in virtute sanctae obedientiae, motu proprio et ex propria scientia ac deliberatione Nostra praecipimus omnibus et singulis fidelibus vestri ritus, cuiuscunque gradus et conditionis, etiamsi episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate praestent, ut non audeant deinceps sive publice sive privatim sive in publicis concionibus ac disputationibus, docere, defendere, evulgare, suadere, tueri eam opinionem, quae tradit ad admirabilem illam conversionem totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius, necesse esse, praeter Christi verba, eam etiam ecclesiasticam precum formulam recitare, quam saepe memoravimus, ac perpetuum huius opinionis defensoribus Beraeae et in his vestris regionibus commorantibus silentium indicimus. Quod si qui ex iis ausu temerario nostrum hoc decretum ac ordinationem violaverint, indictumque silentium non servaverint, non modo gravis peccati reatum incurrent, sed praeterea adversus eos Nos decernimus, si patriarchali, archiepiscopali vel episcopali dignitate praediti sint, poenam suspensionis ab exercitio pontificalium;

si vero sacerdotes sint aut aliis ordinibus insigniti, poenam suspensionis ab omnibus suis ordinibus; si vero sint laici, poenam excommunicationis. atque ita quidem has omnes poenas decernimus, ut velimus eas ipso facto et absque alia declaratione ab iis incurri, qui nostrum hoc decretum non servaverint" (Ibid. col. 551.).

15. Tandem *Pius PP. X. articulum a principe Maximiliano de Saxonia de unione ecclesiarum conscriptum condemnans* haec declarat: „Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de ss. eucharistiae sacramento, cum praefracte docetur sententiam suscipi posse, quae tenet apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri nisi iam prolata oratione illa, quam epiclesin vocant, cum tamen compertum sit, ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam innovandi" (Acta apostol. Sedis 1911. t. 3. p. 119.).

16. Denique huc spectant etiam *rubricae plures missalis:* „Verba consecrationis, quae sunt forma huius sacramenti, sunt haec: *Hoc est enim corpus meum* et: *hic est enim calix sanguinis mei,* novi et aeterni testamenti etc. Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis corporis et sanguinis et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret" (De defectib. V. n. 1.). „Si semiprolata forma corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur missam et super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco: ‚Simili modo postquam coenatum est', vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre et hostiam primi sacerdotis et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum" (L. c. X. n. 3.).

17. Quae argumenta hucusque proposita, si omnia simul, ut par est, rite considerentur, profecto doctrinam in hac prima parte defensam reddunt sine dubio certam: imo vero recte dicatur, nisi de fide saltem fidei proximum esse, transsubstantia-

tionem perfici per sola verba institutionis, nullo autem modo ne partialiter quidem pendere ab epiclesi. Quare difficultas, quae ex epiclesi oritur vel restat nequaquam dogmatica, sed solum exegetica est. Verum etiam huius difficultatis duae saltem vel tres exstant solutiones probabiles, etsi forte ad unam adaequatam explicationem componendae sint. Quae solutiones iam in altera thesis parte proponendae sunt. — Rationibus convenientiae quibusdam haec pars confirmatur a s. Thoma. s. th. 3. p. q. 78. a. 1. et 2.

2. p.: Epiclesis ratio atque vis explicatur.

18. Difficultatis, quam epiclesis theologis obiicit, multae tentatae sunt solutiones; fere triginta eiusmodi solutionum tentamina numerantur. Verum pleraeque tam facile et aperte vanae et falsae esse cognoscuntur, ut ne specialem quidem considerationem mereantur; duae vel tres tantum exstant, quae veram probabilitatis speciem prae se ferunt ideoque hoc loco exponendae sunt:

19. ***1. Theoria dramatica.*** — Prima explicatio ea est, quam substantiam quod attinet iam proposuit *Bessarion* in Concilio Florentino (Migne 161. 516.): summa eiusdem his continetur: Transsubstantiatio atque, quae per eam fit, sacrificii eucharistici oblatio in unico quidem instanti perficitur. Verum ad hanc actionem sacramentalem simul et sacrificalem pro dignitate sua ponendam necnon ad fidelium intelligentiam, reverentiam, devotionem excitandam et promovendam ecclesia variis caeremoniis et precibus augustam illam actionem circumdedit atque ornavit. Hae autem preces, cum totae ad explicandum et exornandum mysterium transsubstantiationis penitus spectent atque spectata natura humana fieri sane non possint nisi successive, considerari non debent in se et seorsum, sed in sua ad ipsam actionem sacramentalem et sacrificalem relatione; quod maxime valet de epiclesi. Hinc igitur verba epiclesis referenda sunt non ad tempus *quo* dicuntur, sed ad illud momentum, *pro quo* dicuntur, scilicet ad consecrationis vel transsubstantiationis momentum; quare consideranda sunt non efficere consecrationem vel transsubstantiationem, sed eandem

ante oculos ponere atque declarare. Eadem vero invocatio ad Spiritum Sanctum dirigitur, ut significetur: eidem Spiritui Sancto, sicut alia opera supernaturalia, ita etiam hanc conversionem mirabilem speciali modo appropriari; atque formam precativam habet, quia ecclesia generatim in liturgiis fidem suam precando solet profiteri et quidem ea quoque ratione, ut aliquando petat etiam illud, quod iam factum vel obtentum est. Exemplum simile occurrit in ordinatione sacerdotis, cui postquam iam ordinatus est, adhuc in fine missae ab episcopo manus imponuntur simul haec verba pronuntiante: „Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt." Atque alia iterum „similia exempla proferri possunt ex officio funebri et ex missa pro defunctis, in quibus plures occurrunt supplicationes, quae referri debent ad tempus praeteritum, quando defunctus adhuc vivens se ad divinum iudicium praeparare poterat, et quae scopum habent supplicandi quidem Deum pro animae solutione a reatibus poenae adhuc reliquis, simul autem viventibus exhibendi divina iudicia et poenas peccatis destinatas" (*Franzelin,* Thes. 7. n. II. b.).

Haec explicatio multorum theologorum consentiens suf- 20.
fragium tulit atque recentiori aetate eidem subscripserunt Cardinalis Franzelin, Atzberger, Gutberlet, Schanz, Pohle, Marcovic, alii. *Decursu vero temporis etiam aliis quibusdam momentis vel rationibus evoluta et confirmata est.* Et *primo* quidem ad melius adhuc explicandum, cur Spiritus Sanctus demum post consecrationem invocetur ad transsubstantiationem efficiendam, v. g. in *Prompta bibliotheca* V. Eucharistia, haec notantur: „Orientales nonnulli scriptores, praesertim Syri, causam quoque afferunt ob quam invocatio Spiritus Sancti in Orientalium liturgiis post eucharistiae institutionis historiam et Christi verba collocata sit, licet per eam postuletur, ut id fiat quod divina virtute per Christi verba fieri debet. Censent enim ibi esse posita, ut in sacra liturgia divinas personas invocando *ordo habeatur,* quem invicem servant. Hinc primum aeterni Patris ut creatoris et rerum omnium conservatoris; deinde aeterni Filii, qui homo factus eucharistiam instituit, cuiusque verbis a sacerdote eius gerente

personam prolatis eucharistia consecratur; ac postremo loco Spiritus Sancti mentio et invocatio occurrit, cui secreta actio, in qua — prolatione Christi verborum — transmutantur oblata, et sacramenti effectus tribuuntur" (Ed. Migne t. 3. col. 803.). — *Deinde* ad eandem rem explicandam confert etiam hypothesis non spernenda, quam statuit de Waal (Der Katholik Jhrg. 1896). Ex sententia scilicet huius auctoris in antiquitate christiana consecratio peragi solebat hoc modo: Eodem momento, quo episcopus verba institutionis consecratoria pronuntiabat, sacerdotes concelebrantes super oblata manus extendebant simili modo ac fieri solet in ordinatione sacerdotali, atque simul Spiritum Sanctum invocabant, ut oblatorum sanctificationem ac conversionem perficeret. Postea autem iam singulis sacerdotibus celebrantibus sine aliorum assistentia manuum elevatio quidem ab ipso sacerdote consecrante fieri consuevit, invocatio autem illa sive epiclesis vel ante consecrationem pronuntiata vel omissa vel post consecrationem dilata est

21. *Tota haec explicatio probabilitatem quidem suam habet; at num adaequatam et penitus sufficientem explicationem praebeat, non immerito dubitetur; etenim eandem aliquo modo artificiosam apparere dubitari nequit.* — Atque haec de theoria dramatica exposuisse sufficit.

22. ***2. Theoria communionis vel fructuum spiritualium.*** — Secundum alteram hanc explicationem verba epiclesis ad tempus referuntur, quo dicuntur, atque Spiritus Sanctus iisdem invocatur non ut transsubstantiationem demum efficiat, sed ut panis iste iam in corpus Christi transmutatus fructum spiritualem producat in fidelibus sive in corpore Christi mystico; vel ut panis consecratus *nobis* fiat corpus Christi i. e. in nostram salutem et sanctificationem vergat. Ita ipsi Graeci quoque epiclesin explicarunt, ut v. g. *Georgius Coresius* et ipse Photiniani schismatis sectator. Nimirum contra Nicolaum Cabasilam, qui primus saeculo 14. demum catholicam doctrinam impugnasse videtur haec declarat: „Condemnatur novitas opinionum, quae in ecclesiam introductae sunt a Nicolao Cabasila, qui consecrationem donorum pre-

cibus tribuit: quod nec ullus sanctorum Patrum dixit, nec ullus canon disposuit, nec fidei ecclesiae consentaneum est, ut quae per preces implorat adventum Spiritus Sancti, non ut faciat panem corpus et vinum sanguinem simpliciter, sed ut fiat nobis ad utilitatem." (Ita in suis praenotionibus ad synopsin conciliorum a Nilo Rodio scriptam.) — Similiter *episcopi graeci in concilio Florentino* testantur: „Quaesitum est a Latinis, quomodo prolatis Christi verbis . . ., et sacris donis per haec verba consecratis, vos hanc orationem additis dicentes: Et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui . . . transmutans Spiritu Sancto tuo? Etiam hoc dissolutum est ita: fateri nos, diximus, per haec verba (scilicet Christi) consecrari divinum panem et confici corpus Christi, sed postea, quemadmodum et ipsi dicitis: Iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes: ut descendat Spiritus Sanctus super nos et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi, et quod in calice isto est pretiosum sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa in Spiritu Sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animae" (Mansi, tom. 31. p. 1006.). Atque iterum iidem: „Oratio illa non est, ut conficiatur quod confectum est, sed ut consequamur effectum sacramenti, scilicet uniri cum Christo et incorporari, ut dicamus cum Apostolo: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* Dicit Basilius (in liturgia sub eius nomine vulgata): Rogamus et supplicamus, mitte Spiritum Sanctum super nos et haec apposita munera, ut nobis sint salutaria, et facito istum panem, id est, fideles figuratos hoc pane, incorporari corpori sancto tuo, et uniri, et ut tuo spiritu vivificentur, quia nullus vivit spiritu Christi, nisi sit corpus Christi . . . Haec est oratio: Facito, ut corpus tuum mysticum, participatione corporis tui veri, consequatur remissionem peccatorum, gratiam Spiritus Sancti, et aeternam beatitudinem Haec est sententia verborum Basilii et Chrysostomi, et hoc sensu nulla est differentia inter vos et nos" (Labbe, t. 18. p. 1171.). — *Bessarion* quoque eandem sententiam refert neque eam reprobat, quamvis priorem praeferat (L. c. p. 515.). — Denique

eandem explicationem exhibet *auctor Syrus,* qui scripsit expositionem liturgiae S. Iacobi editam ab Assemanno in codice liturgico ecclesiae universae tom. 4. p. 2. (*Ioannes Maro?*): „Spiritus Sanctus non invocatur, inquit, ut illabens efficiat seu commutet panem in corpus et vinum in sanguinem Salvatoris nostri; sed ut ille corpus et sanguinem esse ipsius Domini nostri ostendat et faciat, ut sint percipientibus ea in remissionem peccatorum et in vitam aeternam."

23. *Confirmat hanc sententiam ex liturgia latina Cardinalis Billot:* „Neque nos in canone oramus, etiam ante consecrationem, ut oblatio fiat corpus et sanguis Christi Domini nostri, sed ut *nobis* fiat, scilicet cum effectu salutari, qui sine certis dispositionibus per Dei gratiam acceptis obtineri nequit; nam dispositiones non sunt ex opere operato, imo pendent ex aliis causis, inter quas recensetur vel maxime fusa ad Deum oratio. — Sed ut haec ipsa oratio nostri canonis . . . rite intelligatur, tota eius series est consideranda; praesertim vero praesupponendum est, in missa offerri Christum ut caput corporis ecclesiae, quatenus integra fidelium societas pertinet ad rem oblatam et repraesentata exstat per species sacramentales in unum coalescentes ex multis sive acinis sive granis. Ratio infra patebit ex dicendis de sacrificio. Hoc igitur interim supposito attende orationis contextum: ‚Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quaesumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris'. Quid est hoc *in omnibus?* Id est, quoad omnia, quae in oblatione comprehenduntur, atque idcirco quoad mysticum corpus, quod simul cum capite praesentatur Deo. Rogat ergo sacerdos, ut divina operante gratia, fideles in animo puro et spiritu adorationis perfectae sese sistant divinae maiestati, ac per hoc impleatur eucharistiae mysterium, non in eorum iudicium et condemnationem, sed in salutem atque utilitatem: ‚Ut *nobis* corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.' — Et fere idem est sensus alterius orationis quam paulo post consecrationem orat sacerdos dicens: ‚Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube haec perferri per manus sancti angeli

tui in sublime altare tuum in conspectu divinae maiestatis tuae etc.' Quid, quaeso? Indigetne Christus praesentari in sublimi altari per angeli manus? Minime, sed nos ipsi signamur, cum dicitur: ‚iube haec perferri, ut scilicet acceptabiles effecti in conspectu Dei, quicunque ex terrestris altaris participatione sacrosanctum Christi corpus et sanguinem sumpserimus ‚omni benedictione coelesti et gratia repleamur'" (Thes. 49. §. 1.).

Confirmatur secundo inde, quod in missa Aethiopum 24.
sensus explicatus revera clare expressus exstat, utpote in qua invocatio his verbis expressa est: „Oramus te, Domine, ut mittas Spiritum Sanctum super hunc panem et hunc calicem, videlicet corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi in saecula saeculorum, Amen. Tribue simul omnibus ex eo sumentibus, ut fiat eis ad sanctificationem, et plenitudinem Spiritus Sancti."

Haec altera epiclesis explicatio primo a Cardinali Tor- 25.
quemada, Summi Pontificis in concilio Florentino theologo proposita atque deinceps a pluribus theologis gravis auctoritatis nuncupata atque defensa est, nominatim a Suario, a Cardinali Bellarmino, a Cardinali de Lugo, Maffaeo, Cardinali Billot aliisque. *Certe autem vere probabilis est atque ad plures epiclesis formas explicandas prorsus sufficiens et apta est.* Maiorem difficultatem patitur ex liturgia S. Iacobi et S. Chrysostomi; quam difficultatem *Stentrup* sufficienter solvi censet hoc modo: „*In liturgia S. Iacobi* haec leguntur: ‚Et efficiat (ποιήσῃ) hunc panem sanctum corpus Christi tui, et hunc calicem pretiosum sanguinem Christi tui, ut sit omnibus, qui ex eo sumunt, in remissionem peccatorum.' *In Chrysostomi autem liturgia* haec habes: ‚Et efficias (ποίησον) hunc panem pretiosum corpus Christi tui, et quod in hoc calice continetur, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans per Spiritum Sanctum tuum (μεταβαλὼν τῷ Πνεύματι σοῦ τῷ ἁγίῳ), ut sint iis, qui eis communicant in sobrietatem animae, remissionem peccatorum, communicationem Sancti Spiritus.' Ut vero difficultas solvatur, cum Maffeio ep. 2. ad Benedictum Bachinium textum graecum hunc in

modum latine reddimus: ‚Et efficiat hunc panem, pretiosum corpus Christi tui, et hunc calicem, pretiosum sanguinem Christi tui, esse omnibus ex eo sumentibus in remissionem peccatorum.‘ Ac: ‚Et efficias hunc panem, pretiosum corpus Christi tui, et quod continetur in hoc calice, pretiosum sanguinem Christi tui, iam transmutata a Spiritu Sancto, iis, qui eorum participes sunt, esse in sobrietatem animae, remissionem peccatorum, communicationem Sancti Spiritus.‘ Nimirum auctores liturgiarum dona consecrata duplici nomine insigniverunt, altero desumpto ab eo, quod erant et quod esse apparent, altero autem ab eo deprompto, quod sunt reipsa. Atque eo spectat oratio, ut sicut Filio, ita et Spiritui Sancto sacramenti effectus tribuatur . . . Datae explicationi obiici summum posset constructio ποίησον τὸν ἄρτον ὥστε γνέσθαί, ut quae grammaticae regulis non plane respondeat. Sed nullum est idioma, in quo non occurrant constructiones multo magis, quam ista a regula declinantes. Praeterea quocunque modo orationem istam, bis a populo respondente: Amen, interruptam explices, aliquam duritiam constructionis habebis. Denique non inepte particula ὥστε in orationem quacunque ex causa intrusa affirmari posset; contingere enim id propter praedictam orationis interruptionem facile poterat“ (De ss. eucharistiae sacramento th. 31.). *Verumtamen hac ratione textus aliquarum liturgiarum v. g. antiquae armenicae explicari posse non videtur.*

26. ***3. Theoria historicae evolutionis vel corruptionis.*** — Aliam adhuc quaestionis de epiclesi solutionem recenter proposuit ac multis defendit *Dr. I. Höller C. SS. Redemptoris;* quae hisce breviter comprehendis potest: Imprimis in praesente quaestione solvenda *ponderandum est momentum historicum vel historica epiclesis evolutio consideranda.* Iamvero in iis, quae omnium antiquissimae esse videntur, liturgiis epiclesi Spiritus Sanctus invocatur quidem, ut panem illum exhibeat, ostendat, revelet esse corpus Christi, nequaquam autem, ut eundem faciat corpus Christi vel in idem corpus convertat. Ita in *liturgia Clementina,* quae in Constitutionibus Apostolorum (cf. editio Funk vol. 1. p. 510.)

continetur necnon *in liturgia syriaca S. Iacobi.* Atque illa quidem epiclesin ita refert: „Poscimus te, ut supra hoc sacrificium mittas sanctum tuum Spiritum, ut exhibeat (ὅπως ἀποφήνῃ) panem hunc corpus Christi tui, quo participes illius ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur, diabolo eiusque errore liberentur, Spiritu Sancto repleantur, digni Christo tuo fiant, vitam sempiternam impetrent . . .“ Altera autem secundum versionem Assemanni (codex liturgicus ecclesiae universae, Paris. 1902. tom. 5. 138. n.) ita habet: „Mitte super nos et super haec oblata spiritum tuum sanctum ut illabens ostendat mysterium hoc corpus vivificum, corpus salutare, corpus ipsius Domini nostri Iesu Christi, faciat, ut sit accipientibus ipsum in remissionem peccatorum et in vitam aeternam (Amen). Et calicem hunc ostendat sanguinem novi testamenti, sanguinem vivificantem, sanguinem coelestem, sanguinem ipsius Domini nostri Iesu Christi, faciat, ut sit accipientibus ipsum in remissionem peccatorum et in vitam aeternam (Amen).“ Itaque duo in his epiclesis formis rogantur: *primo* ut Spiritus Sanctus superveniens panem et vinum consecratum ostendat vel revelet esse corpus et sanguinem Christi; *secundo* ut ss. eucharistiam sumentes etiam fructuum eiusdem participes fiant. Atque merito non solum alterum, sed etiam primum rogatur, quia nisi mysterium fidei oculis fidei consideretur, fructus debitos non producet; sine Spiritus Sancti autem gratia illuminante fides recta atque firma esse nequit. Antiquissimae igitur quae notae sunt liturgiae sua epiclesi nullam faciunt difficultatem. Coniicere autem licet, omnes alias liturgias cum antiquissimis illis initio saltem in epiclesi concordasse. Sed decursu temporis paulatim res in peius mutata est atque pro termino ἀποφήνῃ etc. alii positi sunt sensum pristinum epiclesis essentialiter mutantes atque pervertentes, ut v. g. in liturgia graeca S. Iacobi: ἵνα ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ, in liturgia S. Marci Alexandrina: ἵνα ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ καὶ ποιήσῃ (Cf. Daniel, codex liturgicus, tom. 4.), in liturgia S. Basilii iuniore: ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι . . . καὶ ποιήσῃ (Migne, P. G. tom. 31. col. 1640.), in liturgia S. Chrysostomi: ποί-

ησον . . . μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σοῦ τῷ ἁγίῳ. Nihilominus cognitio vel memoria atque usus prioris termini ἀποφαίνει non penitus evanuit. Ita in fragmento dissertationis, quae inscribitur: ‚de traditione divinae missae' atque S. Proclo († 446) adscribitur, expressis verbis refertur in missa Spiritum Sanctum invocari, ut superveniens corpus et sanguinem Christi manifestet atque revelet: ἀποφήνῃ καὶ ἀναδείξῃ (cf. Migne, P. G. t. 65. col. 849 ss.). Etiam multo tempore post i. e. saeculo 12. adhuc idem terminus occurrit, cuius rei testis exstat Nicolaus de Menthone, episcopus schismaticus († 1190), in dissertatione quadam de reali praesentia; allegans enim epiclesin Clementinam refert pariter terminum: ὅπως ἀποφήνοι. Imo vero vel saeculo 15. Marcus Eugenicus, archiepiscopus schismaticus Ephesinus, eundem terminum in epiclesi Clementina exstare testatur. — Quae cum ita sint, explicandum solum restat, *qua ratione decursu temporis epiclesis ita essentialiter mutari potuerit.* Porro id explicandum esse videtur non quidem ex intentione exprimendi erroris, verum ex aliis causis innocuis, nimirum vel ex embolismo Orientalium, quo unam eandemque ideam variis terminis exprimere solent, vel ex cognatione verborum ἀποφαίνειν et ποιεῖν, vel ex commutatione epiclesis anteconsecratoriae (talis enim quoque in pluribus liturgiis exstabat) cum epiclesi postconsecratoria vel forte ex aliis adhuc causis. — Denique quod ecclesia etiam in coetibus unitis orientalibus eiusmodi epiclesis formas speciem falsitatis ingerentes toleraverit, contra veritatem catholicam non obstante principio *„lex orandi lex credendi"* urgeri nequit, cum ecclesia decursu saeculorum iterum iterumque monuerit, non obstante epiclesi vim consecrativam solis verbis institutionis competere. Ita fere auctor citatus. (Die Epiklese der griechisch-orientalischen Liturgie.)

27. *Eadem autem theoria quoad substantiam saltem iam antea ab aliis auctoribus proposita est.* Nominatim eandem iam exhibet saeculo 7. (?) *Ioannes Maro* verbis supra relatis. — Recentiore tempore eam tuetur *Hermann A. Daniel:* „Ego vero pro certo habeo, ex apostolica traditione panem et vinum consecrari verbis Christi eucharisticis . . . Accessit

invocatio Spiritus, ut dona sacra in corpus et sanguinem transversa, populo manifestet et declaret . . . Sunt, qui ἀποφαίνειν idem significare volunt atque transmutare, sed male. Apud omnes scriptores graecos habet notionem manifestandi et ostendendi . . . Graeca ecclesia mutavit declarantem Spiritum in transmutantem precando: ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ" (Codex liturgicus, Lipsiae 1853, tom. 4. p. 412.). — Similiter *Ferdinand Probst:* „In der Epiklese wird Gott gebeten, er möge den hl. Geist über das eucharistische Opfer herabsenden, dass erscheine dieses Brot als der Leib Christi und dieser Kelch als das Blut Christi, damit die ihn Empfangenden in der Gottesfurcht befestigt werden . . . Die Epiklese der alten Liturgie ruft den hl. Geist als Zeugen (cf. Ioan. 15, 26.) des Leidens Christi an, dass er erscheinen mache (offenbare — ἀποφήνῃ) dieses Brot als den Leib und diesen Wein als das Blut Christi. Das heisst: durch seine Einwirkung werden die Gläubigen Brot und Wein als den Leib und das Blut Christi erkennen" (Liturgie der drei ersten christlichen Jahrhunderte S. 398.). — Item *Schill:* „Die älteste Epiklese, das Urbild der späteren, enthält die Liturgie der apostolischen Konstitutionen. Dort wird Gott angefleht, den hl. Geist herabzusenden, auf dass er dieses Brot darstelle als den Leib deines Christus und diesen Kelch als das Blut deines Christus. Das ursprünglich ziemlich einfache Formular der Epiklese wuchs nach und nach in einzelnen Liturgien zu förmlichen Wechselgebeten zwischen Priester und Volk aus." (Realenzyklopädie der christlichen Alterthümer 1. Band, Artikel: Epiklese.) Denique etiam *Stentrup* hanc theoriam praeter alteram propositam refert atque ad solvendam quaestionem adhibet: „Earum liturgiarum, quae has preces complectuntur, quaedam non ponunt verbum *faciat;* sic e. g. in liturgia S. Basilii oratur Spiritus Sanctus, ut veniat *ad sanctificandum et manifestandum.* Porro verbum *sanctificandi* non idem semper significare, quam verbum consecrandi certum est (cf. 1. Tim 4. 5.), item verbum ἀποδείκνυμι primo et frequentius non idem valere quam *facio*, sed denotare *notum facio, monstro,*

ostendo, nemo negat. Verbum huic simile, nempe ἀποφαίνω ponit liturgia, quae in *constitutionibus apostolicis* refertur. Verum quidem est, utrumque verbum ut latinum *exhibeo* usurpari etiam pro verbo *facio,* sed prima et maxime propria significatio ea est, quam diximus. Ita si res habet, forte non improbabilis est coniectura, eum qui primus in liturgiam orationem commemoratam ad Spiritum Sanctum invexit, usum esse voce, quae in liturgia *constitutionum apostolicarum* legitur, ac posteriores deinceps loco ipsius posuisse verbum *facio.* Sed retento hoc verbo, notatu dignum scribit esse Maffeius, in liturgia S. Marci orationem ad Spiritum Sanctum incipere a particula ἔτι, quae denotat *deinde, ulterius, praeterea,* ita ut latine sit *Emitte praeterea.* Quomodo vero auctor, siquidem arbitratus esset, isti orationi virtutem consecrativam convenire, appendicis instar eam ponere potuisset?" (L. c.)

28. Atque haec est theoria, quae merito vocetur historica vel evolutionis historicae. *Eandem autem probabilem esse atque multum ad quaestionem solvendam conferre posse nemo negaverit.* Imo vero omnium probabilissima sit, et optima, dummodo de fundamento historico certo constet, scilicet de summa liturgiarum Clementinae atque syriacae S. Marci antiquitate vel prioritate. Verum inter historicos de diversarum liturgiarum antiquitate adhuc disputatur atque plures opinantur, ex documentis historicis hanc quaestionem vix solvi posse. Quare *Cagin* ex omnibus liturgiis comparatis typum quasi originalem epiclesis construxit, ut nostrae quaestioni solvendae inserviret. Qui typus ita habet: „ . . . Petimus, ut mittas Spiritum tuum Sanctum in oblationem sanctae ecclesiae: in unum congregans de omnibus, qui percipiunt, sanctis in repletionem Spiritus Sancti ad confirmationem fidei in veritate, ut te laudemus et glorificemus per puerum tuum Iesum Christum." Verum etiam hoc fundamento posito theoria historica rationem suam atque probabilitatem retinet, cum quaestio de mutatione vel evolutione epiclesis decursu temporis facta eiusque ratione et intelligentia tota remaneat.

Atque his theoriae de epiclesi, quae considerationem 29.
merentur atque probabiles apparent, sufficienter expositae sunt. Forte vel probabiliter ex tribus illis sententiis una adaequata quaestionis solutio emergit, quatenus ad aliam epiclesis formam explicandam alia theoria praevaleat, nulla autem epiclesis forma exstet, quae ex tribus his theoriis non explicetur. De epiclesi recentiore praesertim aetate ingens fere litteratura accrevit; de qua conferri potest Höller l. c.

Scholion.

1. Obiectiones reliquae solvuntur. — Restat, ut 30.
aliqua liturgiarum vel SS. Patrum testimonia explicentur, quibus epiclesi tribuere videntur vim consecrativam. Etenim sic opponitur:

1) *In liturgia S. Basilii panis et vinum ante Spiritus Sancti invocationem non vocantur corpus et sanguis Christi, sed antitypa corporis et sanguinis Christi, quare secundum eandem liturgiam consecratio non verbis Christi, saltem non iis solis, sed epiclesi fieri censetur.* — *R.* Ut iam aliquando notatum est, SS. Patres saepe dona consecrata antitypa corporis et sanguinis Christi vocant, non quasi corpus et sanguis Christi non sint, sed quod ratione specierum symbola sensibilia sunt ad sacramentaliter significandum corpus et sanguinem Christi; aliis verbis: corpus et sanguis Christi, ut sub speciebus existunt, symbolum sunt corporis in cruce patientis et sanguinis in cruce effusi.

Verum instari potest ex verbis Damasceni aliter eandem 31.
appellationem explicantis: „Quodsi nonnulli panem vinumque corporis et sanguinis Domini antitypa vocaverunt, ut deifer Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed ante consecrationem oblationis appellatione ista usi sunt.“ (De fide. l. 4. c. 13.) — *R.* Consideranda pariter est alia sententia eiusdem Doctoris, quae ibidem paulo inferius in fine eiusdem capitis consequitur: „Antitypa porro hoc est exemplaria, futurorum dicuntur, non quod vere Christi corpus et sanguis non sint; sed quod nunc quidem divinitatis Christi per eu participes efficiamur, tunc autem intelligentia per

solum aspectum." Quare priora verba aut cum aliquibus spuria et adiectitia reputanda aut vero ab ipso S. Doctore verbis subsequentibus correcta vel limitata esse dicenda sunt. Verum alio adhuc modo priora verba intelligi possunt, quin inde sequatur, secundum liturgiam Basilii consecrationem solis verbis Christi non peragi. Nimirum cum in liturgia legatur: „Confidentes appropinquamus altari tuo sancto, et qui proposuimus antitypum corporis et sanguinis Christi tui, adoramus ac supplices rogamus te", Damascenus haec intelligere potuit dicta de oblatione ante prolationem verborum Christi.

32. 2) *S. Cyrillus H. aperte testari videtur, consecrationem fieri per epiclesin, non vero per verba institutionis; quod constat ex pluribus eiusdem testimoniis. Primum est catech. 19. n. 7.: „Panis et vinum eucharistiae ante sanctam invocationem adorandae Trinitatis, nudus panis et vinum erat, invocatione autem peracta, panis fit corpus Christi, et vinum sanguis Christi." Succedit alterum: „Panis eucharistiae post invocationem S. Spiritus non est communis panis, sed corpus Christi" (catech. 21. n. 3.). Denique tertium est: „Deum benignum exoramus, ut emittat Sanctum Spiritum super dona proposita, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi: omnino enim, quodcunque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est"* (Catech. 23. n. 7.). — *R. Primo* omnibus consideratis incredibile apparet, Cyrillum ita graviter errasse, ut exclusis verbis Domini soli epiclesi virtutem consecrativam adscriberet. *Secundo* non omnino improbabiliter notant aliqui theologi, cum Cyrillus duas commemoret invocationes, nempe adorandae Trinitatis et Sancti Spiritus, id argumento esse, nomine invocationis Cyrillum totum illud intellexisse, quod nunc canonem dicimus, cuius centrum illa ipsa verba Christi sunt, quorum mentionem expressam ipse nullam facit. Verum *tertio* probabilissime respondetur. Cyrilli verba referri ad epiclesin anteconsecratoriam, ut ex ipso contextu et aliis momentis patet: quo posito omnis difficultas cessat (cf. Höller, op. cit. p. 130. ss.).

3) *Epiclesi vim consecratoriam convenire etiam his S. Basilii verbis constare videtur: „Invocationis verba in ostensione panis eucharistiae et poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut evangelium mentionem fecit, sed et ante et post alia dicimus, velut magnum robur ad mysterium habentia, quae ex doctrina scripto non prodita accepimus"* (De Spiritu Sancto c. 27.). — *R.* His verbis illud solum edicitur, praecipuas liturgiae partes non ex scriptura, sed ex traditione et disciplina apostolica derivari: minime vero affirmatur, easdem omnes et nominatim epiclesin essentialiter ad consecrationem requiri. Sane magnum momentum Basilius iis tribuit, verum considerata non ipsa consecrationis essentia, sed celebratione eius digna et fructuosa. Atque hanc revera Basilii mentem esse, inde patet, quod ibidem eodem plane modo de caeremoniis in sacramentorum administratione adhibendis loquitur, ut de benedictione aquae baptismalis, de formula renuntiandi diabolo aliisque, quae ad essentiam sacramentorum minime pertinent. 33.

4) *Virtuti consecratoriae epiclesis etiam haec ex opere de ecclesiastica hierarchia favere videntur: „Inde divinus pontifex coram altari stans laudat sancta divinaque lesu dulcissimae nostri providentiae, quae diximus opera, quae pro salute generis nostri beneplacito sanctissimi Patris in Spiritu Sancto, ut loquuntur divina scripta, perfecit. Postquam autem laudavit, et venerandam intellectualemque speculationem coram mentis oculis perspexit, ad symbolicam eorum consecrationem venit, idque secundum traditionem divinam. Unde religiose simul et ut pontificem decet, post sacras divinorum operum laudes, de consecratione eorum, quae ipsius dignitatem superat, se purgat, dum primo devote ad eum clamat: Tu dixisti: Hoc facite in meam commemorationem. Deinde cum rogavit, ut dignus fiat hac consecratione, et ad similitudinem Christi haec divina perficiat, casteque distribuat, et ii, qui sacramenta participaturi sunt, digne sumant, consecrat divinissima, et manifestat laudata per symbola sancta proposita"* (c. 3.). *Hinc enim conse-* 34.

quitur, ex mente auctoris consecrationem fieri post verba Salvatoris: Hoc facite in meam commemorationem, atque ideo non fieri per verba institutionis, cum haec ante illa recitentur. — *R.* In textu graeco verba adducta ita habent: „Deinde divinus hierarcha Salvatoris nostri Iesu Christi providentias collaudans, quas Patris beneplacito in Spiritu Sancto consummavit, et intentis oculis spiritalem contuitus contemplationem, ad symbolicam consecrationem, hoc est panem et calicem accedit. Explicans vero, quomodo et hoc ex divina traditione faciat, se excusando et ad ipsum exclamando ait: Tu enim dixisti: *Hoc facite in meam commemorationem.* Postulans deinde cum communione tum eius distributione dignus effici, sub aspectum ducit ea, quae celebravit, revelans illum panem indivisum, et in multa distribuens." Cum quibus conferenda sunt, quae idem auctor in limine capitis mysterium altaris exponens scribit: „Hierarcha stans in medio selectos illos diaconos sibi habet assistentes, hymnoque dicto divinissima consecrat sacramenta, et sub aspectum ducit ea, quae celebrata sunt, declarans ea Christi esse symbola; quoniam post coenam accepto pane, et quae sequuntur: et: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ostendit autem, id est, tunc detecta sancta dona post preces attollit seu elevat, quae de cetero tecta manent usque ad tempus sumptionis." Iamvero hac collatione evidens est, ex mente illius auctoris consecrationem solis Christi verbis perfici.

35. **2. *De veritate formae: ‚Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus'.*** — Dubitatio incidere potest, qua ratione haec verba tamquam forma sacramenti causent praesentiam corporis Christi, cum, ut infallibiliter vera sunt, eam potius supponere videantur. Verum facile respondetur distinctione facta inter propositionem speculativam et practicam. Prior enim id enuntiat, quod verum iam exstat antecedenter ad ipsam enuntiationem; quare veritas talis propositionis posterior est ipsa veritate rei ontologica. Econtra autem propositio practica enuntiat id, quod verum fit dependenter ab ipsa enuntiatione; in tali igitur propositione significatio prior est ipsa veritate ontologica, cum haec vi verborum vel signi-

ficationis efficiatur; unde denique in tertio signo rationis conformitas propositionis significantis cum re significata resultat. Verumtamen tria illa: significatio, efficientia, formalis veritas propositionis in eodem instanti reali inveniuntur vel exstant, quia per diversa illa rationis signa non quidem ordo temporis, sed solius dependentiae vel naturae designatur. Apposite *S. Thomas:* „Quae sunt in voce proportionantur his, quae sunt in anima. Conceptio autem animae duobus modis se habet. Uno modo ut repraesentatio rei tantum, sicut est in omnibus cognitionibus acceptis a rebus; et tunc veritas conceptionis praesupponit entitatem rei sicut propriam mensuram . . ., et per modum huiusmodi conceptionum se habent omnes locutiones, quae causa significationis tantum proferuntur. Alio modo conceptio animae non est repraesentativa rei, sed magis praesignativa, sicut exemplar factivum sicut patet in scientia practica, quae est causa rei; et veritas huius conceptionis non praesupponit entitatem rei, sed praecedit ipsam naturaliter quasi causa, etsi simul sint tempore: et ad hunc modum se habent verba praemissa, quia sunt significantia et factiva eius, quod significatur. Unde veritas et significatio huius locutionis praecedit naturaliter entitatem rei, quam signat, et non praesupponit ipsam, quamvis sit simul cum ipsa tempore, sicut causa propria cum proprio effectu. Sed quia significatio et veritas locutionis, quae est simul tempore cum transsubstantiatione, consurgit ex consignificationibus partium successive prolatarum, ideo oportet, quod dictio ultimo prolata compleat significationem locutionis, sicut differentia specificata; et simul cum significatione fiat entitas rei; et per consequens, significationes primarum partium praecedant transsubstantiationem, quae quidem non successive fit, sed in instanti ultimo per significationem locutionis iam perfectam“ (In 4. d. 8. q. 2. a. 1. q. 5.).

Corollaria.

36. ***1. Praeter verba: Hoc est corpus meum nulla alia ad formam consecrationis corporis essentialiter pertinent.*** — Cum verba: *Hoc est corpus meum* tum

in relatione institutionis tum in canone missae cum aliis verbis vel sententiis conexa sint, merito quaeri potest, num etiam haec alia vel aliqua ex illis ad validam consecrationem requirantur; quae dubitatio forte ipsa demonstratione thesis non satis expedita videatur. Quare quibusdam corollariis haec quaestio et aliae quaedam similes speciatim tractandae sunt. Itaque:

1) *Necessaria de necessitate sacramenti non sunt verba: Accipite et comedite, seu ut sunt in canone missae: Accipite et manducate ex hoc omnes.* — Etenim *primo* id eo indicatur, quod Matthaeus et Paulus quidam ista verba: *accipite, comedite* referant, Marcus autem tantum *accipite*, et Lucas neutrum ponat. Etenim improbabile et incredibile apparet, sacros scriptores institutionem eucharistiae referentes aliquod verbum Domini essentialiter ad confectionem eucharistiae requisitum omisisse. — *Praeterea* eadem verba nihil significant, quod sacramento eucharistiae internum et essentiale sit, sed quod significant ipsi sacramento externum atque eodem posterius est; etenim ad usum tantum eucharistiae referuntur neque ad conversionem vel praesentiam realem significandam concurrunt; si autem ad significationem non concurrunt, neque ad conversionem efficiendam cooperari possunt.

37 2) *Neque verba: quod pro vobis tradetur, necessaria computari possunt.* — Haec verba de essentia sacramenti esse Graeci schismatici affirmant; verum immerito et falso. Etenim *primo* cum Lucas quidem et Paulus hoc appositum habeant, Matthaeus et Marcus illud omittunt; atqui hi scriptores non omisissent, si de necessitate sacramenti esset. *Praeterea* ecclesia catholica illa verba in consecratione non adhibet. *Denique* idem patet ex natura rei; etenim sola verba: *hoc est corpus meum,* iisdem illis verbis non additis, sufficientem significationem sacramentalem habent. Ergo verba, de quibus agitur, nullo pacto dici possunt necessaria de necessitate sacramenti. — Imo vero neque necessaria sunt de necessitate praecepti sive divini sive ecclesiastici; et quidem non sunt necessaria praecepto divino, cum eiusmodi praecepti ne vestigium quidem exstet sive in scriptura sive in traditione:

neque necessaria sunt praecepto ecclesiastico, quia ecclesia contrarium usum observans sine praedictis verbis consecrat.

3) *Neque ad validam consecrationem requiruntur verba: Hoc facite in meam commemorationem, quae Paulus et Lucas subiiciunt formulae consecrati panis.* — Etenim *primo* Matthaeus et Marcus eadem omittunt. *Praeterea* ecclesia ea pariter omittit in missa; quamvis autem similia post consecrationem calicis proferat, prius tamen iam hostiam populo adorandam exhibet. *Denique* verba illa ipsa consecrationem iam peractam supponunt; quare ad eam significandam vel efficiendam non spectant. 38.

2. Forma consecrationis calicis de necessitate sacramenti necessaria solis verbis continetur: Hic est sanguis meus. — Ecclesia Romana in consecrando calice hanc formam adhibet: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hinc omnia haec verba ad validam calicis consecrationem requiri praeeunte S. Thoma (S. th. 3. p. q. 78. a. 3.) Thomistae plures docent. Alii vero theologi id negantes sola verba: *hic est sanguis meus*, essentialia esse affirmant. Atque haec doctrina, cum iam communior fuerit antiquorum theologorum, ut Magistri, Alexandri Halensis, Bonaventurae Aureoli, Petri de Alliaco, Alberti Magni, nunc iam universaliter a theologis tenetur: et merito quidem; etenim: 39.

1) *Probatur ex usu ecclesiae.* — Nimirum ecclesia magna ex parte illis verbis neque usa est neque utitur. Cum enim omnes liturgiae antiquae omittant verba *aeterni* et *mysterium fidei*, aliae item antiquae omittunt insuper verba *novi et aeterni testamenti*. Et cum quaedam habeant: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, aliae: *hic est calix sanguinis mei*, aliae: *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine*, aliae iterum simpliciter *hic est sanguis meus* sine omni plane additione. Validae autem omnes istae formae fuerunt, cum ecclesia Romana earum usum toleraverit, imo vero implicite saltem in concilio Florentino approbaverit. Ergo.

40 2) *Ex comparatione cum verbis Christi, ut ab auctoribus sacris referuntur.* — Etenim omnes omittunt verba: *aeterni* et *mysterium fidei;* Matthaeus et Lucas non habent *pro vobis;* Marcus omittit *in remissionem peccatorum;* Paulus denique retentis solis verbis *novi testamenti,* reliqua omnia praetermittit, cum tamen relationem institutionis exordiatur sollemni sententia: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis.* Qua sententia principium argumentationis nostrae confirmatur, scilicet sacros scriptores in suis relationibus nihil reticere potuisse, quod ad confectionem sacramenti validam necessarium vel essentiale est.

41. 3) *Ex SS. Patrum auctoritate.* — Etenim de forma essentiali ss. eucharistiae agentes minime omnia illa verba afferunt, quibus ecclesia Romana utitur, sed verbis: *hic est sanguis meus* totam formae essentiam contineri significant. Ita *Iustinus* consecrationis ritum exponens eandem per precem verba Christi continentem fieri docet atque subdit: „Nam Apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt; eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum;* et poculo similiter accepto actisque gratiis dixisse: *Hic est sanguis meus* ipsisque solis tradidisse“ (Apol. 1. n. 66.). Similiter *auctor lib. de sacramentis* tamquam verba Christi, quibus vinum „sanguis efficitur, qui plebem redemit“, haec adduxit: „*Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus*“ (l. 4. c. 5.). Denique I. Damascenus verba, quibus omnipotenti Dei praecepto panis vinique conversio fiat, haec esse declarat: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* (L. c.). Sola igitur verba a nobis statuta ad consecrationem calicis necessaria esse declarant.

42. 4) *Ex paritate rationis cum forma consecrationis panis.* — Nimirum si ad consecrandum panem sola verba: *Hoc est corpus meum* essentialiter requiruntur, tum etiam ad consecrandum calicem sola verba: *Hic est sanguis meus* essentialia sunt; atque nominatim cum verba: *quod pro vobis tradetur,* essentialia non sint, ut demonstratum est, neque verba: *qui pro vobis effundetur,* essentialia haberi possunt.

5) *Ex ratione theologica.* — Nimirum verba sacramentalia significando causant ideoque significationi effectus respondeat necesse est. Atqui verbis: *Hic est sanguis meus* totus effectus i. e. praesentia realis et substantialis sanguinis Christi per conversionem effecta sufficienter significatur. Ergo etiam iisdem solis efficitur. Quare illa verba sola de necessitate sacramenti necessaria sunt. 43.

Excipiunt primo ex ultimo argumento consequi, Christum sacramentum sanguinis sui ne potuisse quidem ita instituere, ut praeter verba: *hic est sanguis meus,* etiam alia essent necessaria necessitate sacramenti: quod nimium esse videatur. — *R.* Posita indole vel natura sacramentorum qualis revera est Christum illud non potuisse ultro concedimus. Cum enim sacramenta significando causent, intrinsecus repugnat, non effici praesentiam sacramentalem sanguinis solis verbis: *Hic est sanguis meus,* utpote quibus profecto praesentia eadem significatur. Quamdiu igitur his verbis sua significatio relinquitur, sola ad consecrationem sufficiunt nihilque praeter ea requiritur.

Excipiunt secundo ex baptismo eandem exceptionem urgentes. Nimirum in hoc sacramento ad valorem requiruntur non solum verba: *Ego te baptizo,* sed etiam alia: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quamvis illa ante horum prolationem vera sint et significationem suam habeant. — *R.* Verba: *Ego te baptizo* in se spectata multo minus determinata sunt ac verba: *Hic est sanguis meus:* vel verborum: *ego te baptizo* alia est significatio naturalis, alia sacramentalis; illa inseparabilis quidem est a verbis *ego te baptizo* et independens ab aliis verbis: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* haec autem utpote positiva institutione adiecta, separabilis est et vi institutionis pendet ab invocatione SS. Trinitatis addita. Quare verba: *ego te baptizo,* vera sunt veritate obiecti, quod nativa sua potestate significant, independenter a verbis subsequentibus, sed vera independenter ab his non sunt veritate sacramentali, veritate scilicet ex effectu proveniente. Idem autem dici nequit de verbis Christi: *Hic est sanguis meus,* utpote quae simpliciter significant san- 44.

guinem Christi praesentem neque praesentia hac deficiente ullam veritatem continent.

45. *Excipiunt tertio,* in authenticis fontibus tamquam formam sacramenti assignari non sola verba: *Hic est sanguis meus,* sed etiam et una cum ipsis omnia verba subsequentia. — *R.* In istis fontibus non declaratur forma essentialis et necessaria necessitate sacramenti, sed simpliciter exhibetur forma adhibenda, non autem definitur, omnia et singula verba, quae eam constituunt, habenda esse essentialia ita, ut integro valore omitti nequeant.

46 ***3. Opinio, quam adstruxit Scotus circa verba canonis: Qui pridie quam pateretur, probabilis non est.*** — Ille theologus scilicet haec verba non quidem partem formae esse, sed ad valorem formae necessario praerequiri statuit; ratio vero eiusdem est, quod illis verbis non praemissis non sufficienter significetur, pronomen *meum* non ad sacerdotis loquentis, sed ad Christi corpus pertinere. Verum hoc fundamentum solidum non est atque ipsa sententia gravibus rationibus refutatur:

1) *Ratio prima.* — Illa verba, de quibus agitur, non Christi sed evangelistarum verba sunt; ergo, cum consecratio solis Christi verbis fiat, ad formam sacramenti intrinsecus pertinere vel ad eius valorem necessario requiri nequeunt.

47. 2) *Ratio altera.* — Sententia Scoti sibi non cohaeret. Etenim ex una parte dicit, illa verba intrinsecus partem formae non constituere; ex altera autem sine ipsis verba Christi non sufficienter significare contendit. Atqui si verba Christi sine illis verbis sufficienter non significarent, intrinsecus ad formam pertinerent eiusque partem constituerent. Nam verba, quae ita complent formam in ratione *significantis,* ut sine ipsis forma nondum complete significet, manifesto aliquid formae in ratione formae internum sunt eiusque partem vel essentialem vel integralem constituunt. — Aliquid autem Scoto concedi potest, scilicet verba, de quibus agitur, nos conducere ad clarius percipiendum sensum verborum Christi; at vero id spectat non ad sufficientem formae significationem.

sed ad eandem clarius percipiendum ideoque non intrinsecus sed extrinsecus tantum ad formam pertinet.

3) *Ratio tertia.* — Verba illa ad significationem sacra- 48.
mentalem formae non requiruntur; haec enim satis determinata est per circumstantias et adiuncta, in quibus a sacerdote profertur. vel certe per intentionem proferentis; hac enim intentione, non autem illa historica introductione fit, ut verba formae non in persona ministri, sed in Christi persona proferantur. Imo vero illa introductio ad hunc finem inepta potius censenda est, cum recitative prolata innuere potius videatur, sacerdotem non Christi sed suo nomine loqui. Certissime autem illa historica introductio cum carentia intentionis compossibilis est, ut patet manifesto exemplo sacerdotis in evangelio diei palmarum vel festi corporis Christi institutionem sacramenti recitantis. Ergo ad significationem formae necessario requiri nequit. Quare merito *S. Thomas:* „Si sacerdos sola verba praedicta *(hoc est corpus meum)* proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeret hoc sacramentum, quia intentio faceret, ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum ecclesiae non servans“ (S. th. 3. p. q. 78. a. 1. ad 4.).

4. Verba formae a sacerdote consecrante re- 49.
citative simul et assertive dicuntur. — Theologi plures multis disputarunt, num verba formae a sacerdote recitative tantum sive narrative, an vero assertive sive formaliter sive significative proferenda sint; verum haec quaestio, quae fusis quorundam theologorum disputationibus obscurata potius quam dilucidata est, breviter expediri potest. Itaque:

1) *Verba formae recitative sive narrative proferuntur.* — Ratio assertionis manifesta est; scilicet continetur in ipso contextu canonis missae, qui verba formae praecedit: „Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas . . . benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens: *Accipite et manducate ex hoc omnes; hoc est*

enim corpus meum." His enim verbis narratur ac refertur a sacerdote, quid Christus in ultima coena egerit et dixerit.

Neque tamen necessario recitative dicuntur, quia introductio illa historica, a qua recitative prolatio pendet, tota quanta, ut supra demonstratum est, omitti potest, quin consecratio invalida fiat.

50. 2) *Necessario autem verba formae assertive proferenda sunt.* — Id quidem negasse videntur Durandus, Occamus, Catharinus, Salmeron; verum immerito et falso, ut cum communi theologorum sententia omnino tenendum est et facile probatur:

Primo id patet ex differentia, quae inter formam eucharistiae et aliorum sacramentorum formas invenitur. Quam differentiam ita notat *S. Thomas:* „Formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum, sicut cum dicitur: Ego te baptizo, vel: Ego te confirmo, sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur: Accipe potestatem . . . sed forma huius sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi" (S. th. 3. p. q. 78. a. 1.). Nimirum in aliis quoque sacramentis minister nomine Christi loquitur, verum ita, ut propriam personam non excludat; etenim verba a Christo instituta profert eius nomine atque auctoritate ab ipso accepta, sed ratione huius auctoritatis verba prolata etiam in ipsa ministri persona implentur vel verificantur, ut v. g.: ego te baptizo, ego te absolvo . . . Atvero in ss. eucharistia conficienda sacerdos personam Christi ita repraesentat vel induit, ut propriam personam excludat atque verba prolata nonnisi in persona Christi verificentur; etenim per verba: *hoc est corpus meum* corpus Christi quidem, non autem corpus sacerdotis consecrantis significatur et praesens sistitur. Quae cum ita sint, manifesto consequitur, verba consecrationis non solum recitative vel materialiter, sed significative vel formaliter vel assertive proferenda esse; secus enim sacerdos non ea ratione, qua dictum est, in persona Christi loqueretur neque eam repraе-

sentaret, sed suam personam repraesentaret atque ipse, non vero Christus loqueretur. Ergo.

Praeterea certum est, ad validam consecrationem nihil requiri praeter verba: *Hoc est corpus meum.* Haec autem verba sola non sufficerent, si recitativa prolatio requireretur et sufficeret, cum sensus recitativus penitus a verbis praecedentibus pendeat, scilicet: „Qui pridie, quam pateretur . . . accipite et manducate." — Quare verba consecrationis necessario formaliter sive significative seu assertive proferenda sunt.

Deinde Christus praecepit Apostolis, ut facerent, quod ipsum facientem viderant neque aliam eisdem contulit potestatem, quam potestatem faciendi, quod ipse fecerat. Christus autem ipse certe consecravit verba formae significative seu assertive proferendo. Ergo etiam a sacerdotibus, ut consecratio valeat, significative seu assertive proferenda sunt. Nisi enim ita facerent, modum consecrandi haberent omnino diversum a modo, quo ipse Christus consecravit; scilicet alia et alia forma obiective diversa in utroque casu adhiberetur. Nam certe obiective diversum sensum fundunt hae propositiones: *Hoc est corpus meum*, et altera: *Christus dixit, hoc est corpus meum.*

Denique si verba formae recitative tantum proferantur, 52.
unum hoc significant, aliquando, cum scilicet Christus diceret: *Hoc est corpus meum,* ipsius corpus sub accidentibus eius panis, quem tenebat manu, positum fuisse; sed nunc etiam sub accidentibus panis, quem sacerdos consecrans tenet manibus, poni minime significant. Atqui verba formae nihil nisi quod significant efficiunt. Ergo verba formae recitative solum prolata nihil efficere possunt, sed ut effectum conversionis producant, assertive proferenda sunt.

Idem autem valet etiam de verbis, quae formam immediate praecedunt: *Accipite et manducate ex hoc omnes.* Si enim mere narrative proferrentur, pronomen *hoc*, quod continent, unice de eo intelligendum esset, quod Christus tempore illo ultimae coenae in manibus tenebat. Iamvero de eo unice intelligi nequit, quin plane incongrua ponatur particula *enim* in propositione causali: *Hoc est enim corpus meum.* Quare certum est, illa etiam verba: *Accipite et man-*

ducate ex hoc omnes a sacerdote non solum narrative sed etiam assertive proferenda esse. Quod etiam Veteres innuere videntur, quando nulla facta restrictione verba Christi ab Evangelistarum verbis distinguentes illa in persona Christi a sacerdote proferri dicunt. Ita v. g. *Paschasius* scribit: „Sacerdos prius inter cetera etiam verba Evangelistarum assumens ait: Qui prídie quam pateretur . . . et dedit discipulis suis. Ecce usque ad istum locum verba sunt Evangelistarum; porro deinceps verba sunt Dei potestate et omni efficientia plena: *Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.*“ (De corpore Christi c. 15.)

Quae cum ita sint, non tamen anxie curandum est sacerdoti celebranti, ut verba formae assertive proferat, quia eo ipso, quod veram intentionem celebrandi habet, etiam verba consecrationis assertive profert.

53. ***5. Falsa est sententia ponens, Christum ipsum in ultima coena non verbis institutionis, sed praevia ad eadem benedictione consecrasse.*** — Nimirum aliqui theologi antiquiores opinati sunt, sacerdotes quidem nunc verbis institutionis consecrare, Christum autem ipsum in ultima coena non his verbis, sed iam ante eorum prolationem benedictione quadam sive mere interna sive extrinseeus manifestata conversionem operatum esse. Quam sententiam iam commemorat et refutat S. Thomas in S. th. 3. p. q. 75. a. 1. ad 1. Haec sententia exstat in opere *Innocentii III.* ‚De mysterio missae‘, utpote in quo scribit: „Sane dici potest, quod Christus divina virtute confecit et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se propria virtute benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis“ (L. 4. c. 6.). Notandum autem est, hoc opus conscriptum esse, quando nondum erat Pontifex. Accessit ad eandem sententiam quadantenus *Catharinus* dicens, Christum verba: *Hoc est corpus meum* dixisse „historice dumtaxat et narrative, non significatione et effective“ atque eadem ratione sacerdotes quoque nunc illa verba proferre ideoque alias preces requiri ad conversionem efficiendam. Quam sententiam suam tecit etiam *Christophorus a Capite fontium;* verum opera horum

theologorum, in quibus hanc opinionem statuunt, in Indice posita sunt. Similiter alii quidam theologi. Immerito autem *Salmeron* tamquam patronus eiusdem sententiae adducitur. Etenim hic theologus plura argumenta quidem, quae huic sententiae favere videntur, plura recenset, sed ita concludit: „Haec ideireo tam late a me allata sunt ad hanc firmandam sententiam, non quod post Concilii Florentini decretum tam unanimiter in scholis receptum et dure ab adversariis explicatum tutam eam existimem, sed ut videas, quibus se tueantur rationibus et iis per teipsum facile dissolutis in ea sententia permaneas, quae eadem forma nos dicit consecrare, qua Christus ipse consecravit" (Commentarius in hist. evang. tom. 9. tract. 13.) Recentiore autem aetate hanc sententiam resuscitavit *Hoppe* contendens sacerdotes quidem verbis institutionis consecrare, eadem vero verba a Christo in ultima coena pronuntiata non fuisse consecratoria, sed declarativa tantum (cf. Die Epiclesis der griechischen und orientalischen Liturgie 298.). — Verum haec sententia probabilis non est, sed falsa esse his rationibus demonstratur:

1) *Ratio prima.* — Haec continetur argumento primo 54.
secundae partis, quo probatum est, Christum consecrasse et consecrationem semper fieri verbis institutionis. Certo patroni sententiae, de qua agitur, consequenter non procedunt. Etenim quia Christus eucharistiam instituens Apostolis eorumque successoribus praescripsit, ut quod prior fecerat, ipsi facerent, alia ratione Christum consecrasse et alia nunc sacerdotes consecrare inepte dicitur.

2) *Ratio altera.* — Haec est communis sententia theologorum, consecrationem etiam ab ipso Christo factam esse verbis institutionis. Apposite *Suarez:* „Dicendum est, Christum consecrasse praedictis verbis semel prolatis, prout ab evangelistis referuntur. Haec sententia ita certa est meo iudicio, ut contraria non posset absque temeritate defendi; est communis theologorum cum S. Thoma et Magistro. Eandem docent omnes expositores evangeliorum, quique hoc tempore contra Lutheranos scribunt" (Disp. 58 s. 1. n. 4.).

55. *Quae adversarii opponunt, nullius momenti sunt. Primo* enim secundum eosdem theologos benedictio illa, de qua ss. scriptores, aut identica est cum verbis consecrationis, aut invocatio ad eandem praevia fuisse dicenda est. — Quod vero *praeterea* Apostolus calicem consecratum vocat calicem benedictionis (1. Cor. 10, 16.), adversariorum opinioni non favet; etenim his verbis aut totam coenae celebrationem ab aliqua eius parte denominat, aut vero voce *benedictionis* designat ipsam prolationem verborum institutionis. Similiter ex verbis eiusdem Apostoli: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* profecto nemo inferet, fractionem panis esse consecratoriam. — *Deinde* argumentum, quod Hoppe l. c. derivat ex termino ἁγιάσας, utpote quo variae liturgiae illud *benedixit* interpretantur, manifesto nullum est. Etenim sanctificationem idem esse ac transsubstantionem neque per se patet neque demonstratur, sed gratis supponitur. — *Denique* frustra adducitur ab eodem auctore auctoritas S. Irenaei, utpote qui tradere videatur, Christum ipsum sacramentum sumpsisse, antequam verba protulerit: „Cum gratias egisset tenens calicem et bibisset ab eo et dedisset discipulis, dicebat eis: *Bibite ex eo omnes, hic est sanguis . . .*" (Adv. haec. l. 5 c. 33.) Etenim merito respondetur S. Patrem in his verbis ordinem historicum non spectasse; verum propositum ei erat, recensere prius actiones, deinde verba Christi temporis ordine neglecto; quod eo magis facere potuit, quia illa omnia eodem moraliter tempore contigerunt.

56. *Absolvere iuvat postremam hanc quaestionem* aliqua *S. Thomae* expositione, utpote qua omnes rationes adductae comprehenduntur atque insuper aliae quaedam exhibentur: „Circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Christus qui habebat potestatem excellentiae in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit, et postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocentii III. dicentis l. 4. de myst. missae cap. 6. in fine: ‚Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.' Sed contra hoc ex-

presse sunt verba evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit, quae quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Unde praedicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta quam determinative. Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis. Sed nec hoc stare potest, quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quae tunc acta sunt; unde si tunc per haec verba non est facta consecratio, nec modo fieret. Et ideo alii dixerunt, quod illa benedictio iisdem etiam verbis facta est, quibus modo fit; sed Christus ea bis protulit, primo quidem secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. Sed nec hoc stare potest, quia sacerdos consecrat, proferens haec verba, non ut a Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Unde cum non habeant vim huiusmodi verba nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens consecraverit. Et ideo alii dixerunt, quod Evangelistae non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res sunt gestae, ut patet per Augustinum in l. 2. De consensu Evang. cc. 30. 31. et 44. Unde intelligendum est, ordinem rei gestae sic exprimi posse: *Accipiens panem benedixit, dicens: Hoc est corpus meum, et deinde fregit deditque discipulis suis.* Sed idem sensus haberi potest etiam verbis evangelii non mutatis. Nam hoc participium *dicens* concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quae praecedunt. Non autem oportet, quod haec concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus tunc illa verba protulerit, quando dedit discipulis suis: sed potest intelligi concomitantia respectu totius praecedentis, ut sit sensus: Dum benediceret, frangeret, et daret discipulis suis, haec verba dixit: *Accipite* etc.“ (S. th. 3. p. q. 78. a. 1. ad 1.).

Articulus secundus.

De ss. eucharistiae effectibus.

Thesis 16. **Effectus sacramenti eucharistiae est conservatio et incrementum supernaturalis vitae; atque generatim effectus, quos materialis cibus et potus producunt quoad vitam corporalem, hoc ss. sacramentum operatur quoad vitam spiritualem.**

Declaratio.

1. ***1. Doctrina Protestantium.*** — Quemadmodum cetera sacramenta, ita etiam ss. eucharistiam unice ad fidem iustificantem excitandam spectare Protestantes docuerunt atque ideo huius sacramenti effectum primarium vel potius unicum esse remissionem peccatorum praefracte contenderunt. Ita *Lutherus* ipse in libro ‚De captivitate babylonica' declaravit: „Verbum divinae promissionis huius sacramenti, cum exhibeat peccatorum remissionem, secure accedit, quicunque peccatorum suorum vexatur sive morsu sive titillatione. Est enim testamentum hoc Christi medicina unica praeteritorum, praesentium et futurorum peccatorum, modo indubitata fide ei adhaeseris et credideris, tibi gratuito dari id, quod verba testamenti sonant" (In fine).

2. ***2. Doctrina catholica.*** — Absurdum istum et blasphemum errorem reiecit *Concilium Tridentinum* eique doctrinam catholicam opposuit: „Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum (Matth. 26, 26.), quo alantur et confortentur (can. 5.) viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Ioan. 6, 58.), et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput (1. Cor. 11, 3.) existit, cuique nos tamquam membra arctissima fidei spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schis-

mata (cf. 1. Cor. 1, 10.)" (Sess. 13. cap. 2.). Et: „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum vel ex ea non alios fructus pervenire anathema sit" (Ibid. can. 5.).

3. *Divisio thesis:* — Iam doctrina haec catholica 3.
vindicatur vel thesis demonstratur tribus partibus: atque in prima quidem parte diserte refutatur doctrina haereticorum; in altera parte positive demonstratur effectum eucharistiae principalem consistere in conservatione et incremento supernaturalis vitae seu in unione cum Christo huius vitae principio; in tertia tandem parte secunda magis explicatur effectum illum generalem in speciales vel in partes suas resolvendo. Denique aliae quaestiones huc spectantes in corollariis quibusdam et scholiis adiectis resolventur.

Demonstratio.

I. p.: Effectus eucharistiae per se non est remissio peccatorum seu collatio primae gratiae.

1. *Probatur ex s. scriptura.* — Nimirum haec 4.
veritas imprimis colligitur ex doctrina Apostoli de communione indigna: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (1. Cor. 11, 27.). Etenim manducare corpus Christi et bibere sanguinem Domini indigne nihil aliud dicit nisi accessum ad eucharistiam contra debitam reverentiam graviter delinquentem vel participationem eiusdem in eo statu factam, in quo participans Domini non amicus, sed inimicus sive gravi peccato a Deo aversus est. Ratio aperta est: si videlicet gravem iniuriam terreno principi ille facere censetur, qui cum infestum erga eum animum gerat, nihilominus amicitiam simulans eiusdem mensae accumbat: a fortiore ille foedae iniuriae reus habendus est, qui ad aeterni regis et Domini nostri mensam accedere audet, dum anima ipsius gravis peccati macula adhuc foedata est. Quare Apostolus, ut semetipsum homo exploret,

graviter monet, ne eiusmodi criminis periculo se exponat. Iamvero si homo gravis peccati reus indigne sumit sacramentum corporis et sanguinis Domini, profecto peccatorum remissio per se eucharistiae effectus non est. Ergo.

5. *Confirmatur ex interpretatione SS. Patrum,* utpote qui eadem ratione Apostolum intellexerunt. Nomine Graecorum loquatur *Chrysostomus:* „Sicut res est magna et mirabilis (esse participem sanguinis Christi), ita si cum puritate accesseris, ad salutem accessisti; si cum mala conscientia ad supplicium et ultionem. *Qui enim manducat,* inquit, *et bibit indigne Domino, iudicium sibi manducat et bibit.* Si itaque ii, qui regiam purpuram inquinant, ac si discinderent, puniuntur; quid mirum, si ii, qui immundo animo hoc corpus accipiunt, idem subeant supplicium, quod ii, qui illud corpus clavis transfixerunt?" (Hom. 24. in 1. Cor. 11.). Pro Latinis audiatur *Cyprianus,* qui contra christianos ante scelerum expiationem „Domini corpus invadentes" citata Apostoli verba urget atque subdit: „Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori eius et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt" (De lapsis n. 13.). Et alibi hoc modo conqueritur: „Cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam iusto tempore, et secundum disciplinae rationem ad exomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore . . . ad communicationem admittuntur. et offertur nomen eorum, et nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit: *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*" (Ep. 9.).

6. ***2. Ex SS. Patrum doctrina et ecclesiae praxi.*** — Etenim SS. Patres frequenter docent atque inculcant, homines peccato gravi maculatos ad eucharisticam mensam recto

accedere non posse. Ita v. g. *Iustinus* scribit, eucharistiae participem neminem esse posse; nisi „veram esse doctrinam nostram credat, et lavacro in remissionem peccatorum ac regenerationem ablutus sit ac ita, ut Christus tradiderit, vivat“ (Apol. 1.). Similiter *Basilius:* „Si adversus eos, qui temere accedunt ad ea, quae ab hominibus sanctificata sunt (de sanctis veteris testamenti egerat), minae eiusmodi intentantur, quid quis dixerit contra eum, qui ad tantum ac tale mysterium non veretur accedere? Quanto enim plus templo illic est, iuxta Domini vocem, tanto gravius est et formidabilius corpore Christi impure vesci audere quam arietes aut tauros edere, cum Apostolus dicat: *Itaque quicunque manducaverit* . . . Mundemus igitur nos ab omni inquinamento . . . et ita demum accedamus ad sancta, ut eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus iudicium“ (De baptismo l. 2. q. 3.). Item *Ambrosius:* „Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi qui vocantur ad coenam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, ut veniret, accepit. Si lumine oculorum privatus erat, domum utique Domini, nisi refusa luce intrare non potuit. Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae coelestis exuberet; quamquam nondum validioribus haec turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore et sanguine ieiuna solidioris fidei corda pascantur“ (In Luc. l. 6. n. 70.). Atque *Chrysostomus:* „Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus et labris ad corpus illud audeas accedere? Et regem quidem ore male olente deosculari nolueris, coeli autem regem foetente et male olente anima oscularis? Id plane est contumelia. Dic mihi, vellesne ad sacrificium manibus illotis accedere? Non opinor, sed malles potius prorsus non accedere, quam sordidis manibus. Itane cum in re parva sis adeo reverens et religiosus, sordidam et immundam habens animam accedis et audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus; in illam autem totus et integer resolvitur“ (hom. 3. in ep. ad Ephes.). Denique in *constitutionibus Apostolorum* legitur: „Si quis sanctus est accedat; si quis non est curet,

ut fiat per poenitentiam" (L. 7. c. 72.). Alia testimonia, quae huc spectant, iam supra adducta sunt.

7. *Cum qua SS. Patrum doctrina concordat antiquae ecclesiae praxis et consuetudo.* Etenim nonnisi iis eucharistia praeberi consuevit, qui aut baptismo aut poenitentia a peccatis mundati erant, ac nominatim ecclesia prohibuit, quominus eucharistia publicis poenitentibus daretur. Illud quoque huc spectat, quod in omnibus fere liturgiis antiquis communioni monitum praemittitur: Sancta sanctis. Quod autem monitum ad solos catechumenos spectasse Protestantes quidam inepte contenderunt, cum catechumeni, quando illud proferebatur, a sacro coetu iam exclusi essent.

Quae cum ita sint, manifestum est, ex fide antiquae ecclesiae eucharistiam per se peccata gravia non delere sive primam gratiam non conferre, cum secus status gratiae ad eucharistiam recipiendam praerequiri non posset.

8. ***3. Ex conciliorum declarationibus.*** — Imprimis *Concilium Florentinum* huius sacramenti effectus declarans nullam facit mentionem remissionis peccatorum atque gratiam per idem collatam explicans iis terminis loquitur, ut eandem primam non esse facile perspiciatur. *Tridentini autem concilii* verba de fine s. communionis iam supra (n. 2) allata sunt. Praeterea vero idem concilium declarat cavendum esse, „ne absque magna reverentia et sanctitate ad id (sacramentum eucharistiae) percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne* . . . Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat" (cap. 7.). Atque iterum statuit: „Ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessarii, ne-

cessario praemittendam esse confessionem sacramentalem" (can. 11).

9. *4. Ex ratione theologica.* — Nullum sacramentum eum effectum supponit, ad quem conferendum per se institutum est; atqui eucharistia, cum instituta sit per modum cibi, subiectum suscipiens supponit vita gratiae vivens: ergo eucharistia per se instituta non est ad gratiam primam homini conferendam. — *Neque contra hoc argumentum excipi potest,* ultra limites urgeri rationem cibi eucharistiae convenientem; cibum quidem materialem vitam supponere in comedente, cum hic propria virtute eundem in suam substantiam convertere debeat; cibum autem spiritualem, cum non in comedentis animam convertatur, sed eandem potius in se convertat, in anima comedentis non tam supponere quam producere vitam spiritualem et supernaturalem. *Respondetur enim:* Quamvis manducatio eucharistiae conversionem quandam spiritualem hominis in Christum efficere nata sit augendo in homine gratiam et virtutes atque unionem et similitudinem cum Christo, nihilominus eucharistia rationem cibi retinet neque hos effectus producit nisi tamquam cibus. Cibus autem quivis ex ipsa sua formali ratione primam vitam non producit, sed supponit. — *Neque magis efficax alia est exceptio,* quae contra argumentum propositum fieri potest et solet: nimirum eucharistiae non solum cibi sed etiam medicinae rationem convenire; sub ratione autem medicinae eandem vitam non necessario supponere, sed, dummodo motus quidam vitales supernaturales adsint, etiam restituere posse. *Responderi enim potest,* eucharistiae quidem rationem medicinae sane convenire, verumtamen medicinae non restituentis vitam amissam, sed praeservantis a morte spirituali. Neque enim duae illae rationes cibi et medicinae coordinatae sunt sed subordinatae, cum ratio medicinae rationem cibi supponat atque ex eadem derivetur. — Sed alia habent, quae opponant contra ipsam doctrinam primae partis.

10. *Et primo quidem opponitur ex verbis, quae forma consecrationis calicis continet: ‚qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.'* — *R.* His verbis non effectus sa-

cramenti eucharistiae sive communionis exhibetur, sed ratio expiationis sacrificio eucharistico sive etiam crucis convenientis declaratur.

11. *Secundo opponi potest ex can. 5. sess. 13. Conc. Trid.: „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.“ — R.* Hac definitione excluditur sententia haereticorum eius aetatis asserentium effectum praecipuum imo unicum eucharistiae esse peccatorum remissionem, atque bimembri propositione anathemate damnatur. Nullo autem pacto canon ille dicit neque implicite, remissionem peccatorum gravium esse aliquem licet non praecipuum eucharistiae effectum. Hanc autem esse veram istius canonis interpretationem, manifesto patet ex reliqua eiusdem Concilii doctrina circa ss. eucharistiam supra iam allata.

12. *Tertio denique opponunt ex quibusdam SS. Patrum dictis, quibus ss. eucharistiam appellant animarum salutem atque remissionem peccatorum, vel docent eucharistia lavari animam, omnem abstergi spurcitiam, peccata exstingui et deleri et remitti, aegrotos curari seù integrari vel renovari collisos. — R.* Iidem fere Patres, qui his atque similibus loquendi formulis utuntur, gravitatem inculcant peccati ab eo comissi, qui peccato gravi maculatus ad sacram communionem accedere audeat; quare manifestum est, illas loquendi formulas sensu opponentium intelligi non posse. Praeterea idem patet, si textus ipse, contextus et adiuncta rite considerentur; his scilicet consideratis, facile liquet, SS. Patres aut de peccatis venialibus agere aut vero, si de peccatis etiam gravibus sermo sit, eosdem ss. eucharistiae illud solum adscribere, quod deleat quasdam peccatorum reliquias, habitus malos peccatis contractos debilitet, praemuniat animam ne denuo in eadem peccata prolabatur atque ea ratione nova velut confirmatio de peccatis iam antea poenitentia remissis et deletis habeatur. Itaque SS. Patres illa scribentes effectus eucharistiae prae oculis habent, qui vel ex proprio effectu, sc. augmento et conservatione et confirmatione vitae supernaturalis consequuntur vel connexi sunt vel quodammodo etiam confirmantur. Ad quem

effectum eucharistiae proprium iam demonstrandum et explicandum procedendum est.

2. p.: Effectus proprius et principalis ss. eucharistiae consistit in conservatione et incremento vitae supernaturalis sive in unione intima cum Christo huius vitae principio.

Ad duplicem assertionem vel ad duplex caput tota de- 13.
monstratio vel explicatio huius partis principalis revocari potest: Primo demonstratur, ss. eucharistiae hunc effectum reipsa competere; secundo demonstratur vel explicatur, qua ratione idem effectus ss. eucharistiae prae aliis sacramentis proprius sit.

1. Effectus enuntiatus ss. eucharistiae reipsa competit. — Quod facile demonstratur:

i) *Ex verbis promissionis.* — Nimirum in illa oratione 14.
Christus iteratis vicibus aliis et aliis verbis tamquam effectum eucharistiae promittit vitam supernaturalem vel supernaturalem cum ipso unionem per gratiam. Iamvero ss. eucharistia huius vitae atque unionis non largitur inchoationem. Ergo eiusdem vitae incrementum et conservationem sive unionem intimam cum Christo huius vitae principio largitur.

Probatur maior: Huc spectat tota fere oratio promissoria, imprimis autem haec Christi verba: *Hic est panis de coelo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur . . . Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro vita mundi . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam . . . Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo . . . Et qui manducat me, et ipse vivet propter me . . . Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Quibus verbis certe clarissime enuntiatur, quod in maiore argumenti assertum est. Etenim Christum agere de vita supernaturali vel de unione cum ipso per gratiam, nimis apertum est ita, ut nemo sanus de hac re dubitaverit. Videlicet primo absurdum penitus foret,

Christum esse cibum pro vita naturali; deinde ex tractatu de Verbo incarnato certissime constat, Christum venisse non ad ullos fines temporales et naturales prosequendos, verum ad restaurandum ordinem supernaturalem sive ad gratiae vitam reparandam; insuper terminus *vita aeterna* ex usu loquendi scripturae significat supernaturalem cum Deo unionem, quae in hac vita quidem inchoatur, in altera autem aeterna consummatur; item terminus *non morietur* certe non de vita naturali semper conservanda, sed de vita supernaturali morti peccati et damnationis opposita intelligendus est; praeterea vita, quam promittit Christus, est participatio vitae quam a Patre et communem cum ipso habet, ut patet ex v. 57.: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me;* haec autem vitae SS. Trinitatis participatio supernaturalis est; denique idem verbis etiam innuitur: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam* (v. 63.); de quibus verbis iam supra dictum est. Itaque apertissimum est, Christum agere non de vita naturali, sed de vita supernaturali gratia informata.

15. *Probatur minor.* Haec primo iam constat ex priore parte thesis atque imprimis ex ratione cibi, quam Christus sibi tribuit; insuper autem ex diversis huius orationis expressionibus clare consequitur, ut v. g.: *non moriatur* (v. 50.), *vivet in aeternum* (v. 52. 58. 59.), *non habebitis vitam in vobis* (54.), *in me manet et ego in illo;* utpote quae de vitae supernaturalis inchoatione vix ac ne vix quidem, de eiusdem autem conservatione et incremento maxime congrue imo necessario intelliguntur.

16. *Confirmatur et illustratur argumentum* ex sermone Christi Ioan. 15, 3. ss., in quo Patrem cum agricola, semetipsum cum vite, discipulos autem cum palmitibus comparat. Quam comparationem evolvens ita fere disserit: vos iam estis palmites a Patre purgati ac vitam in vobis supernaturalem habetis: hanc autem vitam per me et unione mecum vos habere atque ideo vobis in me manendum esse obliviscendum vobis nunquam est, si quidem conservare et explicare illam vitam

velitis. *Manete in me et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Nimirum sicut palmes non propria, sed communicata sibi a vite virtute tantum fructus edere valet atque sterilis est, nisi in organica cum vite coniunctione manserit, ita et vos, cum virtute non propria sed a me communicata tantum supernaturalis vitae opera exercere valeatis: in me maneatis necesse est, ut fructus vitae ferre possitis. Si igitur in me manseritis et ego in vobis, amplum fructum proferetis; si contra in me non manseritis, nullum fructum habebitis. Sine me enim nihil quod ad supernaturalem vitam spectat praestare potestis. *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* — Ex quibus sane confirmatur et illustratur, mansionem, de qua Ioan. 6. Christus loquitur, unionem dicere cum Christo, principio vitae supernaturalis, neque tamen eam qua primum vita obtinetur, verum eam, qua vita prius iam obtenta conservatur, promovetur, perficitur; unionem igitur magis intimam et ampliorem

Quae cum ita sint, oratione promissoria Ioan. 6. Christus 17.
aperte docet, effectum ss. eucharistiae seu unionis sacramentalis cum Christi carne et sanguine sive cum Ipso Christo esse conservationem et incrementum vitae verae et supernaturalis, vitae scilicet fidei, spei et caritatis aliquando transformandae in vitam visionis, caritatis et fruitionis beatificae, sive conservationem et incrementum unionis cum Christo, supernaturalis vitae principio.

2. *Ex SS. Patrum auctoritate.* — Ex innumeris fere 18.
eorundem testimoniis pauca afferre satis erit. Itaque *Tertullianus*: „Corpus eius in pane censetur: *hoc est corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore eius“ (De orat. c. 6). SS. Eucharistia igitur secundum hunc scriptorem spectat ad supernaturalis vitae unionisque cum Christo perpetuitatem et individuitatem nobis conciliandam. Et alibi idem: „Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur“ (De resurrect. carn. c. 8.).

Similiter *S. Cyprianus* declarat, ss. eucharistiae propositum esse, ut gratiam in anima conservet: „Christus noster, qui eum contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a corpore Christi separemur" (De orat. Domin.). Deinde *Macarius Magnus* de incremento gratiae, quod ss. eucharistia largitur sic dicit: „Qui manducat ad augmentum divinarum virtutem elevatur" (Ap. Galland. tom. 3. p. 541.). Saepius effectum eucharistiae statutum praedicat *Chrysostomus*, ut v. g.: „Hic sanguis salus animarum nostrarum est; hoc abluitur anima, hoc ornatur, hoc incenditur; hic igne splendidiorem mentem nostram reddit . . . Tremenda vere mysteria ecclesiae, horrendum vere altare. Ex paradiso fons scaturiit sensiles emittens fluvios; ex hac mensa fons scaturit fluvios emittens spirituales. Ad hunc fontem eriguntur non salices infructuosae, sed arbores ad ipsum coelum pertingentes, quae fructus semper producunt tempestivos, qui nunquam marcescunt" (Hom. 46. in Ioan.). Eundem effectum exhibet *Cyrillus H.*: „In figura enim panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi, ei concorporalis et consanguineus efficiaris. Sic enim Christiferi efficimur, corpore eius et sanguine in nostra membra distributo, sic iuxta B. Petrum divinae reddimur consortes naturae" (catech. 4. n. 3.). Denique *auctor ll. de sacram.* declarat: „Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est: supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit" (L. 5. c. 4.).

19. *3. Ex conciliorum decretis.* — Cum etiam theologorum suffragium hac in re unanime sit, mirum non accidit, quod concilia pariter claris et expressis verbis hanc doctrinam sua auctoritate firmaverint. In *decreto Eugenii IV.* haec leguntur: „Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris

eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum." Quibuscum concordant haec *concilii Tridentini* verba: „Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me et ipse vivet propter me*" (Sess. 13. c. 2.).

4. *Ex ratione theologica.* — Audiatur hoc loco *S. Thomas*, qui variis rationibus theologicis ex ipsa interna huius sacramenti indole derivatis probat hoc sacramentum conferre gratiam et simul etiam ostendit gratiam eodem collatam non esse primam sed eiusdem conservationem, augmentum, perfectionem vel uno verbo gratiam secundam: „Effectus huius sacramenti debet considerari *primo* quidem et principaliter ex eo, quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus; qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit vitam gratiae secundum illud Ioan. 1, 17.: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur secundum illud Ioan. 6, 58.: *Qui manducat me, vivet propter me.* Unde et Cyrillus dicit: ‚Vivificativum Dei Verbum uniens seipsum propriae carni, fecit ipsam vivificativam. Decebat enim eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictionem vivificativam in pane et in vino.' *Secundo* consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repraesentatur, quod est passio Christi . . . Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Unde super illud Ioan. 19.: *Continuo exivit sanguis et aqua*, dicit Chrysostomus hom. 84. in Ioan. circa med.: ‚Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem ut ab ipsa bibiturus Christi costa ita accedas.' Unde et ipse 20.

Dominus dicit Matth. 26, 28.: *Hic est sanguis meus . . . qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertio* consideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi et potus. Et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Unde Ambrosius (?) dicit in l. 5. de sacram. c. 4. circ. med.: ‚Iste panis est vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit.' Et Chrysostomus dicit super Ioan., hom. 45. a med.: ‚Praestat se nobis desiderantibus et palpare et comedere et amplecti.' Unde et ipse Dominus dicit Ioan. 6, 56.: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Quarto* consideratur effectus huius sacramenti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentum. Unde Augustinus ibidem (sc. tract. 25. in Ioan. parum ante finem) dicit: ‚Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud (scilicet panis) ex multis granis in unum constat; aliud (sc. vinum) ex multis acinis confluit.' Et ideo ipse alibi dicit sup. Ioan. loco citato a medio: ‚O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis.' Et quia Christus et eius passio est causa gratiae et spiritualis refectio, et caritas sine gratia esse non potest, ex omnibus praemissis manifestum est, quod hoc sacramentum gratiam confert" (S. th. 3. p. q. 79. a. 1.).

21. ***2. Ostenditur eundem effectum proprium esse ss. eucharistiae.*** — Nimirum omnia quidem sacramenta gratiam sacramentalem simul cum caritate non habenti dant et habenti augent; verumtamen, ut iam dictum est in tractatu de sacramentis in genere, gratia sacramentalis unicuique sacramento propria a gratia extrasacramentali atque etiam a gratia sacramentali ceterorum sacramentorum eo differt, quod ad specialem finem ordinatur atque speciale auxilium includit ad hunc finem assequendum. Unde merito quaeritur, *quaenam sit gratia sacramentalis ss. eucharistiae propria.* — Ad quaestionem hanc solvendam iuvat prius considerare cetera

sacramenta. Itaque gratia baptismalis ad spiritualem generationem et in corpus Christi insertionem efficiendam ordinatur. Gratia sacramentalis poenitentiae ad remissionem peccatorum largiendam atque ad peccatorum vulnera sananda dirigitur. In sacramento confirmationis et extremae unctionis gratia sacramentalis ad corroborationem animae refertur, qua fideles peculiarem *pugnam spiritualem* fortiter et viriliter sustinere valeant. Ordo autem et matrimonium (idem valet quadam ratione de confirmatione) homini peculiarem statum intra ecclesiam conferunt atque ideo gratia sacramentalis horum sacramentorum ad eorundem statuum officia pie et sancte obeunda ordinatur atque auxilia comprehendit, quae ad hunc finem consequendum iuvant. — Iamvero videri possit, ss. eucharistiam specialem eiusmodi effectum non habere vel specialem gratiam non conferre; etenim primarius et proprius eiusdem effectus, ut dictum est, continetur in ingi gratiae vel unionis cum Christo conservatione atque incremento. Etenim gratiam vel unionem cum Christo omnia sacramenta conferunt atque sacramenta vivorum eandem etiam augent. Nihilominus sicuti cetera sacramenta ita etiam ss. eucharistia proprium suum effectum habet atque specialem gratiam confert. Etenim gratia huius sacramenti ad caritatem Dei hominem in Christum transformantem excitandam atque fovendam speciali modo ordinatur atque etiam specialia auxilia includit, quibus hic effectus facilius obtineatur atque obstacula omnia contraria, imprimis amor proprius, in quo omnia alia radicantur, penitus removeantur, Cum autem caritas dicitur proprius huius sacramenti effectus, intelligitur caritas tum habitualis tum actualis: „Res huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento“ (*S. Thomas,* S. th. 3. p. q. 79. a. 4.). Et iterum: „In hoc sacramento non solum confertur gratia habitualis, sed excitatur fervor actualis devotionis“ (In 4. d. 12. q. 2. a. 2. q. 1. ad 2. cf. S. th. 3. p. q. 79. a. 1. ad 1. et 2.). Atque hac ratione ss. eucharistia etiam relate ad finem et effectum suum proprium distincta esse intelligitur a ceteris sacramentis vivorum. „Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se

primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae; atvero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et corpore eius iuxta 1. Cor. 10, 17." (Ibid.). Unde etiam splendide apparet huius sacramenti prae ceteris excellentia, quia scilicet non solum auctorem omnis gratiae et sanctificationis continet, verum ad unionem cum Christo per caritatem consummatam tamquam ad finem proprium tendit. SS. eucharistia igitur centrum quasi et corona vel finis sive perfectio ceterorum sacramentorum est; ad illam haec referuntur eique subordinantur. — Hanc autem explicationem legitimam et veram esse non una ratione probatur:

22. 1) *Probatur ex verbis Christi.* — Etenim Christus effectum huius sacramenti istis verbis declarat: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Ioan. 6, 57.). Iamvero verba *in me manet et ego in eo* nihil exprimunt nisi perfectionem mutui amoris, quo homo eucharistiam digne suscipiens cum Christo copulatur et in eum quasi transformatur. Hanc enim illorum verborum acceptionem ipsa scriptura innuit, cum apud eundem Ioannem (1. Ioan. 4, 16.) Dominus dicit: *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* Manere igitur in caritate idem est ac amantem in Deo manere et Deum in eo. Quare effectus eucharistiae in homine ad eam accedente eo constituitur, ut per caritatem cum Christo intime coniungatur atque in eum velut transformetur. Qua ratione vero amor amantem cum amato uniat et in eum quasi transformet, pulchre declarat idem *S. Thomas:* „Amor ad appetitum pertinet, appetitus autem est virtus passiva; unde . . . dicit Philosophus, quod appetibile movet sicut movens motum. Omne autem passivum perficitur secundum quod informatur per formam sui activi; et in hoc motus eius terminatur et quiescit: sicut intellectus, antequam formetur per formam intelligibilis, inquirit et dubitat: qua cum informatus fuerit, inquisitio cessat, et intellectus in illa figitur; et tunc dicitur

intellectus firmiter illi rei inhaerere. Similiter quando affectus vel appetitus omnino imbuitur forma boni, quod est sibi obiectum, complacet sibi in illo, et adhaeret ei quasi fixus in ipso; et tunc dicitur amare ipsum. Unde amor nihil aliud est, quam quaedam transformatio affectus in rem amatam. Et quia omne quod efficitur forma alicuius, efficitur unum cum illo; ideo per amorem amans fit unum cum amato. quod est factum forma amantis: et ideo dicit Philosophus . . . quod amicus est alter ipse; et 1. Cor. 6, 17.: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.* Unumquodque autem agit secundum exigentiam suae formae, quae est principium agendi et regula operis. Bonum autem amatum est finis; finis autem est principium in operabilibus, sicut prima principia in cognoscendis. Unde . . . amans, cuius affectus est informatus ipso bono. quod habet rationem finis, quamvis non semper ultimi, inclinatur per amorem ad operandum secundum exigentiam amati . . . Cum enim amans amatum assumpserit quasi idem sibi, oportet, ut quasi personam amati amans gerat in omnibus, quae ad amatum spectant; et sic quodammodo amans amato inservit, in quantum amati terminis regulatur" (In 3. d. 27. q. 1. a. 1.).

2) *Confirmatur ratione theologica.* — Videlicet cibus 23.
eucharisticus proportionaliter et analogice eundem effectum operatur quoad vitam supernaturalem, quem quoad vitam corporalem operatur cibus materialis; atqui cibus materialis vitam animalem eo fovet, quod in substantiam comedentis convertitur: ergo etiam cibus eucharisticus fovet vitam supernaturalem per conversionem vel transformationem aliquam: sed cibus eucharisticus, utpote qui est ipse Christus converti vel transformari nequit in manducantem; ergo manducans convertitur vel transformatur in cibum eucharisticum vel ipsum Christum, quemadmodum generatim in omni unitione duorum id quod est debilius, ab eo et in id mutatur, quod est potentius. Iamvero transformatio in Christum non aliter fieri potest nisi per caritatem. utpote quae sola, quantum fieri potest, hominem cum Christo unit et in Christum quasi transformat. Caritas autem intelligenda est tum habitualis

tum actualis, quia etiam cibus corporalis non tantum vitam in actu primo conservat et auget, sed etiam regulariter saltem causat refectionem et delectationem. Convenienter igitur conservatio et incrementum gratiae vel unionis cum Christo tamquam effectus proprius ss. eucharistiae assignatur.

24. 3) *Confirmatur auctoritate.* — Nimirum etiam SS. Patres plures saltem hanc transformationem hominis in Christum tamquam proprium ss. eucharistiae finem et effectum exhibent. Ita v. g. *Augustinus* Christum loquentem inducit: „Cibus sum grandium; cresce et manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me" (conf. l. 7. c. 10). Et *S. Bernardus:* „Nolite mirari hoc: manducat nos et manducatur a nobis, quo arctius illi astringamur. Non sane alias perfecto unimur illi. Nam si manduco et non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quodsi manducor quidem nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur, nec erit perfecta unitio in unoquoque horum. Sed enim manducet me, ut habeat me in se, et a me vicissim manducetur, ut sit in me, quatenus integra firmaque sit connexio, cum ego in eo et nihilominus in me ipse erit" (In cantic. serm. 71.).

25. Similiter theologi multi rem declarant: *S. Thomas* v. g. praeter ea, quae supra iam adducta sunt, haec alibi animadvertit: „Restat igitur, ut cum sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur; aliter tamen quam per sacramentum confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi; per hoc autem sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in seipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum" (S. th. 3. p. q. 79. a. 1. ad 1.). „Hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute caritatis. Unde Damascenus, lib. 4. orthod. fid. cap. 14. a med., comparat hoc sacramentum carboni, quem Isaias vidit, Is. 6. Carbo enim lignum simplex non est, sed unitum igni, ita et panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati. Sicut

autem Gregorius dicit in hom. Pentecostes (30. in Evang. parum a princ.): ‚amor Dei non est otiosus; magna enim operatur, si est.' Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud 2. Cor. 5, 14.: *Caritas Christi urget nos.* Et inde est, quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae, secundum illud cantic. 5. 1.: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi*" (Ibid. ad 2.). Pariter *Suarez* declarat: „Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae; atvero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore eius iuxta 1. Cor. 10. 17." (Disp. 63. sect. 1.).

3. p.: Reliqui ss. eucharistiae effectus recensentur et explicantur.

Diversi ss. eucharistiae effectus recensentur in *decreto* 26.
Eugenii IV. supra iam adducto; cum primarius eorum et proprius iam explicatus sit, solum restat, ut ceteri declarentur, qui cum illo cohaerent atque ex eo consequuntur vel quodammodo partes eiusdem constituunt. Itaque:

1. Sustentat, a malo retrahit, confortat in bono. — Etenim sicut cibus corporalis praeservat saltem ad tempus a morte naturali, ita ss. eucharistia a morte spirituali sive a peccato gravi praeservat; atque iterum sicut cibus corporalis confortat vitam naturalem, ita sacramentum altaris confortat in bono et roborat vitam spiritualem et supernaturalem. Quem effectum optime declarat *S. Thomas:* „Peccatum est quaedam spiritualis mors animae. Unde hoc modo praeservatur aliquis a peccato futuro, quo praeservatur corpus a morte futura, quod quidem fit dupliciter: uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, et sic praeservatur a morte per cibum et

medicinam; alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, et sic praeservatur per arma quibus munitur corpus. Uterque autem modo hoc sacramentum praeservat a peccato: nam primo quidem per hoc quod Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis tamquam spiritualis cibus et spiritualis medicina secundum illud ps. 103, 5: *Panis cor hominis confirmat.* Et Augustinus dicit super Ioan. tract. 26. a med.: ‚Securus accede; panis est, non venenum.' Alio modo in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt daemones, repellit omnem daemonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit super Ioan. hom. 45. a med.: ‚Ut leones flammam spirantes sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo'" (S. th. 3. p. q. 79. a. 6.).

27. Verum addi potest etiam tertius modus, quem *S. Thomas* commemorat ibidem ad 3.: „Licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia. in quantum auget caritatem, quia, sicut S. Augustinus dicit in l. 83 qq. q. 36. a princ., augmentum caritatis est diminutio cupiditatis. Directe autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam praeservatur homo a peccato." Si vero ita fomitis moderatio explicetur, ad primum modum tertius hic reducitur, sed dici potest. etiam directe magis fomitem ab eucharistia moderari. Nimirum eadem non solum in intellectum et voluntatem sed etiam in phantasiam et imaginationem ita influere posse videtur, ut effectui illi obtinendo conveniens est; vel etiam in ipsum corpus agere posse videtur sive modo supernaturali sive applicando causas naturales ad eundem effectum consequendum simili ratione, qua ex sententia theologorum extrema unctio ad sanitatem restituendam operatur. Sed haec. quamvis probabilia. minus tamen certa sunt, atque non de causalitate physica, sed de causalitate morali vel imperativa potius intelligi debent. Apposite *Suarez*: „Illud autem certius affirmari potest. ratione huius sacramenti conferri hanc fomitis moderationem per specialia Dei auxilia et extrinsecam providentiam seu gubernationem, per quae fit primum, ut in homine excitentur co-

gitationes et affectus ad eum finem valde accommodati; deinde ut tollantur omnes occasiones extrinsecae, quae pravos motus in homine movere possunt, et illae potius offerantur, quae omnem temperantiam et moderationem afferant" (Disp. 64. s. 1.).

28. ***2. Reparat vigorem spiritualem.*** — Etenim quemadmodum cibus corporalis reparat vires deperditas corporales, ita ss. eucharistia spirituales; atque imprimis id praestat liberando a peccatis venialibus. Rem explanat *S. Thomas* hoc modo: „In hoc sacramento duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum et res sacramenti. Et ex utroque apparet, quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandam id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiae per peccata venialia, quae diminuunt fervorem caritatis . . . Et ideo competit huic sacramento, ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit in lib. 5. de sacram. cap. 4 (implic.), quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis. Res autem huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est, quod per virtutem huius sacramenti remittuntur peccata venialia" (L. c. q. 79. a. 4.). Ut vero hic effectus obtineatur, in subiecto aliqua implicita saltem peccatorum commissorum displicentia necessario requiri videtur.

29. *Neque tamen eo sensu reparat ss. eucharistia, quatenus a poenis quoque peccatorum temporalibus directe liberet ex vi sacramenti; sed ab iisdem liberare potest indirecte excitando sc. caritatem.* Ita *S. Thomas:* „Si (eucharistia) igitur consideretur ut sacramentum, habet effectum dupliciter uno modo directe ex vi sacramenti: alio modo quasi ex quadam concomitantia . . . Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum

per unionem ad Christum, et ad membra eius, sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris" (Ibid. a. 5.). Profecto enim, debitum poenae temporalis atque minus etiam eiusdem poenae perpessio caritati hominis erga Deum non opponitur, quamvis ex altera parte homo per caritatem eiusdem poenae remissionem mereri vel obtinere queat. Reatus autem peccati venialis aliqua ratione caritati opponitur; quare docente S. Thoma, remissio peccatorum venialium quidem, non autem remissio poenae directus effectus sacramenti esse potest.

30. **3. *Delectat.*** — In hoc etiam effectu cibus iste supernaturalis et spiritualis cum cibo corporali convenit. Etenim quemadmodum lauta refectio hominem alioquin sanum reficit et delectat, ita etiam hic cibus coelestis per se natus est ad hominem spiritualiter reficiendum et delectandum; quod SS. Patres et Doctores non raro inculcant, ut v. g. *Cyprianus:* „Calix Dominicus sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto saeculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur et tristitia omnis exponitur, ita epotato sanguine Domini et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinae saecularis, et moestum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinae indulgentiae laetitia solvatur; quod tunc demum potest laetificare in ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur, Dominicam teneat veritatem" (Ep. 63.). *S. Thomas* vero adducto *Gregorii M.* dicto: „Amor Dei non est otiosus; magna enim operatur si est" haec subdit: „Et ideo per hoc sacramentum quantum est ex sui virtute non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum secundum illud 2. Cor. 5, 14. *Caritas Christi urget nos.* Et inde est, quod ex virtute huius sacramenti anima

spiritualiter reficitur per hoc, quod anima spiritualiter delectatur et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae secundum illud cantic. 5, 1: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini carissimi*" (S. th. 3. p. q. 79. a. 1. ad 2.). Et in *officio corporis Christi* eiusdem *S. Thomae* cibus eucharisticus dicitur „mel, panis suavissimus, panis omne delectamentum in se habens, adeps frumenti, calix inebrians, vinum quod laetificat cor hominis, poculum quod tristibus offertur in tristitiae remedium" et aliis similibus praedicatis eundem effectum exprimentibus insignitur.

31. *Porro hic effectus gaudii et delectationis oritur ex actuali amore;* etenim amor delectationem parit tum cum bonum amatum possidetur tum cum persona amata bona illa, quae ipsi desideramus, incommutabiliter possidere videtur; atque Christus in eucharistia amanti ut bonum possessum praesens est atque insuper omnia bona incommutabiliter possidet vel beatissimus est. — Neque tamen haec delectatio est tantum de Christo praesente, sed ad omnia extenditur, quae Christi sunt eiusque ecclesiae. Sicut enim cibus non tantum immediate et per se delectat, verum etiam dispositionem causat, qua facile cor a iucundis afficiatur, non facile autem ab ingratis perturbetur, ita etiam ss. eucharistia non tantum per se delectat animum, sed etiam eam ei affert dispositionem, in qua facile afficiatur ab omnibus obiectis laetitiam spiritualem afferentibus neque ab oppositis facile perturbetur.

32. *Verum, ita quis obiecerit, cur haec delectatio, si ex opere operato confertur, saepe non sentitur?* — *R.* Plures huius defectus causae exstare possunt. Et *primo* quidem ss. eucharistia eo maxime causa illius delectationis exstat, quod auxilia largitur ad actus fidei spei et caritatis eliciendos; si igitur homo cum his auxiliis non cooperetur vel tepide cooperetur, etiam delectatione respondente carebit. *Deinde* mens humana studio rerum terrenarum absorpta atque cor vanarum rerum amans inepta sunt, ad illos dilectionis erga Deum et Christum actus, ex quibus maxime delectatio spiritualis oritur. *Tertio* cum spectata hominis constitutione anima humana multipliciter a corpore pendeat.

etiam corporis indispositio vel morbus delectationi capiendae impedimentum opponere potest. *Denique* aliquando iste effectus probationis causa vel ob aliam sapientem rationem a Deo suspenditur et in aliud tempus opportunum reservatur, v. g. ad tempus, quo ad vitandum peccatum vel caritatem fervide exercendam utilis vel etiam necessarius est. Atque haec sufficere videntur, quibus effectus iste delectationis vel consolationis explicetur.

33. ***4. Etiam gloriae aeternae adeptio ss. eucharistiae effectus est.*** — Et *primo* quidem hunc effectum ss. eucharistiae adscribit *concilium Tridentinum:* „Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis“ (Sess. 13. c. 2.). Atque ibidem inferius hortatur et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri omnes, ut „haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.“ — *Praeterea* eundem profecto effectum ss. eucharistiae adscribunt verba ipsius Christi Salvatoris Ioan. 6, 50. 52. 55. 59., quibus illam participantibus promittit, eos non morituros, victuros in aeternum, aeternam vitam habituros esse. — *Deinde* frequentem huius eiusdem effectus mentionem faciunt SS. Patres. Sic *Chrysostomus* declarat: „Tibi ipsi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber, ideo coelos spero et bona illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, angelorum sortem, cum Christo consuetudinem“ (Hom. 24. in 1. Cor.). Et *Ambrosius:* „Panem illum (manna) qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt; ista autem esca, quam accipis, iste panis, qui de coelo descendit, vitae aeternae substantiam subministrat. et qui hunc manducaverit, non morietur in aeternum; et est corpus Christi . . . Illis (Iudaeis) aqua de petra fluxit,

tibi sanguis e Christo; illos ad horam satiavit, te sanguis diluit in aeternum" (De myst. c. 8.).

Denique confirmatur ratione theologica duplici. Nimirum 34.
primo cum cibus naturalis ad statum perfectum hominem perducere natus sit, cibus spiritualis ita ad augendam gratiam ordinari dicendus est, ut per se eandem perducat ad statum perfectum et consummatum per gloriam. Quare gloriae adeptio eucharistiae non quidem immediate, attamen in semine et radice tribuenda est tum titulo cum ceteris sacramentis communi, quatenus gratiam conferendo etiam donat ius ad gloriam, tum titulo speciali, quatenus in ratione cibi ad consummationem gratiae dandam ordinatur atque ideo speciale auxilium ad perseverandum in gratia largitur. — *Praeterea* idem consequitur ex ratione signi, quae ss. eucharistiae competit. Etenim speciali modo significat statum beatificum ad quem aspiramus. Idem scilicet, qui in coelis omni velamine remoto fruendum se nobis praebebit, sub specierum velamine in hoc sacramento se fruendum largitur. Unde *in festo corporis Christi* ecclesia precatur: „Fac nos divinitatis tuae sempiternae fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis perceptio praefigurat." Atqui haec specialis signi ratio eucharistiae competere nequit, quin speciali modo ad gloriae adeptionem ordinata esse necessario concipiatur. Similiter rem declarat *S. Thomas:* „In hoc sacramento potest considerari et id, ex quo habet effectum, scilicet ipse Christus contentus et passio eius repraesentata, et id per quod habet effectum, scilicet usus sacramenti et species eius. Et quantum ad utrumque competit huic sacramento quod causet adeptionem vitae aeternae. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae secundum illud Hebr. 9, 15.: *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem aeternae haereditatis.* Unde et in forma huius sacramenti dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti.* Similiter autem refectio cibi spiritualis et unitas significata per species panis et vini habentur quidem in praesenti, sed imperfecte, perfecte autem in statu gloriae. Unde Augustinus

dicit super illud Ioan. 6.: *Caro mea vere est cibus* tract. 26. in Ioan. aliquantum ante fin.: ‚Cum cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta'" (S. th. 3. p. q. 79. a. 2.).

35. ***5. Denique effectus ss. eucharistiae est etiam gloria et immortalitas corporis.*** — Imprimis hunc effectum ipse Christus ss. eucharistiae assignat: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Ioan. 6, 55). Eundem effectum frequenter SS. Patres praedicant. Audiatur v. g. *S. Irenaeus:* „Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et coelesti; sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia" (Adv. haer. l. 4. c. 18.). Similiter *Cyrillus A.:* „Fieri enim prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non superet ac vincat mortem. Proinde licet mors, quae per praevaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subiiciat, tamen quia Christus per suam ipsius carnem in nobis est, omnino resurgemus; incredibile enim est, imo vero impossibile ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. Quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus ut semen ignis servemus, sic etiam Dominus noster Iesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam, quae in nobis est, corruptionem abolet" (In Ioan. l. 4. c. 2.).

36. *Qua vero ratione gloria corporis sit specialis effectus ss. eucharistiae,* explicandum esse videtur hoc modo: Quod est causa conservationis et augmenti gratiae, id certe etiam causa est gloriae corporis et augmenti eius; nam gloria animae et gloria corporis in hoc ordine supernaturali saltem individuo nexu connectuntur et cum invicem commensurantur. Quare ss. eucharistia, quia conservat et auget gratiam, etiam

gloriae non solum animae sed etiam corporis causa exstat. Quod eo magis dicendum est, quia hic effectus etiam tamquam effectus eucharistiae a Deo intentus est. Neque tamen ss. eucharistia resurrectionem et gloriam corporis operatur aeque immediate ac gloriam animae, sed mediante hac et dependenter ab ea in illam influit; quia gloria corporis subordinata sane est saluti animae atque ab hac dependet. — Similiter *Cardinalis de Lugo*, qua ratione eucharistia specialiter influat in gloriam corporis, declarat: „*Primo* quatenus in ordine ad eum finem confert novum augmentum gratiae sanctificantis, quae auget etiam resurrectionem non in suo esse substantiali, sed in ratione resurrectionis gloriosae; siquidem quo maior est gratia et gloria animae, eo maior est etiam gloria corporis resurgentis, atque ideo crescit effectus in ea ratione, in qua est effectus eucharistiae; neque enim promittitur ratione huius sacramenti resurrectio nuda, quae communis est praedestinatis et reprobis, iustis et peccatoribus, sed resurrectio ad vitam gloriosam, qui effectus accipit magis et minus, et crescit reipsa, et non solum secundum titulum ratione huius sacramenti. *Secundo* confert ad eundem effectum, quatenus in ordine ad eundem finem resurrectionis gloriosae, quam intendit, confert maiorem etiam gratiam actualem auxiliorum, inspirationum, protectionis divinae, aliorumque huius generis plurium. Sicut enim confert eiusmodi auxilia in ordine ad perseverantiam, quam intendit, sic etiam in ordine ad gloriam corporis, quam similiter intendit ex sua institutione. Confert ergo eucharistia ad resurrectionem gloriosam corporis utroque modo, scilicet remote et proxime; remote quidem, quatenus confert auxilia, quae per debita media conducunt hominem ad consequendam corporis gloriam; proxime vero seu minus remote, quatenus post mortem hominis, eucharistia prius suscepta seu gratia sanctificans per eucharistiam acquisita et adhuc permanens exigit proxime resurrectionem illius corporis gloriosam, debitam illi sacramento" (Disp. 12. sect. 5.)

Corollaria.

37. ***1. SS. Eucharistiae non est adscribenda universalis causalitas, qua ad effectus omnium sacramentorum vel etiam ad cuiusvis gratiae collationem concurrat.*** — De sententia ista ss. eucharistiae universalem causalitatem tribuente merito notat *Suarez:* „A quibusdam specie falsae pietatis asseritur, nec probabilis est, nec ad dignitatem huius sacramenti vel devotionem, atque adeo neque ad pietatem quidquam confert" (Disp. 9. s. 1.). Certis vero rationibus eadem opinio excluditur:

38. 1) *Ratio prima.* — Universalis haec causalitas aut ex natura rei sive ex interna huius sacramenti indole consequitur aut ex positiva Christi ordinatione: atqui neutrum dici potest; ergo arbitrarie asseritur. Minor manifesta est quoad utramque partem. Et *primo quidem universalis causalitas non consequitur ex interna huius sacramenti indole;* etenim distinguendum sane est inter Christum in se spectatum et Christum, quatenus est in hoc sacramento: quamvis igitur Christus secundum se sit causa effectuum omnium sacramentorum et omnis gratiae, non tamen ideo etiam quatenus est in hoc sacramento vel per hoc sacramentum eandem causalitatem exercere intelligitur, nisi absurde asseratur omnem Christi existentiam et operationem ab existentia sacramentali pendere. *Praeterea* Christus in hoc sacramento tamquam cibus spiritualis et supernaturalis est; cibus autem vitam iam existentem vel inchoatam supponit non autem primo efficit: ergo non omnis vita supernaturalis vel non omnis gratia ab eucharistia procedit. — *Neque vero dici potest secundo, universalem eucharistiae causalitatem provenire ex positiva Christi ordinatione;* de hac enim universali causalitate nihil habet scriptura, nihil traditio; imo vero a traditione excluditur. Sane Concilia late declarant effectus huius sacramenti, universalis autem huius causalitatis ne mentionem quidem faciunt. Imo vero eandem implicite excludunt. Sic v. g. *Concilium Florentinum* de propriis diversorum sacramentorum effectibus agens atque explicite declarans, hoc sacramentum tamquam cibum supernaturalem conferre in vita spirituali

omnes effectus, quos confert cibus naturalis in vita animali, implicite excludit effectus generationis, unctionis, ordinationis aliosque diversorum sacramentorum; ergo gratis et arbitrarie et falso eiusmodi causalitas universalis ss. eucharistiae fingitur.

Excipi potest, effectum proprium ss. eucharistiae, cum 39.
ex doctrina conciliorum sit unio cum Christo, tamquam universalem continere in se omnes effectus particulares ceterorum sacramentorum vel etiam illum in his contineri ideoque eucharistiam ad omnes omnium sacramentorum effectus concurrere; qua ratione etiam consummatio et perfectio ceterorum esse videtur. — *R.* Unio cum Christo est effectus proprius ss. eucharistiae, quatenus per alia sacramenta iam inchoata vel reparata hoc sacramento conservatur, perficitur et consummatur: atque hinc est, quod cetera sacramenta ad ss. eucharistiam tamquam imperfectum ad perfectum referuntur, vel quod haec illorum finis, complementum, perfectio, consummatio dicitur. Cum his autem universalem illam eucharistiae causalitatem connexam non esse evidens est.

2) *Ratio altera.* — Causalitas universalis ss. eucha- 40.
ristiae conveniret aut quia Christus in effectus ceterorum sacramentorum influit, ut est sacramentaliter praesens in eucharistia; aut quia iidem effectus in subiecto pendent a futura eucharistiae manducatione. Atqui *primum manifesto falsum est*, etenim sequeretur, omnia sacramenta sine efficacia futura esse, si nulla existeret particula consecrata; haec autem consecutio phantastica et absurda est, cum sacramenta rite applicata vel suscepta infallibiliter ex opere operato suum effectum operentur. Neque dici potest, Christum saltem, si quidem alicubi sacramentaliter praesens est, concurrere sic praesentem ad effectus ceterorum sacramentorum; nam etiam hoc fictitium est neque proprie infert ipsius sacramenti eucharistici influxum verum et sacramentalem. — *Similiter alterum falsum est*, scilicet eucharistiam vel in se vel in voto sumptam ad effectus ceterorum sacramentorum cum iisdem efficiendos concurrere. Etenim, ut iam dictum est, omnia sacramenta dummodo rite applicentur vel suscipiantur, effectum suum infallibiliter ex opere operato producunt, atque inauditum prorsus

et fictitium est, cetera sacramenta tantum eatenus suum effectum producere, quatenus subiectum etiam eucharistiam suscipiat vel saltem eius suscipiendae votum habeat vel explicitum vel implicitum. Si hoc verum esset, homo morti proximus eucharistia recepta statuens se amplius s. communionem recepturum non esse, si confirmationem adhuc recipiat vel extremam unctionem effectu horum sacramentorum cariturus esset: vel dicendum foret, communionem prius receptam ad effectus horum sacramentorum concurrere. Quae omnia fictitia et phantastica sunt. Confirmatur, quia nullum praeceptum exstat ante vel post quodlibet sacramentum aliud suscipiendi ss. eucharistiam, quod in sententia reiecta mirandum sane esset.

41. 3) *Ratio tertia.* — Denique merito arguit *Suarez*, eandem opinionem „nihil pertinere ad pietatem vel ad conciliandam devotionem huic sacramento; nec in re datur maior obligatio suscipiendi illud; sed tota illa ponitur in quibusdam extrinsecis respectibus vel denominationibus, quae nihil ad mores pertinent neque ad dignitatem huius sacramenti nec fundamentum aliquod habent in institutione. Quocirca si vera esset haec causalitas, ut esset alicuius momenti, oporteret imprimis, ut quotiescunque sacramentum aliud esset operaturum, suscipienda necessario esset eucharistia; deinde ut deficiente alio sacramento, v. g. confirmationis vel extremae unctionis, eucharistia ut causa universalis posset supplere proprium effectum eius; denique ut ex hac virtute manaret ad nos vel semper vel aliquando aliqua maior utilitas aut aliquis fructus. Nihil autem horum conceditur huic sacramento propter hanc causalitatem universalem, quam habere dicitur. Est ergo solum in verbis, quae si vacua sint fructu, nihil possunt ad pietatem vel dignitatem sacramenti pertinere“ (D. 40. s. 1. n. 5.).

42. *Excipi potest*, eucharistiam aliquando a gravibus auctoribus dici universalem causam omnium gratiarum vel primarium fontem, qui omnium sacramentorum effectus in se contineat. — *R.* Universalis causa gratiarum ideo dici potest ss. eucharistia, quia omnis generis vel speciei gratias largitur, ut v. g. gratias intellectus et voluntatis, gratias ad

vitanda peccata, ad superandas tentationes, ad diversas virtutes exercendas etc. *Praeterea* primarius fons omnium effectuum ceterorum sacramentorum dici potest ratione eius quod continet, scilicet Christi, qui sane fons est omnium sacramentorum et omnium gratiarum. *Denique* idem dici etiam potest spectata eminentia finis vel effectus ss. eucharistiae. Apposite iterum *Suarez:* „Quapropter si in aliquo auctore gravi intendum legatur eucharistiam esse veluti primarium fontem, efficaciam omnium sacramentorum virtute continentem, id non est intelligendum per illam causalitatem universalem, sed per eminentiam quandam, quam in proprio et specifico effectu hoc divinum sacramentum habet in perficiendis quodammodo effectibus sacramentorum omnium. Baptismus enim nos in Christo regenerat eique facit similes; hoc vero sacramentum nutrit et consummat illam unionem, et speciali modo nos affigit Christo ut capiti nostro et parenti optimo. Paenitentia delet peccata post baptismum commissa; hoc vero sacramentum et interdum id facit, saltem per accidens, et illum effectum perficit eodem modo, quo effectum baptismi, et amplius purificat animam tollendo venialia, minuendo fomitem et praeservando a mortalibus. Confirmatio praebet robur fidei; hoc sacramentum etiam in hoc praebet auxilium et munit hominem, ut hostibus fidei et omnibus tentationibus resistat . . . Extrema unctio tollit reliquias peccatorum, et in difficili mortis transitu homini confert auxilium; hoc sacramentum, quatenus viaticum est, suum proprium subsidium in eo transitu praestat. Item dum generat virgines, et reverentiam ad Deum et amorem ad proximum conciliat, quodammodo confert et ad effectum et finem sacramenti ordinis, quo ministri Dei praeparantur, ut digne illi inserviant; et ad matrimonii perfectionem, quae in castitate coniugali et mutua benevolentia consistit. Haec ergo est generalis utilitas huius divini mysterii, propter quam merito dicitur consummatio sacramentorum omnium, non vero alia, quae verbis asseritur re tamen neque explicatur neque fundari potest“ (Ibid. n. 6.).

43. *Excipitur praeterea ex S. Thoma,* utpote qui haec habet: „hoc sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum sicut adulti, vel voto ecclesiae sicut parvuli . . . Unde ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quam spiritualiter vivificetur" (l. c. q. 79. a. 1. ad 1.). — Verumtamen S. Thomas his verbis nullo pacto opinioni reiectae patrocinatur, sed eius mens potius haec est: cum cetera sacramenta ordinentur ad ss. eucharistiam tamquam ad suum finem suamque consummationem recte tamquam inchoativa eiusdem ss. eucharistiae considerantur; quare gratia sacramentalis merito dici potest causari per eucharistiam vel in se vel in aliquo eiusdem inchoativo susceptam. Quod autem dicit gratiam non recipi nisi ex voto ipsius eucharistiae consequenter intelligit de voto improprie dicto. Nimirum cum eucharistia sit finis et consummatio ceterorum sacramentorum, quatenus eorundem effectus ultimo perficit; ideo cetera sacramenta eorumque effectus in eucharistiam eiusque effectum ordinem dicunt atque quodammodo tendunt; nam in quolibet inchoato et imperfecto est ordo quidam vel inclinatio ad absolutum et perfectum; quare eo ipso, quod aliquis cetera sacramenta suscipit, connaturali quasi pondere sacramenti suscepti in eucharistiam tendit et desiderio quodammodo vel voto eucharistiam manducat. Hanc esse mentem S. Thomae, cuilibet facile patebit, qui velit attente legere atque cum invicem comparare sequentes Summae theologicae articulos: 3. p. q. 65. a. 3. et 4.; q. 73. a. 3.: q. 79. a. 1 Cf. Stentrup, Soteriologia, th. 102.

44. ***2. Sumptio unius speciei tantum effectum habet, quantum sumptio utriusque.*** -- Communior theologorum sententia est, pari subiecti dispositione supposita aequalem gratiam conferri, sive alterutra sive utraque species sumitur. Ita docent v. g. Bonaventura (In 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 2.), Bellarminus (De eucharistia l. 4. c. 23.), Suarez (d. 33. s. 6. n. 9.). Sed oppositam sententiam etiam plures theologi graves tenent ut *Cardinalis de Lugo* (d. 12. s. 3.)

aliique. Nimirum secundum hunc theologum tum sumptio corporis tum sumptio calicis praeter communem effectum primarium annexum habet aliquem effectum secundarium et proprium, qui in alterius speciei sumptione non percipiatur. Si vero quaeratur, quinam sint illi effectus secundarii proprii et speciales cibi et potus spiritualis, idem Cardinalis rem ita declarat: „Respondeo aliquam differentiam agnosci ab ecclesia, licet in speciali non possimus omnes differentias comprehendere; ideo enim singulis speciebus tribuit suos proprios effectus in hymno corporis Christi: ‚Dedit fragilibus corporis ferrulum, dedit et tristibus sanguinis poculum', quasi dicat effectum cibi esse roborare fragiles iuxta illud Ps. 103.: *Et panis cor hominis confirmet*, effectum vero potus esse nutrire quidem . . ., laetificando tamen animum tristem iuxta illud eiusdem Psalmi: *Et vinum laetificet cor hominis.* Hinc enim est, quod aliquando effectus calicis appellatur in scriptura *inebriatio animae*, quia affert hilaritatem quandam, qua homo reddatur quodammodo insensibilis ad tribulationem, sicut ebrius redditur etiam naturaliter insensibilis" (L. c. n. 73.). Verumtamen haec doctrina minus probabilis esse videtur atque altera praeferenda est; quod aliquibus rationibus probandum est:

1) *Ratio prima.* — Duae species constituunt sacra- 45.
mentum formaliter unum, quia unam eandemque spiritualem refectionem simul significant. Scilicet una significat idem quod altera, ita ut in significato differentia nulla sit; verum una significat aliter ac altera, ita ut differentia tantum sit in modo significandi. Quare etiam utraque species idem significat quod una sola; verum etiam utraque simul aliter significat ac una sola; scilicet utraque simul significat idem expressius et totaliter, cum una sola idem minus expresse et minus totaliter significet. Atqui sacramenta quod significant etiam efficiunt. Ergo sumptio utriusque speciei non maiorem gratiam annexam habet, quam sumptio unius tantum.

2) *Ratio altera.* — Si aliam et aliam gratiam utraque 46.
species significaret et in sumente efficeret, unitas sacramenti eucharistiae ex eo tantum haberetur, quod ex diversis effec

tibus utriusque speciei una integra animae refectio constituitur. Atqui haec unitas effectus ad unitatem sacramenti non sufficit, quia secus etiam baptismus et confirmatio unum tantum integrum sacramentum dici possent, quia eorum effectus unam integram perfectionem christianam constituunt.

47. *Neque excipi potest ex sacramento ordinis*, quasi hoc sacramentum etiam spectato effectu suo ex pluribus partibus integralibus constituatur. Etenim unitas huius sacramenti habetur ex illo, quod est *sacramentum et res* atque praeclare a *S. Thoma* hoc modo declaratur: „Dicendum, quod divisio ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est quaedam participatio ipsius. Et ita est hic: tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit (Num. 11, 17.) Moysi: *Auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi.* Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum" (Supplem. q. 37. a. 1. ad 2.). Sane quidem plenitudo et plenitudinis participationes numerum non faciunt in linea plenitudinis; quare unum plenum sacramentum et plures eiusdem participationes diminutae non plura sed unum tantum sacramentum constituunt (cf. *Billot* th. 28. §. 3.).

48. 3) *Ratio tertia.* — In sententia opposita nullo pacto intelligitur, qua ratione et quo iure ecclesia potuerit laicos privare usu calicis. Etenim exstaret aliquis fons specialis gratiae, ut laetitiae spiritualis, a Christo institutus et omnibus oblatus in remedium tristitiae, a quo tamen fonte ecclesia omnes, qui sacerdotes non sunt, perpetuo arceret; atqui hoc ecclesia, fidelis sacrorum administra, facere nequit: ergo

49. *Excipi potest*, in nostra doctrina non apparere, cur utraque species in sacramentum instituta sit. — *R.* Id factum est primo, ut expressius et perfectius effectus sacramenti significetur; secundo vero et praesertim, quia celebratio ss. eucharistiae est verum N. L. sacrificium, in quo per distinctam specierum consecrationem Christus mystice mac-

tatur et vere sacrificatur, ita ut hoc sacrificium sit vera quaedam renovatio et obiectiva commemoratio vel repraesentatio sacrificii crucis. De qua re alibi uberius agitur.

Excipiunt secundo afferendo testimonia varia doctorum 50.
vel Patrum vel liturgiarum, quibus cuiuslibet speciei sumptioni speciales fructus adscribi videntur. — *R.* In illis testimoniis proprie non tractatur praesens quaestio; sed effectus ss. eucharistiae praedicantur atque alii et alii effectus virtualiter solum distincti alteri et alteri speciei appropriantur: i. e. determinati effectus huic speciei potius quam alteri adscribuntur propter maiorem eorum cum hac potius quam cum altera specie similitudinem vel convenientiam. Simili ratione alii et alii effectus sive naturales sive supernaturales alii et alii personae divinae appropriantur.

3. SS. eucharistia nullam unionem realem 51.
efficit inter corpus Christi et corpus subiecti recipientis. — Nonnulli quidem theologi eiusmodi unionem asseruerunt; alii autem plures negarunt, quia talis unio aliena sit a dignitate huius sanctissimi sacramenti, utpote quod totum ad spiritualem quidem, non autem ad corporalem unionem institutum sit. — Ut vero haec quaestio extra omnem ambiguitatem ponatur et rite solvi possit, imprimis *certum quoddam principium dogmaticum vel certa quaedam distinctio prae oculis habenda est*: Nimirum qui ss. sacramentum sumunt, vere et realiter per os suum Christum corporeum in se suscipiunt; quae sumptio sane corporalis est et recte dicitur. Hanc vero sumptionem plures Patres realem unionem corporis nostri cum Christi corpore vocaverunt. Eandem autem sumptionem vel unionem non esse effectum sacramenti manifestum est, cum sit ipsa sacramenti eiusdem applicatio vel susceptio, quae fidelibus digne et fructuose accedentibus communis est cum hominibus indigne et peccaminose adeoque sine fructu gratiae manducantibus. Sed praeter hanc propinquitatem vel hunc contactum inter corpus Christi et corpus subiecti suscipientis, qui mediis speciebus sacramentalibus constituitur atque inseparabilis est ab ipsa sumptione, *nulla alia intervenit unio physica et realis;* quod quidem certis rationibus demonstratur:

52. 1) *Ratio prima.* — Si efficeretur aliqua unio physica et realis inter corpus Christi et corpus subiecti recipientis, ea esset vel unio compositionis vel unio effectiva, quippe quae fiat per influxum alicuius effectus. Atqui *nulla unio efficitur per modum compositionis;* nam corpus Christi et corpus suscipientis neque unum hypostasi neque unum natura aut substantia neque unum continuatione aut mixtione fieri possunt. Quodcum evidens sit spectata unitate hypostasis et naturae vel substantiae necnon continuationis facile etiam intelligitur de unitate mixtionis; absonum profecto est concipere partes corporis Christi commisceri et confundi cum corporum nostrorum partibus. *Neque unio effectiva exstare potest inter corpus Christi et corpus suscipientis;* etenim primo eiusmodi unio effectiva fundaretur in actione physica praeternaturali vel miraculosa corporis Christi in corpus suscipientis, quae tamquam aequivalens creatio corpori Christi repugnat; praeterea efficientia eucharistiae, qua in corpus suscipientis influit, non necessario ad tempus restringitur, quo sacramentalis praesentia durat neque ad habitum permanentem sed ad auxilia actualia transeuntia referri videtur. Ergo.

53. 2) *Ratio altera.* — Si per ss. eucharistiam unio aliqua efficeretur physica et realis inter Christi et subiecti suscipientis corpora, eadem in sua duratione aut pendet a sacramentali Christi praesentia aut ab eadem non pendet. Si primum dicatur, repugnantia oritur cum SS. Patrum testimoniis, quibus unice vel maxime nituntur adversarii; nam SS. Patres de permanente et perpetua unione agunt, qualis est unio totius ecclesiae cum Christo capite atque unio inter Christi membra. Si vero alterum potius asseratur, profecto intelligi vel explicari nequit, qualis unio corporalis intercedere queat inter Christum in coelo degentem et subiectum suscipiens in terra degens; neque explicari vel intelligi potest, quaenam cessante praesentia sacramentali unio cum Christo in subiecto suscipiente esse adhuc queat specie diversa ab ea, quae ante sacramenti receptionem iam exstabat. Sane sententia adversa sine fundamento atque arbitrarie prorsus

aenigmata ponuntur insolubilia; quod divinationem quidem arbitrariam, non autem seriam scientiam theologicam sapit.

54. *Itaque nulla inter corpus Christi et subiecti recipientis corpus unio physica et realis admittenda est praeter propinquitatem et contactum, qui mediis speciebus sacramentalibus fit atque ipsa sumptione continetur.* Haec autem ipsa nequaquam fit immediate cum omnibus nostri corporis partibus, sed cum iis tantum, quas species sacramentales contingunt. Quare absurde fingitur, Christum sacramentaliter receptum quodammodo per totum corpus nostrum diffundi, ita ut eidem toti atque omnibus eiusdem partibus realiter uniatur atque se immisceat. Etenim in hac fictione aut Christus esset sacramentaliter praesens ibi, ubi species sacramentales non sunt, aut vero species sacramentales per totum corpus suscipientis diffunderentur et cum omnibus eius partibus compenetrarentur. Iamvero utraque haec positio absurda et temeraria est. Ergo.

55. Quaecum ita sint, praeter unionem ipsa sumptione contentam, *alia nulla est per ss. eucharistiam inter Christum et hominem suscipientem nisi unio spiritualis, quae supra declarata est. Nihilominus ratione unionis sacramentalis cum spirituali coniunctae Christus magis nobiscum uniitur, quam per sacramentalem solam vel spiritualem solam.* Nam si Christus digne recipitur, realiter cum recipiente coniungitur, cum vere et proprie intra ipsum ponatur et corporali quasi quodam complexu apprehendatur. Atque Christus, quamdiu sacramentaliter praesens est, tamdiu sacramentali virtute suscipientem excitat ad ferventem sui ipsius praesentis amorem et amplexum. Praeterea ex eadem corporali sumptione atque unione etiam cessante praesentia sacramentali manet moralis quaedam habitudo inter Christum et suscipientem: nam ratione illius contactus suscipiens speciali titulo quasi aliquid Christi esse censetur, atque Christus merito censetur specialem habere curam non tantum animae eius, sed etiam corporis, utpote quod susceptione ss. eucharistiae consecratum atque ad gloriam coelestem dicatum est. Haec vero habitudo in eo, qui indigne sacramentum sumit, sane non manet; quare eundem speciali modo cum Christo uniri vel Christum

in ipso manere et ipsum in Christo merito negatur. Denique haec unio, quae fundatur aliquo modo in corporali vinculo, auctore Suarez merito vocatur mystica (Cf. Stentrup th. 39.: Franzelin th. 19.).

Scholia.

56. ***1. Quando ss. eucharistia effectum suum producat?*** — *R.* Gratia habitualis vel eius augmentum confertur, quando primum manducatio facta est, quia manducatione hoc sacramentum applicatur. Probabiliter vero cum Suario et Cardinali de Lugo affirmari potest, effectum eundem augeri toto tempore inter sumptionem atque specierum corruptionem decurrente, si quidem et in quantum eodem tempore dispositio augeatur. Quod alterum imprimis de fructu actualis caritatis vel fervoris dicendum est; cum enim hic effectus dispositionem actualis recollectionis requirat, ex ipsa natura rei facilius percipi videtur tempore consequente sumptionem, quam in ipsa sumptione, qua mens suscipientis sacerdotis praesertim externa reverentia et caeremoniis peragendis actuali recollectioni se minus impendere potest. Generatim vero dici posse videtur, effectus huius sacramenti quoad mensuram suam vel magnitudinem magis quam eos aliorum sacramentorum pendere a cooperatione hominum; nam cum hoc sacramentum totum ad unionem Christi per caritatem augendam et perficiendam tendat, caritas vero liberis actibus absolvatur, profecto ex ipsa natura rei pro maiore et ferventiore hominis cooperatione effectus ille vel fructus maior erit; atque mirandum non est, quod, si mediocris vel manca est cooperatio, etiam fructus mediocris tantum vel mancus percipiatur. Cf. Suarez, disp. 63. s. 7.: Cardinalis de Lugo, d. 10. s. 2. n. 46.

57. ***3. Num ss. eucharistia, ut sacramentum est, aliis prosit, quam sumentibus?*** — Ad hanc quaestionem respondet *S. Thomas:* „Hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. In quantum enim in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, ut dicitur Eph. 5., habet rationem

sacrificii; in quantum vero in hoc sacramento traditur invisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic ergo hoc sacramentum sumentibus quidem prodest et per modum sacramenti et per modum sacrificii, quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in canone missae: ‚Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur.' — Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur. Unde in canone missae dicitur: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae.' Et utrumque modum proficiendi Dominus expressit dicens Matth. 26. et Luc. 22.: *Qui pro vobis,* scilicet sumentibus, *et pro multis,* scilicet aliis, *effundetur in remissionem peccatorum*" (L. c. q. 79. a. 6.)

58. *Itaque per se et ex opere operato ss. eucharistia non prodest aliis quam sumentibus.* Verumtamen *primo* prodesse potest aliis et quidem defunctis, quatenus s. communioni annexa esse potest et saepe est indulgentia plenaria, quae applicari possit animabus defunctorum. *Secundo* s. communio, utpote quae eximius actus religionis est, atque bonum opus egregia ratione, sicut alia quaelibet bona opera, Deo offerri potest pro aliis tamquam satisfactio ex opere operantis atque ita eisdem per modum suffragii proderit. Denique *tertio,* cum hoc sacramentum speciali modo efficax sit ad excitandum et fovendum fervorem caritatis, hominem suscipientem aptiorem reddit ad impetranda bona quaelibet a Deo etiam pro aliis; atque ea ratione s. communio aliis prodesse potest per modum impetrationis.

Articulus tertius.

De necessitate ss. eucharistiae.

Thesis 17. SS. eucharistiae sacramentum non est medium absolute necessarium ad salutem; pro adultis vero medium esse ad perseverandum diutius in gratia moraliter necessarium merito dicitur.

Declaratio.

1. *De necessitate medii.* — Ut tractatus de ss. eucharistia absolutus sit, adhuc agendum est de huius sacramenti necessitate. Porro duplex est necessitas: necessitas medii et necessitas praecepti. Cum vero medium ad salutem a theologis intelligatur res vel causa aliqua positive ad salutem conferens, necessitate medii ad salutem necessarium illud est, quod positive ad salutem conducit ita, ut sine eo salus obtineri nequeat, etsi inculpabiliter omittatur vel desit. — Praeceptum autem necessitatem vel obligationem moralem imponit, cuius violatio constituit peccatum, quod impedimentum salutis est. Ergo necessitate praecepti necessarium illud est, quod requiritur ad moralem obligationem implendam, vel quod ad peccatum vitandum necessarium est. Quod igitur necessarium est necessitate praecepti tantum, si inculpabiliter omittatur, a salute consequenda non impedit; etenim omissio eius, quod praeceptum est, eatenus tantum impedit, quatenus ut peccatum obicem salutis ponit; quando autem ommissio est inculpabilis, praecise peccatum non constituit. — Quaecum ita sint, iam illico intelligitur, quodcunque est medium necessarium ad salutem, esse etiam necessarium necessitate praecepti divini; nam cum Deus infinite sapiens salutem supernaturalem tamquam finem hominibus rationalibus et liberis praestituerit, profecto non potuit eos non obligare ad media necessaria adhibenda. — Denique ad necessitatem medii penitus intelligendam unum adhuc notandum est. Nimirum quod necessarium est necessitate medii, aliquando ex benigna Dei voluntante per votum (i. e. voluntatem) eiusdem sive explicitum sive implicitum suppleri

potest. Eiusmodi votum in omni actu amoris Dei sive contritionis continetur; nam qui Deum super omnia amat vel peccatum super omnia odit, certe etiam voluntatem habet implendi omnia praecepta divina necnon omnia salutis media adhibendi. Iamvero eiusmodi votum, si caritati vel contritioni perfectae innititur, a Deo v. g. pro reali susceptione sacramentorum baptismi et poenitentiae acceptatur, quatenus eiusmodi votum caritate vel contritione perfecta informatum intestinum ordinem dicit ad ipsa illa media salutis reipsa suscipienda, adeoque hac ratione Deus voluntatem pro facto reputat. In tali igitur casu caritas vel contritio hominem non iustificat, nisi quatenus annexum vel implicitum habet votum ipsius medii necessarii in se adhibendi. Si quemadmodum baptismus et poenitentia necessaria media sunt ad iustificationem accipiendam vel recuperandam, ita ss. eucharistia esset medium necessarium ad gratiam conservandam, votum eiusdem ad hunc effectum sufficiens, ut videtur, dicendum foret contineri non tantum in caritate vel contritione perfecta, verum etiam in caritate vel contritione imperfecta coniuncta cum susceptione alicuius sacramenti mortuorum.

2. Cum his, quantum satis est, tum medii tum praecepti necessitas explicata sit, necessitate praecepti ss. eucharistiae ad theologiam moralem amandata, hoc loco solum ostendendum est, eidem sacramento nullam competere necessitatem medii proprie dictam vel talem, qualis modo descripta est.

Demonstratio.

3. Tota demonstratio vel rei explicatio ad tres partes vel assertiones revocari potest:

1. Ipsa realis susceptio ss. eucharistiae non est necessaria necessitate medii. — Quae assertio non ex una tantum ratione manifesto probatur:

1) *Ex ipsa rei natura.* — Nimirum eucharistia neque necessaria est ad inducendam gratiam neque ad eandem conservandam; erga nequaquam necessaria est necessitate medii. Et *primo quidem non est necessaria ad gratiam inducendam,* quia ad hunc effectum nequaquam instituta est, sed eundem

potius supponit, cum rationem refectionis spiritualis ipsam vitam supponentis habeat. Sed *secundo neque ad gratiam conservandam absolute necessaria est.* Etenim fieri profecto facile potest, ut aliquis brevi post iustificationem acceptam tempore moriatur eucharistia non suscepta gratia autem conservata. Quo in casu sane salvatur, etsi ipsius sacramenti eucharistiae particeps non fuerit. *Praetèrea,* quamvis ss. eucharistia medium ad perseverandum efficacissimum sit, non tamen medium unicum vel absolute necessarium est ad hunc effectum obtinendum; nulla enim ratione sustineri potest, alia praeter eucharistiam media, ut alia sacramenta v. g. poenitentiae, extremae unctionis, atque orationes et pia opera ad eundem effectum non valere vel non concurrere. Ergo.

4. 2) *Ex constanti ecclesiae doctrina.* — Nimirum indubia semper ecclesiae doctrina fuit, infantes baptizatos ante usum rationis adeptum morientes ad salutem pervenire, etsi eucharistiam non susceperint. Quare *Concilium Tridentinum* declarat: „parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est“ (Sess. 21. c. 4.). Idem concilium definivit: „Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem: anathema sit“ (Ibid. can. 4.). Iamvero evidens est, a salutis medio absolute necessario ne ipsos quidem infantes dispensari posse, si quidem eiusdem capaces sunt; quod patet v. g. baptismo considerato.

5. *Praetèrea* ecclesia aliis sacramentis praetermissis sola sacramenta baptismi et poenitentiae media esse ad salutem prorsus necessaria expressis verbis declaravit, ut v. g. in Concilio Tridentino (sess. 7. de baptismo can. 5.; sess. 14. can. 9.), ss. eucharistiae autem solam necessitatem praecepti

tribuit (sess. 13. can. 9.). Cum autem de aliis praeter baptismum et poenitentiam sacramentis nullam medii necessitatem statuerit, cetera omnia etiam ipsa eucharistia inclusa eiusmodi media ad salutem prorsus necessaria reputari nequeunt: secus enim ecclesia infallibilis fidei custos et provida mediorum salutis administra hac de re fideles certissime monuisset. Ergo.

6 **2. *Neque votum saltem suscipiendi ss. eucharistiae sacramentum necessarium est necessitate medii stricte tali.*** — Quae assertio pariter certis rationibus demonstratur:

1) *Per modum corollarii ex priore assertione.* — Etenim cum ipsa realis susceptio eucharistiae non sit necessaria necessitate medii, neque votum eiusdem necessarium esse potest; tota enim voti necessitas ex necessitate ipsius rei provenit; quare votum necessarium esse nequit nisi in quantum supplet rem necessariam; cum igitur ipsa res non sit necessaria necessitate medii, neque votum eiusdem talem necessitatem habere potest.

7 2) *Ex eo, quod etiam ceteris sacramentis propria omnino efficacia competit.* — Nimirum si eucharistia saltem voto suscepta ad salutem necessaria esset necessitate medii cetera sacramenta atque media ad gratiam assequendam et conservandam huius effectus efficacia non essent, nisi quatenus votum sive implicitum sive explicitum continerent suscipiendi eucharistiam. Atqui hoc absurdum est, cum ceteris sacramentis et salutis mediis propria efficacia vel causalitas spectata gratia vel salute certissime competat; nam ss. eucharistiam tamquam causam universalem ad omnes omnium sacramentorum et mediorum gratiae effectus concurrere, phantasticum figmentum est, ut ex corollario primo praecedentis thesis iam patet. Ergo.

8 **3. *SS. eucharistia vero pro adultis medium moraliter necessarium dici potest ad gratiam conservandam.*** — Videlicet eo sensu haec assertio accipienda est, ut homo, qui propria et libera voluntate diu a receptione huius sacramenti abstineat, vix ac ne vix quidem

a gravibus peccatis diu immunis futurus sit. Qua ratione intellecta assertio facile certa esse atque ex natura rei patere videtur. Etenim cum hoc sacramentum ex ipsa sua institutione speciali modo rationem cibi spiritualis habeat, quo homo iuvetur et roboretur ad vitam gratiae spiritualem contra mortem peccati defendendam, conservandam et in perfectam cum Christo unionem explicandam; certissime efficacissimum medium reputandum est ad gratiae vitam conservandam; quare homo, ad peccandum valde proclivis, temere tantum sibi promittere posset, se peccatum quodvis grave per longum tempus vitaturum esse, siquidem praestantissimum a Deo datum medium levi animo sperneret vel negligeret. Ita saltem secundum ea, quae communiter contingunt, sane iudicandum est. Apposite etiam Suarez declarat: „posse hoc sacramentum quodammodo seu moraliter dici necessarium ad perseverandum in gratia, i. e. valde utile et efficax, adeo, ut dicere possimus, eum, qui voluntarie diu abstinet ab huius sacramenti perceptione, vix posse moraliter diu perseverare in gratia sine novo peccato mortali“ (D. 40. s. 2. n. 16.).

Corollarium.

9. ***Absurda est doctrina a Rosmini conficta.*** — Ex doctrina proposita facile intelligitur absurdi figmenti instar esse, quod de necessitate eucharistiae docuit Rosmini. Continetur haec doctrina in propositione 32. illarum, quas ex illius auctoris operibus collegit atque damnavit *S. R. U. Inquisitio approbante Leone XIII.*: „Quoniam, qui non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non habet vitam in se, et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam; dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita in ipso mortis instanti. Hinc etiam sanctis Veteris testamenti potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei“ (Cf. D. E. n. 1922.).

Scholia.

1. Quaestio aliqua incidens resolvitur. — 10.
Quaestio hic incidere potest, ob quam rationem ss. eucharistia, licet ceteris sacramentis sit nobilior, non tamen aequalis vel maioris necessitatis sit, quam cetera omnia, imo sub ea ratione plura alia sacramenta, baptismum scilicet et poenitentiam ne adaequet quidem. — *R.* Ratio cum *Suario* ex ipsa eius perfectione et excellentia petenda est: „Ratio ergo propria ob quam sacramentum hoc, quamvis sit perfectissimum, non est medium simpliciter necessarium, non aliunde quam ex ipsamet perfectione et excellentia eius petenda est: nam quo est nobilius, eo magis accedit ad rationem finis, et deficit a ratione medii necessarii; sicut perfecta caritas melior est, quam inchoata, non tamen ita est ad salutem necessaria; vel certe gloria ipsa melior est, quam gratia, non tamen est in ratione medii ita necessaria sicut gratia, quamvis intentio et desiderium consequendi gloriam sit necessarium; et ita hoc sacramentum, cum sit finis omnium, non oportuit esse necessarium medium, quamvis desiderium eius dici possit necessarium vel ratione rei contentae, id est: desiderium Christi; vel si proprie sit sermo de sacramento solum ratione praecepti erit necessarium propositum sumptionis eius, sicut propositum servandi alia praecepta“ (D. 40. s. 2. n. 17.). Cum qua ratione cohaeret haec altera: Cum ss. eucharistiae sacramentum nobilissimum sit, sane conveniens erat, ut in subiecto suo primam gratiam non produceret sed supponeret ideoque esset sacramentum non mortuorum sed vivorum. Quae cum ita sint, idem sacramentum non potuit esse medium necessarium ad primam gratiam neque eo ipso medium simpliciter necessarium ad salutem. Nam gratia prima, quam supponit, ex se sufficiens causa gloriae est atque insuper etiam conservari et resistere contra tentationes imo etiam crescere potest, dummodo auxilia divina non deficiant; haec vero, deficiente usu eucharistiae, non necessario deficiunt, ut probatum est.

2. Obiectiones quaedam solvuntur. — Speciosa 11.
quidem argumenta quaedam contra doctrinam propositam

fieri possunt, quae tamen re accuratius inspecta satis commode solvuntur:

1) *Christus ipse iisdem fere verbis: ‚Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis‘ (Ioan. 6, 54.) necessitatem eucharistiae inculcavit, quibus declaravit baptismi necessitatem: ‚Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei‘ (Ioan. 3, 5.); atqui necessitas baptismi necessitas medii est; ergo eadem necessitas ss. eucharistiae tribuenda est. — R. n.* paritatem. Nimirum *primo* cum verba Christi obiecta ex sese quamlibet necessitatem, sc. vel necessitatem medii stricte dictam vel praecepti rigorosi necessitatem vel forte etiam necessitatem medii late dictam exprimere possint, ex materia subiecta eruendum est, quam ex illis tribus necessitatem intellexerit; iamvero cum de cibo spirituali agatur, cui proprium est vitam non primo dare, sed vitam iam exstantem nutrire ac perficere, illico consequitur, verba Christi intelligenda esse non de necessitate absoluta medii, sed de necessitate praecepti vel necessitate medii morali seu late dicta ad vitae supernaturalis progressum, consummationem vel etiam conservationem. Quaecum ita sint, nulla est similitudo inter haec Christi verba et alia illa de baptismi necessitate. — *Secundo* etiam illud, quod cohaeret cum dictis considerandum est, primam scilicet intentionem Christi in illa oratione non fuisse determinare necessitatem eucharistiae, sed potius veritatem eiusdem proponere et urgere; quare generatim potuit asserere necessitatem eiusdem, quin huius necessitatis modum vel gradum determinaret. — Unde *tertio* mirum non est neque ineptum, quod multi theologi verba Christi obiecta primario de sola necessitate praecepti intelligunt. Optime autem iisdem verbis satisfieri videtur, si de necessitate latiori supra dicta adiuncta necessitate praecepti intelligantur.

12. 2) *SS. Patres plures et maxime S. Augustinus praecise verbis Christi insistentes aperte asserunt, ipsos „parvulos nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.“ Ita S. Augustinus (c. Iulian. l. 1. c. 4.*

n. 13.; contra duas epist. Pelag. l. 2. c. 4.; Epist. 186. n. 28.); S. Innocentius I. (Epist. 30. ad Patres milev. n. 5.); S. Gelasius I. (Epist. 7. ad episcopos in Piceno) aliique. Ergo SS. Patres ss. eucharistiae non moralem tantum, sed absolutam necessitatem medii tribuerunt. — R. primo iidem SS. Patres alibi disertis verbis atque sine ulla restrictione vel limitatione docent, infantes per baptismum perfectam remissionem peccati originalis obtinere, sanctificari, fieri haeredes vitae aeternae et similia; quare locis obiectis de absoluta eucharistiae necessitate medii intelligi nequeunt. — Quare *secundo* ad genuinum eorum sensum inveniendum imprimis occasio et adiuncta consideranda sunt, in quibus rationem loquendi obiectam adhibuerunt. Nimirum eandem maxime adhibuerunt disputantes cum Pelagianis, qui distinctione facta inter vitam aeternam et regnum coelorum illam quidem infantibus sine baptismo morientibus concesserunt, hoc autem nitentes in verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3, 5.) iisdem infantibus denegarunt. Quam ineptam distinctionem SS. Patres confutarunt ex verbis Christi Ioan. 6, 54. Cum enim ex his verbis constet, vitam aeternam fructum esse ss. eucharistiae ideoque gratiae Redemptoris deberi, profecto etiam consequitur, infantes sine baptismo et consequenter sine eucharistia morientes non tantum a regno coelorum sed etiam a vita aeterna exclusos iri. *Praeterea* cum res per eucharistiam significata et effecta sit unio cum Christo spiritualis, ipsa haec unio per figuram metonymiae a SS. Patribus nominatur manducatio corporis et potio sanguinis Christi, ut v. g. ab ipso Augustino: „Hunc cibum et potum Christus societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum . . . hoc est manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere" (In Ioan. tract. 26. n. 15. 18.). Quare SS. Patres nihil aliud intelligunt nisi hanc manducationem spiritualem, quae in unione cum Christo continetur, quando etiam pro infantibus absolutam necessitatem manducandi carnem Christi inculcant. Haec enim cum Christo unio, cum iam per baptismum,

quantum necesse est ad salutem, obtineatur, eminente tamen ratione promovetur et perficitur per ss. eucharistiam, quae aetate Patrum etiam infantibus simul cum baptismo administrabatur. Quae cum ita sint, SS. Patres facile intelliguntur verbis Christi Ioan. 6, 54. uti potuisse ad absolutam illius cum Christo unionis necessitatem demonstrandam vel inculcandam, praesertim quando controversia cum Pelagianis agebatur.

13. *Revera autem hanc fuisse SS. Patrum mentem, ex ipsorum testimoniis constat.* Audiatur v. g. *S. Augustinus* ita mentem suam declarans: „Si ambigui aliquid habent verba apostolica, quibus dicit: *per unum hominem peccatum intravit in mundum etc.* (Rom. 5, 12.), numquid et illud ambiguum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3, 5.) . . . Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem eius, hoc est participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam? His atque huiusmodi aliis testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse; sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur?“ (De peccat. mer. et remiss. l. 3. c. 4. n. 8.). Similiter *S. Innocentius I.:* „Illud vero, quod eos (Pelagianos) vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cessare, cum praedicant, hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum“ (L. c.). Idem igitur est manducare carnem Christi ac baptismi gratia ornari, quia scilicet pro sacramento ipso sumitur res vel effectus eiusdem, nimirum unio cum Christo per gratiam.

14 *Denique etiam S. Fulgentius testis est, interpretationem SS. Patrum propositam sinceram et veram esse.* Etenim Fer-

rando diacono quaerenti, num iuvenis aethiops paulo ante mortem baptizatus quidem, sed eucharistia non refectus salvari potuerit, sic respondet: „Nullus debet moveri fidelium in illis, qui, etsi legitime sana mente baptizantur, praeveniente velocius morte, carnem Domini manducare et sanguinem bibere non sinuntur, propter illam videlicet sententiam Salvatoris, qua dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Quod quisquis non solum secundum veritatis mysteria (i. e. secundum realem manducationem sacramentalem), sed secundum mysterii veritatem (i. e. secundum rem per sacramentum significatam et effectam, scilicet unionem cum Christo) considerare poterit, in ipso lavacro sanctae regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Iesu Christi fiant et ad compagem corporis eius ecclesiastica unitate pertineant? . . . Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit, quod ipse fit? quando utique illius fit verum corporis membrum, cuius corporis est in sacrificio sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris." Denique postquam hanc doctrinam Patrum auctoritate confirmavit, ita concludit: „Arbitror, disputationem nostram praeclari Doctoris Augustini sermone firmatam nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat" (Epist. 12. ad Ferrand.).

Atque his obiectio ex SS. Patrum in verba Ioan. 6, 2. 15. commentatione facta satis superque soluta est. *Similiter autem alia eorundem Patrum, quae aliquando obiiciuntur, testimonia intelligenda sunt;* v. g. ss. eucharistiam non raro necessariam dicunt ratione rei contentae, utpote quae est Christus, vel rei significatae et effectae, quae est unio cum Christo. Apposite *Suarez:* „Patres loquentes de hoc sacra-

mento saepe faciunt transitum a Christo ad hoc sacramentum, et ab unione cum Christo ad eucharistiam, et e converso, quia Christus in hoc sacramento vere et realiter continetur. Unde quia coniunctio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, et similiter, quia omnis gratia a Christo necessario manare debet, ideo dicunt, hoc sacramentum esse necessarium quoad rem, quam efficit" (L. c.).

16. 3) *Eugenio IV. auctore hoc sacramentum proportione servata animae in ordine spirituali et supernaturali ea praestat omnia, quae corpori praestat in ordine naturali cibus materialis; atqui cibus materialis simpliciter necessarius est ad conservandam vitam corporalem; ergo ad conservandam vitam supernaturalem simpliciter necessarium est ss. eucharistiae sacramentum.* — *R.* SS. Eucharistia est quidem cibus vitae supernaturalis isque efficacissimus, sed unicus non est, cum praeter ipsam etiam bona opera, preces, et alia sacramenta rationem cibi spiritualis participent et ad vitam supernaturalem conservandam et nutriendam conferant. Quare cibus eucharisticus non absolute, sed relative tantum vel moraliter necessarius est ad conservandam et nutriendam vitam supernaturalem.

17. ***3. De communione sub utraque vel una tantum specie.*** — SS. eucharistiam sub utraque specie ab omnibus fidelibus aliquando saltem sumendam esse contenderunt Utraquistae seu Calixtini; imprimis Ioannes Wicleff et Ioannes Huss hunc errorem acriter propugnaverunt. Quos secuti sunt saeculo 16. Lutherus et Calvinus aliique novatores. Insuper cum his haereticis consenserunt Graeci schismatici recentiores, ut patet v. g. ex responsione Patriarchae Ieremiae ad Tübingenses c. 16. — Econtra ecclesia catholica tum in concilio Constantiensi contra Wicleff et Huss tum in concilio Tridentino contra Deformatores saeculi 16. eam doctrinam tamquam errorem haereticum damnavit. — Cum vero haec quaestio nunc temporis iam non tantum quantum antea momentum habeat, breviter eandem expedire praestat summatim demonstrando *nullum pro christianis sacrificium eucharisticum non offerentibus exstare necessitatem, ut aliquando*

saltem ss. eucharistiam sub utraque specie sumant, ideoque ecclesiam iure suo iisdem calicis usum interdixisse; quod facile praestatur:

1) *Haec necessitas non derivatur ex ipsa ss. sacramenti* 18.
natura seu indole interna. — Profecto eiusmodi necessitas non provenit ex re sub speciebus contenta et in s. communione sumpta, quia scilicet sub utraque specie totus Christus continetur et sumitur. — Neque vero ex significatione vel efficientia gratiae eadem necessitas prodit. Nam, ut supra demonstratum est, utraque species non alium et alium effectum gratiae quam alterutra, sed eundem tantum aliter et aliter i. e. expressius vel minus expresse significat; quare, cum sacramenta significando causent vel certe id efficiant quod significant, etiam efficientia gratiae eadem manet sive una sive utraque species sumitur. Si vero ex sententia aliquorum theologorum sumptio utriusque speciei uberiorem gratiam significet et conferat, uberior tamen hic effectus ad salutem necessarius non est nec ulla necessitas exstat, ut totum semper eucharistiae effectum recipiamus. — Quare ex natura rei nulla necessitas oritur sumendi eucharistiam sub utraque specie.

2) *Neque ex s. scriptura illa necessitas demonstratur.* 19.
— Et *primo* quidem immerito haeretici ad verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis* provocaverunt. Etenim *primo* Christus ibi non de modo sumptionis agit, sed efficaciam et necessitatem eucharistiae contra incredulos Capharnaitas inculcat. *Praeterea* in eodem sermone Christus soli manducatione carnis suae vitam aeternam promittit. unde *Concilium Tridentinum* argumentatur: „Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,* dixit etiam: *Panis, quem ego dabo. caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me*

manet et ego in illo, dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*" (Sess. 21.). — Deinde verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19.) solos Apostolos eorumque successores respiciunt, quatenus tamquam sacerdotes ss. eucharistiam conficiunt atque sacrificium offerunt. — Similiter alia Christi verba: *Bibite ex eo omnes* (Matth. 26, 27.) iterum solos Apostolos spectant, qui reipsa *biberunt ex eo omnes*, ut refert Marcus. Scilicet calix consecratus inter eos distribuendus erat. — Denique pari ratione verba: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem* (1. Cor. 11, 25) ad Apostolos eorumque successores diriguntur. Vel etiam addi potest, his verbis unumquemque hominem calicem Domini participantem moneri, hoc ipsum fieri debere in memoriam Dominicae passionis. Insuper Apostolus (v. 27.) eum qui (disiunctive) sub alterutra specie indigne communicet, corporis et sanguinis (copulative) Domini reum esse declarat, qua ratione loquendi satis innuit, unam speciem sine altera sumi posse.

20. 3) *Neque ullo modo illa necessitas ex doctrina vel praxi traditionis colligitur.* — Etenim quamvis sumptio utriusque speciei usque ad saeculum 12. in usu esset, nihilominus iam in antiqua ecclesia ss. eucharistia haud raro sub una tantum specie sumpta est; quod ex multis documentis constat: Et *primo* quidem primis ecclesiae saeculis fideles eucharistiam sub una specie domum deferebant ibique summo mane sumebant. De qua re testantur v. g. Tertullianus (Ad uxor. l. 2. c. 5.), S. Cyprianus (De lapsis n. 26.), S. Basilius (Ep. 93. ad Caesariam). — *Secundo* praesertim infirmi decumbentes sola specie panis refici solebant. ut constat exemplis ab Eusebio (Hist. eccl. l. 6. c. 44.), Paulino (Vita S. Ambrosii n. 47.) aliisque ab aliis relatis. Huc etiam spectat, quod Synodus Toletana V. (675) can 11 permittit, ut aegrotis oris siccitate affectis pro specie panis calix consecratus porrigatur. — Item *tertio* infantibus statim post baptismum sola species vini dari solebat, ut testatur S. Cyprianus (De laps. n. 25.); atque hunc morem etiam hodiedum Graeci observant (cf. Leo Allat., Adnotationes de communione

Orientalium). — Sed *quarto* etiam in publica communione laicos saepe unam tantum panis speciem sumpsisse, elucet ex dolo quodam a Manichaeis adhibito, quem notat *S. Leo Magnus:* „Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinent. Quod ideo vestrae notum facimus sanctitati, ut vobis huiuscemodi homines et his manifestentur iudiciis, et quorum deprehensa fuerit simulatio, a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur" (Serm. 4. de Quadrag.). Certe enim Manichaei non potuissent ullam spem habere latendi a sumptione sanguinis semper abstinentes neque Leo M. eos observare iussisset rationabiliter, si communio sub utravis specie omnibus praescripta et in communi usu fuisset. Idem de publica communione etiam intelligitur ex historiuncula quadam, quam refert Sozomenus (Hist. eccl. l. 8. c. 5.). Etiam abstemii sub una specie panis communicabant, ut testatur Hieronymus (Ep. 22. ad Eustochium). — *Quinto* huc spectat etiam missa praesanctificatorum, in qua semper una tantum species tum a celebrante tum ab adstantibus sumebatur; ecclesia enim contra praeceptum divinum sumptionem unius speciei nunquam permisisset. Huius autem missae usum ad ipsam ecclesiae antiquitatem ascendere certo constat v. g. ex *ordine Romano* (M. 78, 954.) et *euchologiis* Graecorum (cf. Goar p. 180.; Zaccaria, thesaurus theol. t. 10 opusc. 19.). — Denique *sexto* etiam apud sectas orientales communionem sub una specie viguisse, multis testimoniis patet (cf. Denzinger, Ritus orientales I, 71. ss.).

Atque his luculenter constat, haereticorum sententiam 21.
de necessitate communionis sub utraque specie neque traditione ullo pacto commendari, sed potius excludi (cf. Stentrup. th. 46.). Quare ecclesia eandem decretis Concilii Constantiensis sess. 13. Basiliensis sess. 30., maxime vero Tridentini reiecit et sollemniter damnavit. *Sacra Synodus Tridentina* ita decrevit: „Sancta ipsa Synodus a Spiritu Sancto, qui spi-

ritus sapientiae est et intellectus, spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat" (Sess. 21. cap. 1). „Si quis dixerit ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumi debere, anathema sit" (Can. 1.).

22. 4) *Ecclesia igitur iure suo usa est necnon, ut ex variis rationibus facile intelligitur, sapienter egit, quando laicis et clericis non conficientibus usum calicis interdixit.* — Quam assertionem praesertim quod ius ecclesiae attinet, ipsum *Concilium Tridentinum* ita declarat ac vindicat: „(Sancta Synodus) praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1. Cor. 4, 1.) atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius usum: *Cetera*, inquit, *cum venero, disponam.* (1. Cor. 11, 34.). Quare agnoscens sancta mater ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet" (Sess. 21. cap. 2.). „Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non confici-

entes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit" (Can. 2.).

23. *Graves autem et iustae causae, ob quas ecclesia hanc legem tulit, facile profecto intelliguntur;* erant scilicet: *primo* periculum irreverentiae in ss. sacramentum; *secundo* deficientia vini in multis regionibus necnon fidelium paupertas; *tertio* nausea multorum circa vinum gustandum vel eundem cum aliis calicem gustandum; *quarto* haereticorum pertinacia et protervia convellenda; scilicet cum negarem, sub utraque specie totum Christum contineri, huius erroris ipsa praxis ecclesiae perpetua confutatio est (cf. Catechismus Tridentinus p. 2. c. 4. n. 66; Lainez, oratio in Concilio Tridentino habita in Zeitschrift für katholische Theologie 1881. 1882.; Stentrup th. 46. 47. 48.).

24. *Nota:* Atque his tractatus dogmaticus de ss. eucharistiae sacramento absolutus est; aliae enim quaestiones, quae hinc inde ab aliis auctoribus tractantur, ad theologiam moralem potius spectant. Ex omnibus autem, quae tractata sunt, abunde patet, quanta sit et quam incomprehensibilis huius divini mysterii etiam prae ceteris sacramentis excellentia et sublimitas. Ceterum de hac re iam dictum est tum in prooemio huius tractatus tum in tractatu de sacramentis in genere th. 27. n. 37. ss. Quare finem tractatui iam imponere iuvat versibus S. Thomae:

Quantum potes, tantum aude.
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

Index Thesium.

De SS. Eucharistia.

Prooemium.

Pagina

1. Notio ss. eucharistiae et diversa eius nomina 3
2. Finis huius sacramenti 5
3. Fons atque radix eiusdem 6
4. Sanctissimae eucharistiae excellentia 8
5. Tempus institutionis eiusdem 9
6. Typi ss. eucharistiam in V. L. praefigurantes 10
7. Summa doctrinae catholicae; tractatus divisio 12

Quaestio prima.

De reali praesentia.

Articulus primus.

De ipsa realis praesentiae veritate.

Thesis 1. Realis praesentia demonstratur ex verbis promissionis 14

Declaratio: 1. Argumentum et divisio quaestionis primae 14
2. Errores veritati realis praesentiae oppositi . . . 15
3. Doctrina catholica 18
4. De oratione Christi eucharistica apud Ioan. c. 6. . 19

Demonstratio: 1. Probatur ex verbis in se inspectis 26
2. Ex repugnantia sensus metaphorici 28
3. Ex adiunctis sermonis Christi 31

Scholia: 1. Obiectiones solvuntur 37
2. De SS. Patrum interpretatione 41

Thesis 2. Realis praesentia enuntiatur diserte verbis institutionis 48

Declaratio: 1. Ipsa verba institutionis 48
2. Horum verborum sensus 49

Pagina

Demonstratio: 1. Probatur ex modo relationis evangelicae 50
2. Ex adiunctis institutionis 54
3. Ex contextu verborum institutionis apud S. Paulum 59
4. Ex verbis in se inspectis 60
5. Ex quadam loquendi lege 61
6. Ex SS. Patrum interpretatione 63

Scholia: 1. Obiectiones solvuntur 67
2. De vi et ratione vocabuli *hoc* 74
3. Demonstratio ex typis V. L. derivata 78
4. Confirmatio ex rationibus congruis petita 80

Thesis 3. Realis praesentia demonstratur ex SS. PP. consensu . 81

Declaratio: Ratio demonstrationis ex traditione derivatae 81

Demonstratio: 1. p.: Fides catholica Patrum 3 priorum saeculorum indubia est 82
2. p.: Etiam magis manifesta est fides Patrum inde a saeculo 4. florentium 103
1. Testimonium Patrum latinorum 104
2. Testimonia Patrum graecorum 119
3. Patrum syrorum testimonia 133

Scholion: De ambiguis quibusdam Patrum sententiis 136

Thesis 4. Etiam ex aliis traditionis documentis, nominatim ex liturgiis atque Orientalium professione concordi dogma catholicum probatur 146

Declaratio: 1. De liturgiarum ratione et momento dogmatico . . 146
2. De concordi Orientalium fide eiusque momento . . 147

Demonstratio: 1. p.: Omnes liturgiae de reali praesentia clare testantur 148
2. p.: Etiam sectae orientales eandem fidem profitentur 153

Scholia: 1. Summa traditionis de reali praesentia 155
2. Conclusio totius argumentationis 158
3. De controversia eucharistica saeculi 9. 158

Articulus secundus.

De modo praesentiae sacramentalis.

Thesis 5. Christus sub utravis specie totus et totus sub singulis utriusque speciei partibus praesens est 161

Declaratio: 1. Quaestio tractanda 161
2. Doctrina catholica 162

Demonstratio: 1. p.: Christus totus et integer sub utravis specie est 163

Pagina

2. p.: Etiam sub qualibet specierum parte est separatione facta 167
3. p.: Item sub qualibet parte est etiam separatione non facta 169

Corollaria: 1. Per concomitantiam praesentia sunt omnia accidentia humanitatis Christi excepta extensione actuali locali et iis, quae hanc supponunt 172
2. Christus etiam praesens est sub minimis partibus, quae sensibiliter ab invicem discerni nequeant . . 173
3. Praesentia sacramentalis essentialiter differt a praesentia corporis naturali 173
4. Minima physica specierum cum minimis corporis Christi non compenetrantur 174
5. Praesentia sacramentalis analoga est praesentiae animae in corpore 175
6. Secundum diversos respectus Christus in ss. eucharistia vel est vel non est in loco 176

Scholion: Difficultates quaedam solvuntur 177

Thesis 6. Corpus Christi in ss. eucharistia existit sine extensione actuali locali, in quo modo existendi nulla repugnantia invenitur 179

Declaratio: Scopus huius thesis 179

Demonstratio: Assertio prima: Omne corpus per seipsum quantitatem substantialem habet 181
Assertio secunda: Partes substantiales integrales corporis saltem organici ad invicem ordinem dicunt 182
Assertio tertia: Extensio actualis localis a re extensa realiter modaliter distinguitur . . 182
Assertio quarta: Hinc iam modus existendi Christi sacramentalis quadantenus intelligitur 184

Scholion: Argumenta obiecta examinantur 186

Corollaria: 1. Corpus Christi in eucharistia nihil patitur ab externis agentibus physicis 188
2. Corpus Christi in sacramento nequit naturaliter exercere actiones transeuntes 188
3. Corpus Christi in eucharistia nequit ullo sensu naturaliter percipi 189
4. Corpus Christi in ss. sacramento naturaliter non habet exercitium sensuum suorum 189
5. Christus in ss. sacramento habet actus immanentes, qui a sensibus non pendent 190

Pagina

6. Corpus Christi sub speciebus per accidens moveri potest 190

Thesis 7. Neque replicatio corporis Christi repugnantiam involvit 191

Declaratio: 1. De compenetratione corporum 191
2. De replicatione eorundem 193

Demonstratio: 1. Probatio positiva 194
2. Probatio negativa 196

Corollarium: Etiam replicatio circumscriptiva possibilis esse videtur 198

Thesis 8. Species eucharisticae tamquam vera et realia accidentia consideranda sunt 199

Declaratio: 1. De quanam re quaeratur 199
2. Diversae sententiae 200
3. Argumentum thesis circumscribitur 201

Demonstratio: 1. Probatur ex doctrina SS. Patrum 201
2. Ex doctrina theologorum saeculi 9. et 1. 204
3. Ex theologorum scholasticorum consensu 205
4. Ex conciliis nominatim Constantiensi et Tridentino 208
5. Ex ratione theologica 213

Corollaria: 1. Improbabilis apparet sententia a Palmieri proposita 216
2. Minus probanda est explicatio a Tongiorgi proposita 218
3. Accidentia eucharistica sine ullo subiecto existunt 219

Scholia: 1. Obiectiones solvuntur 221
2. De indole quaestionis in hac thesi tractatae . . . 222

Thesis 9. Accidentium panis et vini permanentia explicatur . . 223

Declaratio: Argumentum thesis eiusque indoles 223

Demonstratio: Assertio prima: Corpus Christi et species eucharisticae intime coniuncta sunt 223
Assertio altera: In quantitate cetera accidentia inhaerere videntur 226
Assertio tertia: Ex statuta sententia reliquae quaestiones solvi videntur 230

Scholia: 1. De mistione specierum cum alia materia 233
2. De miraculosis Christi in eucharistia apparitionibus 234
3. Cur Christus praesentiam suam sub speciebus panis et vini absconderit 234
4. Regulae quaedam loquendi 234

Corollarium: Christus in ss. eucharistia adorandus est 236

Articulus tertius.

De transsubstantiatione.

Pagina

Thesis 10. Fides catholica etiam doctrinam de transsubstantiatione comprehendit 239

Declaratio: Argumentum et divisio praesentis articuli 239
Demonstratio: 1. p.: Transsubstantiationis dogma circumscribitur . 240
2. p.: Ecclesia conversionem eucharisticam apte transsubstantiationem appellavit 243

Thesis 11. Transsubstantiatio actio esse videtur, qua corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini ita constituuntur, ut harum substantiarum desinentium vice quodammodo fungantur 246

Declaratio: Argumentum et scopus thesis 246
Demonstratio: 1. p.: Notio conversionis in genere explicatur . . . 247
2. p.: Verior transsubstantiationis explicatio proponitur 252
3. p.: In hac explicatione omnes conditiones ad veram conversionem requisitae impletae cernuntur . . . 254
Corollaria: 1. Transsubstantiatio neque adductio neque reproductio corporis Christi est 256
2. Desitio substantiae panis in transsubstantiatione formaliter non est annihilatio 258
3. Ex statuta doctrina modi quidam loquendi intelliguntur transsubstantiationem spectantes 259
Scholion: Obiectiones quaedam expediuntur 260

Thesis 12. Doctrinam catholicam de transsubstantiatione in apostolica traditione contineri certissimis constat argumentis 262

Declaratio: De haereticis hoc dogma negantibus 262
Demonstratio: 1. Probatur ex diversis liturgiis 263
2. Ex doctrina Patrum orientalium 263
3. Ex doctrina Patrum latinorum 265
4. Ex scriptoribus saeculi 11. 266
5. Ex variis synodis, quae Berengarium damnaverunt 267
6. Ex consensu scholae 268
Scholion: Obiectiones solvuntur 269

Thesis 13. Item ex scriptura, ex verbis sc. institutionis transsubstantiationis dogma certo demonstratur 276

Declaratio: 1. De aliquorum theologorum sententia 276
2. Communis theologorum sententia 277

Pagina

Demonstratio: 1. Argumentum primum 278
2. Argumentum secundum 279
3. Argumentum tertium 280
Scholion: Obiectiones reliquae solvuntur 282
Corollaria: 1. Absurdus est error Berengarianorum 284
2. Item absurdus est error Ioannis Parisiensis iunioris 285
3. Falsa est sententia Durandi 285
4. Singularis et falsa est sententia a Bannez defensa 286
5. Falsa est opinio Henrico Gaudanensi et Caietano tributa 287
6. Denique falsa est sententia a Bayma proposita . 288

Quaestio altera.

De ss. eucharistia, ut est sacramentum.

Articulus primus.

De ratione sacramenti ss. eucharistiae conveniente.

Thesis 14. SS. eucharistia est unum ex septem N. L. sacramentis, quod materialiter quidem plura, formaliter autem tantum unum est 292

Declaratio: 1. Argumentum et divisio huius quaestionis 292
2. Argumentum primi articuli et huius thesis . . . 292
istratio: 1. p.: SS. eucharistia est verum N. L. sacramentum 294
2. p.: Hoc sacramentum in consecratione perficitur et tamdiu permanet, quamdiu species incorruptae perseverant 295
3 p.: Idem sacramentum materialiter quidem plura, formaliter autem unum est 298
Schelion: Obiectiones quaedam solvuntur 301
Corollaria: 1. *Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum*, quid sint in ss. eucharistia iam infertur . 303
2. Sumptio eucharistiae non pertinet ad sacramentum tamquam internum constitutivum 304

Thesis 15. Forma ss. eucharistiae solis verbis institutionis continetur 305

Declaratio: Status quaestionis 305
Demonstratio: 1. p.: Thesis positive demonstratur: 306
1. Ex s. scriptura 306
2. Ex Patrum traditione 307
3. Ex declarationibus ecclesiae 310

Pagina

2. p.: Epiclesis ratio atque vis explicatur . . . 314
1. Theoria dramatica 314
2. Theoria communionis 316
3. Theoria historicae evolutionis 320

Scholia: 1. Obiectiones reliquae solvuntur 325
2. De veritate formae: *Hoc est corpus meum* . . . 328

Corollaria: 1. Praeter verba: *Hoc est corpus meum* nulla alia ad formam consecrationis corporis essentialiter pertinent 329
2. Forma consecrationis calicis essentialiter solis verbis continetur: *Hic est sanguis meus* 331
3. Opinio Scoti circa verba: ‚Qui pridie quam pateretur' probabilis non est 334
4. Verba formae a sacerdote consecrante recitative simul et assertive dicuntur 335
5. Etiam ipse Christus in ultima coena verbis institutionis consecravit 338

Articulus secundus.

De ss. eucharistiae effectibus.

Thesis 16. Effectus sacramenti ss. eucharistiae est conservatio et incrementum vitae supernaturalis sine unio intima cum Christo huius vitae principio 342

Declaratio: 1. Doctrina Protestantium 342
2. Doctrina catholica 342
3. Divisio thesis 343

Demonstratio: 1. p.: Effectus eucharistiae per se non est collatio primae gratiae 343
2. p.: Effectus proprius eiusdem consistit in conservatione et incremento vitae spiritualis sive in unione cum Christo huius vitae principio: 349
1. Effectus enuntiatus ss. eucharistiae reipsa competit 349
2. Ostenditur eundem effectum eidem proprium esse 354
3. p.: Reliqui ss. eucharistiae effectus recensentur et explicantur 359

Corollaria: 1. SS. eucharistiae non est adscribenda causalitas universalis 368
2. Sumptio unius speciei tantum effectum habet, quantum sumptio utriusque 372
3. Idem sacramentum nullam unionem realem efficit inter corpus Christi et corpus subiecti recipientis 375

Pagina

Scholia: 1. Quando ss. eucharistia effectum suum producat . . 378
2. Num ss. eucharistia, ut sacramentum est. aliis prosit, quam sumentibus? 378

Articulus tertius.

De necessitate ss. eucharistiae.

Thesis 17. **SS. eucharistiae sacramentum non est medium absolute necessarium ad salutem; pro adultis vero medium esse ad perseverandum diutius in gratia moraliter necessarium merito dicitur** 380

Declaratio: De necessitate medii 380

Demonstratio: 1. Ipsa realis susceptio ss. eucharistiae non est necessaria necessitati medii 381
2. Neque votum saltem suscipiendi ipsum hoc sacramentum necessarium est necessitate medii stricte tali 383
3. Pro adultis vero idem sacramentum dici potest medium moraliter necessarium ad gratiam diutius conservandam 383

Corollarium: Absurda est doctrina a Rosmini conficta 384

Scholia: 1. Quaestio aliqua incidens resolvitur 385
2. Obiectiones quaedam solvuntur 385
3. De communione sub utraque vel una tantum specie 390

Nota: Finis tractatus 395

Index thesium: 396

A. M. D. G.